

1.15

Ann. XV. Romae, Mense Ianuario MCMXII Num. I.

VOX VRBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Condidit ARISTIDES LEOÑORI eques

Possidet atque administrat SOCIETAS EDITRIX ROMANA

Pretium annuae subnotationis, est:

In Italia: Libellarum **6**

ubique extra Italiam: Lib. **9** (Doll. **1,80**; Sch. **7**; M. **7**; Rubl. **4**; Coron. **9**)

ANTE SOLVENDUM ET RECTO TRAMITE MITTENDUM

AD SOCIETATEM EDITRICEM ROMANAM

ROMA — Via delle Coppelle, 35 — ROMA

SUBNOTATIO EXTRA ITALIAM FIERI POTEST:

IN RUSSIA

apud **Gebethner et Wolf** — Varsaviae Polonorum, Rakewskie Przedmiescie, 15

apud **"Kronika Rodzinna"** — Varsaviae Polonorum, Krakowskie Przedmiescie, 6.

IN ANGLIA

apud **Burns and Oates** — London W., 28, Orchard Street.

IN CANADA

apud **Libraire Granger Frères** — Montreal, 1699, Rue Notre-Dame

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Usum latini sermonis per orbem universum tuetur ac fovet

Itaque, latine omnino exarata, scripta edit, quae populos omnes aliquo modo attingant, a publica re ad bonas artes, a litteris ad historias, a philosophicis ad sociales quaestiones, a nunciis et significationibus ad simplices et facili stylo expressas descriptiones, narratiunculas, dramaticas actiones; ab antiquitatis scientia ad dialogos vitae argumenta maxime communia tractantes, unde colloquia latine inire atque alere detur; a doctorum virorum scriptis nondum vulgatis aut parum cognitis ad primas adolescentum exercitationes, quae incitamentum veluti in palaestra eorum conatibus conferant; a Pontificiis denique documentis praecipuis ad iuris regulas in S. Congregationibus inductas; haec omnia ut quisque vel ex dissitis regionibus, aut cultu, doctrina, animi proclivitate, artibus alter ab altero difformis per commentarium eumdem explere desideria sua possit.

PRETIUM ANNUAE SUBNOTATIONIS EST:

In Italia libellarum 6;

ubique extra Italiam: Lib. 9 (Doll. 1,80; Sch. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

ANTE SOLVENDUM ET RECTO TRAMITE MITTENDUM

ad **Societatem Editricem Romanam**

ROMA — VIA DELLE COPPELLE, 35 — ROMA

QUAE COMMENTARIUM POSSIDET NUNC ATQUE ADMINISTRAT.

Ann. XV. ROMAE, Mense Ianuario MCMXII Num. I.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

PRAEMIA AN. MCMXI
SOCIIS ATTRIBUTA

Vix superioris mensis *Vocis Urbis* nostrae fasciculus editus est, doctorum virorum collegium, ad id constitutum, convenit, ut singularia praemia trium numismatum argenteorum ex iis, quae Pontifex Maximus quotannis in festo Apostolorum Principis cudi iubet Sacro Purpuratorum Senatui, Romanae Curiae aulicisque pontificiis distribuenda, iuxta normas mense Decembri MCMX constitutas, adsignaret.

Quae quidem numismata erant prouti sequitur distribuenda: unum collegio, aut Seminario, aut scholae illi unde plurima soluta oratione scripta cuiuslibet argumenti publicatione digna ad nos per annum MCMXI pervenerint; reliqua duo sociis illis, quorum scripta pariter per annum in commentario vulgata, commendata maxime fuerint.

Sed heu! circa numismatis primi adsignationem facile compertum est eam nobis in spe magis, quam in re ponendam esse; nullum enim scriptum nomine collegii cuiusvis per annum missum fuit; quod non uni nos doluimus, sed - ecquid tacebimus? - ipse Pontifex Summus, qui, quum hisce diebus pro Eius benevolentia moderatorem nostrum ad privatum colloquium coram se admisisset, valde cum eo conquestus est de neglectu latini sermonis in ipsis illis Seminariis, apud quae praesertim in maximo honore esse deberet.

Quum autem de reliquis numismatibus adiudicandis actum est, facile apparuit, si carmina nonnulla satis probabilia - pro quibus nullum constitutum erat praemium - a sociis provenissent, de scriptis, contra, soluta oratione unum tantum prae ceteris commendari posse, quamquam ex omni parte haud absolutum; commentationes dicimus THEODORI T. CHAVE «de studiis quibus eget res latina», cui propterea egregio viro unice attributum est praemium.

***

Sunt itaque ad ann. MCMXII *numismata quattuor* inter socios distribuenda, qui, ad fovendam latinitatem, egregiam scriptoris operam in nostro Commentario contulerint; duo scilicet elapsi anni, uti supra, residua; ac duo, quae, iuxta regulas in superiore numero edictas, ultra posuimus.

Liceat nobis animo nunquam fracto pro latina re appetere, ut felix magis qualiscumque huius nostri certaminis exitus futuro Ianuario mense possit enuntiari!

SOCIETAS EDITRIX ROMANA.

An aliqualis detur dogmatis evolutio

Modernistarum sententia est, prouti in Epistola *Pascendi* Pii P.P. X legitur, « evolvi ac mutari dogma non posse solum, sed *oportere*. » Theoria huiusmodi cum Vaticani Concilii Decreto *(De fide et ratione*, can. III. *Denz.*, 1665) conciliari nequit, quum ibi legatur: « S. q. d. fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia, a. s. » Multoque minus conciliari potest cum sacrae Theologiae veritate. Siquidem non apparet, quomodo, posita dogmatis mutatione Modernistarum in sensu, eiusdem dogmatis immutabilitas, Ecclesiae identitas

necnon illius infallibilitas intactae maneant. Hinc merito Pius X *(Syll.)* propositionem vigesimam secundam e Loisy operibus desumptam damnavit: « Dogmata quae Ecclesia perhibet tamquam revelata, non sunt veritates e caelo delapsae, sed sunt interpretatio quaedam factorum religiosorum quam humana mens laborioso conatu sibi comparavit. » (1)

Propter haec omnia nos, cum catholicis scriptoribus, in praefata quaestione duplicem dogmatis evolutionem distinguimus. Primo est evolutio, in qua dogmatis substantia mutatur, et iuxta quam saeculorum decursu in Ecclesia nova dogmata habentur, quamvis de hisce nihil a Christianismi initio praeexistat. Quae evolutio, a Modernistis edocta, (2) ab Ecclesia sapienter damnata fuit. Secundo, est evolutio, in qua dogmatis substantia immutata manet, ita tamen, ut dogma aliquod, quod implicite credebatur, evolutionis virtute explicitius credatur, clarius cognoscatur, clarioribus verbis atque pressiori sermone ab ipso Ecclesiae vivo magisterio enuntietur ac definiatur. Huiusmodi dogmatis evolutionem propter facta quaedam, propter rationis momenta, necnon propter catholicorum scriptorum auctoritatem, praesertim Doctoris Angelici, defendendam esse putamus.

***

Dogmatis catholici evolutio secundo sensu explicata, ex factis quibusdam est defendenda. Dogma ex g. de B. Virginis Mariae Conceptione immaculata in Ecclesia Iesu Christi *semper* a fidelibus *implicite* creditum fuit. Temporis progressione, quidam progressus, quaedam evolutio circa dogma illud habita fuere, substantiaque eiusdem manente, dogma de Conceptione B. V. Mariae Immaculata, lente gradatimque maiorem evidentiam, lucem, distinctionemque accepit, quoadusque Pius IX a. 1854 per Bullam « *Ineffabilis* » (d. 10 Dec.) declaravit, pronuntiavit et definivit doctrinam, quae tenet « beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam. » (3) Non fuit nova veritas, sed veritas antiqua, novo modo proposita ad credendum.

Pari modo, dogma de Romani Pontificis infallibilitate, dum *ex cathedra* loquitur, quamvis a paucis negatum, implicite in Ecclesia Christi creditum fuit. Temporis progressu, dogma huiusmodi sese evolvere incoepit gradatim et lente, quoadusque Vaticanum Concilium clare et solemniter docuit et divinitus revelatum dogma esse definivit « Romanum Pontificem cum ex Cathedra loquitur, id est, quum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens pro suprema sua Apostolica Auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit. » (1) Non aliter dicendum est de quibusdam aliis veritatibus dogmaticis, in quibus eadem evolutio idemque invenitur progressus; eadem veritas est, quae propter tamen evolutionem advenientem, progressu temporis, clarior, distinctior, evidentior fit.

Hisce omnibus motiva rationis addi possunt. Secunda illa evolutione adserta salvantur:

a) Dogmatis immutabilitas, quia non iam dogmatis substantia, sed solummodo accessoria illius tanguntur, ipsumque dogma idem manet, non secus ac ab Ecclesiae initio fuit;

b) Leges de rerum omnium progressu in melius intactae manent, quia dogma progressu temporis lucem, evidentiam distinctionemque maiorem accipit, perfectiusque mentibus aptatur humanis;

c) Lex rursus de cuiusque rei viventis evolutione salvatur; sicut enim res viva eadem semper manens, continuae evolutioni in his quae accidentalia sunt subiicitur; ita quoque ipsum dogma idem manens semper, modo tantummodo accidentali atque in his quae accessoria sunt evolvitur;

d) Lex de vocum formularumque mutatione, quibus progressu temporis veritas exprimitur, non offenditur. Voces enim antiquitus ad dogmata exprimenda adhibita, in novas voces, quibus melius aptiusque dogmata exprimuntur, mutari possunt, veritate dogmatum immutata manente.

***

Non alia est catholicorum scriptorum mens. Tertullianus (2) per haec verba « dogmatis evolutionem » secundo sensu acceptam exprimit: « Regula quidem fidei una omnino est, sola immobilis, et irreformabilis... Hac lege fidei manente, cetera iam disciplinae et conversationis admittunt novitatem correptionis... Quoniam humana mediocritas omnia semel capere non poterat, paulatim dirigeretur et ordinaretur et ad perfectum perduceretur disciplina ab illo vicario Domini Spiritu Sancto... Quae est ergo Paracleti administratio, nisi haec, quod disciplina dirigitur, quod Scripturae revelantur, quod intellectus reformatur, quod ad meliora proficitur?... Aspice ipsam creaturam paulatim ad fructum promoveri. Granum est primo, et de grano frutex oritur, et de frutice arbuscula enititur; deinde rami et frondes invalescunt, et totum arboris nomen expanditur, inde germinis tumor et flos de germine solvitur, et de flore fructus aperitur...

(1) *L'Évangile et l'Église*, 202-203; *Autour d'un p'tit livre*, 189.

(2) Cf. HARNACK, *Das Wesen d. Christ. Vierzehnte Vorlesung*. C. NEGRI *(L'Imperatore Giuliano Ap. — La discordia del Cristianesimo)*: « *Nella morale (La Chiesa) era discesa dalle pure altezze del Vangelo e del Cristianesimo primitivo e si era avvicinata allo stoicismo; nella filosofia avea costrutto un grande edificio teologico, adoperandovi i materiali del Platonicismo; nel culto, avea plasmato le sue cerimonie su quelle dei Misteri.* »

(3) *Denzinger*, 1502.

(1) *Denzinger*, 1682.

(2) *De Virgin. velandis* I. MIGNE, 2,937.

Sic et iustitia (nam idem Deus iustitiae et creaturae) primo fuit in rudimentis, natura Deum metuens; dehinc per Evangelium efferbuit in iuventutem; nunc per Paracletum componitur in maturitatem. »

Eadem Vincentius Lirinensis (1) docet: « O Doctor... pretiosas divi dogmatis gemmas exculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adiice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur, te exponente illustrius, quod ante obscurius credebatur... Eadem tamen quae didicisti doce, ut quum dicas nove, non dicas nova... Sed forsitan dicet aliquis: Nullusne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur Religionis? Habebitur plane, et maximus. Nam quis ille est tam invidus hominibus, tam exosus Deo, qui istud prohibere conetur? Sed ita tamen ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio... Crescat igitur oportet et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia. Imitetur animarum religio rationem corporum: quae licet annorum processu numeros suos evolvant et explicent, eadem tamen quae erant permanent... Christianae Religionis dogma sequatur has decet profectuum leges, ut omne scilicet consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur aetate, incorruptum tamen illibatumque permaneat... Fas est etenim ut prisca illa caelestis philosophiae dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur, sed nefas est ut commutentur, nefas est ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant, licet, evidentiam, lucem, distinctionem; sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem... Quid unquam aliud Conciliorum decretis enisa est (Ecclesia) nisi ut quod antea simpliciter credebatur hoc idem postea diligentius crederetur, quod antea lentius praedicabatur, hoc idem postea instantius praedicaretur, quod antea securius colebatur hoc idem postea excoleretur? »

M. Canus (2) quoque scribit: « Dogmata fidei, sive Christus ipse per se apostolis revelarit, seu Spiritus Sanctus post Christi ascensionem in caelum, mutari non possunt... In illis quae antiquorum sunt ingenio ac diligentia elaborata, nonnihil nos christiano populo, si volumus, praestare et quidem utilissime possumus. Possumus enim vetustis novitatem dare, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus naturam suam, et naturae suae omnia. » Brevitatis causa, scriptorum recentiorum testimonia relinquimus, atque Doctoris Angelici mentem referimus. (3)

***

S. Thomas dogmatis evolutionem, manente dogmatis essentia immutata, docet, quum asserat:

(1) *Comm.* 1, 22-23 M: 50-667.
(2) *De loc. theol.*, l. III c. V; l. VII, c. IV.
(3) Cf. circa mentem recentiorum, Pesch, *Propaed.* Sect. V, n. 526, 530. — Tixeront, *Histoire des dogmes*, *I*, Introd. nota p. 7. — De la Barre, *La vie du dogme catholique.* — Pourrat, *La théologie sacramentaire.* — Kraus, *Lehrbuch d. Kirchengeschichte ss. 2 « Es gibt eine Kirchliche Dogmenentwickelung.* — Fei, *De Dogmatis evolutione.*

a) Dogmata quaedam in aliis implicite contineri: « Omnes articuli implicite continentur in aliquibus primis credibilibus, scilicet ut credatur Deum esse, et providentiam habere circa hominum salutem, secundum illud ad Hebr. XI, 6: Credere oportet accedentem ad Deum quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit. In esse enim divino includuntur omnia quae credimus in Deo aeternaliter existere, in quibus nostra beatitudo consistit: in fide autem providentiae includuntur omnia quae temporaliter a Deo dispensantur ad hominum salutem, quae sunt via in beatitudinem; et per hunc etiam modum aliorum subsistentium articulorum quidam in aliis continentur et incarnatio Christi, et passio, et omnia huiusmodi. » (1)

b) Dogmata, quantum ad eorum explicationem, crevisse: « Dicendum est, quod quantum ad substantiam articulorum fidei, non est factum eorum augmentum per temporum successionem: quia quaecumque posteriores crediderunt, continebantur in fide praecedentium patrum, licet implicite. Sed quantum ad explicationem crevit numerus articulorum: quia quaedam explicite cognita sunt a posterioribus, quae a prioribus non cognoscebantur explicite. Unde Dominus Moysi dicit, (*Exod.* VI, 2 et 3): Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, et nomen meum Adonai non indicavi eis; et David dicit, (*Psal.* cxviii, 100): Super senes intellexi; ed Aposttolus dicit (ad *Ephes*, III, 5): Aliis generationibus non est agnitum mysterium Christi, sicut nunc revelatum est sanctis apostolis eius et prophetis... — Plura symbola... in nullo alio differunt nisi quod in uno plenius explicantur quae in alio continentur implicite, secundum quod exigebat haereticorum instantia. » (2)

c) Respectu dogmatum dari in humana cognitione progressum: « Profectus cognitionis dupliciter contingit: uno modo ex parte docentis, qui in cognitione proficit, sive unus, sive plures, per temporum successionem, et ista est ratio augmenti in scientiis per rationem humanitus inventis; alio modo ex parte addiscentis, sicut magister, qui novit totam artem, non statim a principio tradit eam discipulo, quia capere non posset, sed paulatim, condescendens eius capacitati; et hac ratione profecerunt homines in cognitione fidei per temporum successionem. Unde apostolus (ad *Galat.*, III) comparat statum Veteris Testamenti pueritiae... Oportuit quod ab imperfectis ad perfectum procederet cognitio fidei in hominibus; et licet in hominibus quidam se habuerint per modum causae agentis, quia fuerunt fidei doctores; tamen manifestatio spiritus datur talibus ad utilitatem communem, ut dicitur (I *ad Cor.*, XII): et ideo tantum dabatur patribus, qui erant institutores fidei, quantum oportebat pro tempore illo populo tradi, vel nude, vel in figura. » (3)

Romae

Reginaldus M. Fei O. P.

(1) 2-2ae p. I, 7. — (2) Ib., a. 9, ad 2. — (3) 2-2ae I, a. 7 ad 2 et 3

PETRO PARWENSIO COGNOMINE " QUERITORI „

POLONORUM VATI FATIDICO CCC RECURRENTE ANNO AB EIUS OBITU. [1]

« Discordant animi eorum; nunc peribunt ».
« Scit mutare exsecutiones suas Deus; sed mu-[temus malitiam nostram ».

IDEM VATES.

Diva, tu cur gens sacraque arte vatum
Non simul polles facere, ut sequentes,
Quae pie dicis, vereamur aeque
Dicta salutis ?

Vana Cassandrae dedit ipse Apollo
Dona, quae Troiae dare secla possent,
Contumax si, quae per eam canebat,
Troia patrasset.

Non furens virgo haec neque mente capta,
Sed vocandus sic populus, ruente
Urbe quem sero puduit deorum et
Cladis amarae.

Sic fuit nobis etiam Polonis
Nobilis vates Petrus ille Pawenz,
Voce qua nomen clipeo suum dat
Lingua polona.

Quis viam rectam patriae salutis
Aptius scivit populo indicare ?
Tam flagranter quis mala praevidere
Perniciosa ?

Laeta nunc terrae facies micaret,
Quam dolor spargit lacrimis amaris,
Si monente et tum lacrimante vate
Crimina flessent.

Vanae erant voces animique surdi ;
Civis ignavus neque amans querelae,
Neglegens rectum « Queritoris » ornat
Nomine vatem.

Exitum culpae miseri gemunt nunc
Posteri ; num sunt ita doctiores ?
Tempus o ! damno sapientiorem
Esse Polonum. (2)

Surge tu, Petrus, repete et laborem ;
Forsitan, quae nos mala sors perangit,
Aestimare et iam facere obsequentes
Iussa docebit.

Varsaviae Polonorum.

IOSEPHUS WABNER.

(1) Universae Poloniae cives in animo habent anno hoc MCMXII summa sollemnitate trecentesimam memoriam Petri Pawenski cognomine *Skarga* (Queritor) celebrare, qui, ut inter omnes Polonorum historiae gnaros constat, non solum orator monitorque aureus et scriptor praestantissimus fuit, sed etiam, civis patriae suae amantissimus, perniciem futuram, nisi civium mores atque licentia corrigerentur, iam plus quam ducentis annis ante divinitus vaticinatus est.

(2) Conf. N. C. Sarbievii odam (IV. 5):
« Me prisca laetat fabula : crescere
Per ipsa Lechum damna ; sed heu ! recens
Ne me repellat fama Lechum
Damna suis cumulare damnis ».

Stili lapidarii elementa [1]

VIII. — DE INSCRIPTIONIBUS NUMMARIIS.

Inscriptionum nummariarum aliae sunt in adversa nummorum fronte, aliae aversa, omnes vero brevissimae. Et in adversa quidem fronte sunt inscriptiones, vel Imperatorum ut

C . CAESAR . IMP . PONT .
III . VIR . R . P . C .

Vel domus Augustae, ut

TI . CAESAR . AVGVSTI . F .
IMPERATOR . VII .

Septimum Imperator ob totidem victorias appellatus est Tiberius, Augusti filius, qui solus e Privignis, quos adoptarat, superstes erat.

In aversa nummorum fronte habes primo titulos Diis positos, ut

MARS . VICTOR
S . C .

IOVI . CVSTODI
MINERVAE . PACIFERAE
MARTI . PACATORI

Dii saepe in nummis appellantur, aliquando etiam Augusti dicuntur. Erant autem ii, quos Romani Principes aut propitios habere, aut quorum virtutes referre putabant.

Adscriptum est in hoc Galbae nummo, quod in aereis tantum reperietur, S. C. Id ea de causa factum putant eruditi, quod Senatus aes tantum signandum curaret. Hoc falsum putat Morcellius, quod qui Monetae curatores erant, omnes nullo discrimine Triumviri auro, argento, aeri flando, feriundo appellabantur. Cur ergo in aere tantum adscriptum S. C. ? Sciendum aliorum nummorum pretium in ipso metallo totum fuisse : aereis vero nummis ob imminutam formam etiam pretium publica auctoritate accedere debuisse.

Secundo, habes in aversa nummorum fronte titulos Imperatoribus attributos :

LOCVPLETATORI
ORBIS . TERRARVM

Hoc titulo ornatum Hadrianum Augustum putat Spanhemius.

S . P . Q . R .
ADSERTORI
LIBERTATIS
PVBLICAE

Hic est Vespasianus Augustus.

Tertio, titulos Augustarum, et Caesarum, ut

AVGVSTA . MATER
PATRIAE

(1) Cfr. sup. anni num. XI.

Livia, Drusi filia, Tiberii primum Neronis, deinde Augusti uxor, materque Tiberii Augusti.

Quarto, virtutes Augustorum, ut

MODERATIONI
S . C .

In pluribus Tiberii nummis.

Quinto, opera publica Augustorum, ut

MAC . AVG .
S . C .

Macellum Augusti, idest, forum obsoniorum omnium. Hic nummus Neronis est.

Sexto, liberalitates Augustorum, ut

PLEBI . VRBANAE
FRUMENTO . CONSTITVTO
S . C .

Sic in nummo Nervae.

Septimo res ab Imperatoribus gestas, ut

CIVIBVS . ET . SIGNIS . MILIT.
A . PARTHIS . RESTITVTIS

Sic in Augusti nummo inscriptum post recuperatos obsides et signa quae Parthi Crasso abstulerant.

Octavo denique, honores Augustis habitos, ut

ADVENTVI . AVG.
FELICISSIMO
S . C .

IX. — De rerum privatarum titulis.

Nos inornata et muta a literis munera mittimus: veteres contra nullum prope munusculum sine titulo esse patiebantur. Itaque habes titulos:

I. in gemmis annularibus, ut

AMO . TE
AMA . ME
PIGNVS . AMORIS . HABES

II. in poculis, et pateris, ut

VIVAS . VALEAS . VINCAS

Convivium magnorum Ducum fuisse illud dixeris, in quo pocula victoriae omen inscriptum haberent:

HILARE
SEMPER
GAVDEAS

In poculi haec fundo scripta, quod Hilarus conviva pro apophoreto auferre debebat, et eo consilio scripta, ut vino primum hausto legeret monitusque seria contractae frontis explicaret. Titulos huiusmodi in vasorum fundis interius inscribendi mos erat vetus vel apud Graecos. Morem hunc etiam Christiani veteres sequuti, quorum vitrei aliquot calices et sacra habent symbola, et titulos huiusmodi referunt, quos Bonarrotus, ac Boldettus commentariis suis consignarunt.

A . SEPTVNOLENA
PETR . MAISIO
DONO

A. id est Aula. *Petr.* idest Petronio.

Similia habes in tesseris, in armis, et instrumentis bellicis, in lateribus demum, ac tegulis.

X. — De inscriptionibus poeticis.

Ex quo studia humanitatis, ac litterarum coli vehementius coepta, rarius fortasse in monumentorum titulis versus usurpati, aut certe domi potius, quam in publico propositi sunt.

Qui vero inscriptiones versibus confecerunt, sic fere in Epitaphiis haesisse videntur, ut ceteras res atque argumenta vix carmine digna iudicarent. Hanc ipsam vero provinciam poetae nobiles et ingeniosi minus saepe suscepisse videntur. Quapropter nec multa apud ipsum Morcellium exempla, nec omnia praeclara reperies. Unum tamen ex Epitaphiis, ex Inscriptionibus Sacris, ex Historicis, ex Elogiis.

a) — Epitaphium.

HIC.SITVS.EST.RVFVS.PVLSO.QVI.VINDICE.QUONDAM
IMPERIVM . ADSERVIT . NON . SIBI . SED . PATRIAE

L. Virginii Rufi laudes persequitur Plinius in epistola ad Romanum. Hic quum Germaniae praeesset, legionesque apud se haberet, Iulium Vindicem novis rebus in Gallia studentem adortus magnifice vicerat, delatumque a multibus imperium forti animo recusaverat auctor militibus ut Principis eligendi potestatem penes Senatum esse paterentur.

Alia epitaphiorum genera, sive exempla, poetae veteres suppeditabunt, ut elegantissimum illud:

HIC . TIBVRTINA . IACET . AVREA . CINTHIA . TERRA
ACCESSIT . RIPAE . LAVS . ANIENE . TVAS

b) — Inscriptio sacra.

MERC . SACR.
SVM.DEVS.ALATIS.QVI.CRVRIBVS.AETHERA.CARPO
QVEM . PEPERIT . SVMMO . LVCIDA . MAIA . IOVI

c) — Inscriptio Historica.

QUAM.BENE.CVRVATI.DIRECTA.EST.SEMITA.PONTIS
ATQVE . INTERRVPTVM . CONTINVATVR . ITER

CALCAMVS . RAPIDAS . SVBIECTI . GVRGITIS . VNDAS
ET . LIBET . IRATAE . CERNERE . MVRMVR . AQVAE

ITE.IGITVR.FACILES.PER.GAVDIA.VESTRA.QVIRITES
ET.NARSIM . RESONANS PLAVSVS . VBIQVE . CANAT

QVI . POTVIT .RIGIDAS.GOTHORVM.SVBDERE.MENTES
HIC . DOCVIT . DVRVM . FLVMINA . FERRE . IVGVM

Titulum hunc via Salaria legimus adhuc ad Pontem Anienis, ibidemque alterum, quo versus hi apprime explanantur. Legitur enim Narsetem, devictis Gothis, pontem a Totila destructum, purgato fluminis alveo, meliorem in statum, quam quondam fuerat, renovasse.

Elogium inscriptum statuae Memoris:

CLARVS.FRONDE.IOVIS.ROMANI.FAMA.COTHVRNI
SPIRAT . APELLEA . REDDITUS . ARTE . MEMOR

Hoc elogium habes apud Martialem. Titulus epigrammatis est: *De statua Memoris.*

Qui Memoris statuam fecerat, huic vel nomen fuit Apelles, ut veteri statuario apud Plinium, vel adeo praestitit, ut inter statuarios is esse videretur, qui olim Apelles fuerat apud pictores.

(Ad proximum numerum)

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Litus arare

Est sterilem operam sumere. Ausonius ad Theonem :

Quid geris extremis positus telluris in oris
Cultor arenarum vates, cui litus arandum?

Significans eum inaniter laborare. — Huius peculiaris usus erit quum officium impenditur in cum, a quo nihil sis fructus aliquando percepturus. Item alia adagia : *Arenae mandare semina* — *In aqua sementem facere* — *In saxis seminare* — *In aqua scribere* — *Ventos colere, etc.*, et etiam.

Arenam metiri — Undas numerare;

hoc est: Rem infiniti laboris atque inexplicabilem inceptare. Vergilius utramque paroemiam eleganter attigit libro *Georg. II:*

Quem si scire velit, Libyci velit aequoris idem
Discere quam multae zephyro turbentur arenae,
Aut ubi navigiis violentior incidit Eurus,
Nosse, quot Ionii veniant ad litora fluctus.

Videri potest ab Aesopico quodam apologo natum adagium, quem refert Lucianus in *Sectis*, olim quemdam in maris litore sedisse, conantem singulas undas pernumerare; quumque undas undis trudentibus obrueretur, animoque male angeretur quod eas numero complecti non posset, adiens callida vulpes opportuno consilio sic hominem sublevavit : «Quid angeris - inquit - propter undas, quae praetereunt ? Hinc numerare incipias oportet, illas missas facias».

Surdo oppedere.

Surdo oppedere sive apud surdum crepitum edere dicitur ubi quid frustra fit, aut ubi precatur apud stupidos qui non queant sentire, sive quum conviciis incessitur is, qui perinde negligit, quasi non audiat. Refertur a Diogeniano et a Suida.

Delphinum cauda ligare.

In eos qui quidpiam incassum conantur ; propterea quod delphinus cauda sit lubrica, nec ea parte teneri queat, aut quod cauda sit valida, cuius agitatione ferebatur et naves aliquando subvertere, ut hac parte esset invictus. Quadrabit et in eos, qui ea via quempiam aggrediuntur, qua nequaquam possit superari.

Cauda tenere anguillam.

In eos apte dicitur, quibus res est cum hominibus lubrica fide perfidisque, aut qui rem fugitivam atque incertam aliquam habent, quam tueri diu non possint.

HORAE SUBSECIVAE

I.

De poësi quam Arcadicam dicunt.

Caterro Serranio,
bonarum litterarum doctori.

Maxime Musarum cultor Caterve salutem.
Ergone Ventidius risit mea carmina? Vix dum
Hoc a te novi, permagna concitus ira
Arripui calamum scripturus dura : putasne
Clamabam, Maevi, sapiens et clarus haberi
Si cum non valeas doctrina excellere, plebis
Scite auras captas aliorum censor acerbus?
Paucorum fors laude tumes? At mente teneto,
Qui te demulcet, nimiis et laudibus effert
Aut parat insidias, aut iam te impune fefellit.
Qui cupit ad magnam meritis ascendere famam
In lucem sua scripta ferat, doctisque probetur.
— Versus Arcadiam redolent. — Invisere dulces
Quis vetat interdum colles et amoena vagari
Per nemora et valles, curis studiisque severis
Pauxillum abruptis? Tua si natura voluptas,
Et quem non rapuit? camporum saepe recessus
Si petis ut valeas animi depellere curas,
Quae bene naturam pingunt cur carmina damnas
Non tibi conveniens? Nugis sonuisse canoris
Quis negat Arcadiam, rupto cum foedere, verum
Non semper pulchro dextram tendebat amicam.
Hoc quoque concedam minimum genus esse poesis,
Utpote quae agrestis, semper conceptibus apte
Induitur blandis; verum hinc damnanda vel aeque
Omnia quae in lucem profert urenda camino,
Seu rem contineant dulcem graioque sapore
Conspersam, aut tantum numeros et inania verba?
Vitam hominis cunctam plena sub imagine rerum
Fingit epos, sed saepe angusto in limite clausa
Scinditur in varias species formasque poesis;
At verum et pulchrum ingenita virtute renident
Sub quavis forma : sed crebro vergit ad imum
Qui medium insequitur. Cum iam permulta severus
Carmina prodiderim, levibus si terque quaterque
Versiculis lusi, terram rumore polumque
Complebis clamans ; vel si inter seria parvum
Lenimen quaero non excusatus abibo?
At dum magna crepas, caveas ne forte puteris

Arcadia eiectus, quos versus scribere nescis
Arguere, antiquam sic vulpem imitatus acerbam
Uvam spernentem..... Scribebam talibus asper
Cum sensi bilem paullatim pectore lapsam,
Meque ipsum risi. Ingenitos expungere mores
Quis valet? Aut quis miretur si rana coaxat,
Si crocitat corvus, magnoque incensus amore
Si rudit auritus, Maius cum vernat, asellus?

II.

De hominum iniustitia et de vulgari plausu contemnendo.

Iosepho Pascalio Marinellio,
scriptori carminum elegantissimo.

Quaenam pro tanto credis servata labore?
Pane caret sapiens, auro dum stultus abundat,
Lautisque accumbit mensis. Has corde querelas
Effundens, Ioseph, supremo tempore vitae,
Tergis honorato frontem sudore madentem.
Sed nihil in terris exstat pretiosius auro
Vulgari aut plausu? perituraque cuncta putandum
Nobiscum? Vivet, vivet pars optima nostri,
Nam cinis addictus tumulo non fama bonorum.
Scilicet adveniet tempus cum luce serena
Facta hominum clare pateant, rectaque nepotes
Nos lance appendent. Verax tum pagina nomen
Cuique suum insculpet nullum delebile in aevum.
Quot tunc heroum vilescere nomina, nigris
Obsignata notis, quot nunc miracula vulgi
In probrum verti et vitium cernentur, iniquae
Ut pateant artes quibus emersere. Curulis
Quidnam sella madens lacrimis et tincta cruore
Quem furor effudit, dominandi et caeca libido
Expressit miseris? Vel quid grex ille nefastus
Qui terrae acclinis procerum vestigia lambit,
Et recinit mendax positas in foenore laudes?
Iustitiam, clamas..... Cuinam sed ferre querelas?
Ad magnas aedes moerentum surgere voces
An credis? Vel recta sequi verumque videre
Qui loca summa tenent? Nebulis ibi crassior aer
Qui sensus hebetat, dum circum callida turba
Sese inter tenebras agitat, rerumque potitur
Regibus ignaris (1). Congestis undique nummis
Interea assurgunt villae, viridaria florent,
Ornanturque domus tabulis et divite luxu,
Auguri et occurrens ridet Tripontius augur.
Fortuna in modica siccus si temneris uncto,
Mercedes hominum ventosaque nomina ride.
Digna sibi merces virtus, quae pressa malignis
Altius attollit frontem nescitque repulsas.
Quare animo fortis, culpa nec pallidus ulla
Sorte tua gaude, summoque e vertice montis,
Musarum Sophiaeque sedes ubi magnus alumnus,
Despice vulgares turbas in valle iacentes.
Aiunt, «Non complet virtus, non fama crumenas»;
At iuris vindex exstat qui temperat aeque
Sortes, atque hominum iustus benefacta rependit.
Vivit amicitiae sanctum ac venerabile nomen.
Haec te per reliquos, quot sint solabitur annos,
Haec, effata vale, nutantia lumina condet,
Et gelido illacrimans componet membra sepulcro.

P. Recanatesi.

(1) Eodem sensu quo Horatius: *Maecenas atavis edite regibus.* (Lib. 1, Ode I).

DE ALIQUOT PUERORUM LUDIS IN ITALIS (1)

Pila venenata.

Siste parumper, viator! Vides? Quot iuvenes stant veluti in acie circumpositi intentique ora socio tenent, qui tamquam ludorum dux globum pugnantium ordinat, atque rerum initium secernit. Qui animorum ardor! Quae victoriae spes in frontibus emicat! Hinc inde stant pugnaturi.

Ludum, ad quem mox omnes conveniunt, romanorum sermone adpellabis: *Pilam venenatam.* Nomen enim huic certamini ex eo factum est, quod vix aliquis pila vel leviter tangatur, veluti mortifero vulnere perculsus, inter mortuos illico adnumeratur, atque a pugnantium numero abstrahitur. Potest utique adhuc qui secum luctantur adiuvare, potest impedire ne adversarii pilam in suos emittant, sed ipse tamquam praelio ceciderit, extra castra eiicitur. Duae acies adsunt: altera, albo signata panniculo, manu pilam iactabit: altera vulnus evitare parata.

Sed quae omnium contentio, qui clamor, quae pedum corporumque commotio! Hic ut pilam recte fidentique manu emittat, ille ut studiose ictum repellat!

Verum cur sistunt? Quid dicam? «Ludus enim genuit trepidum certamen et iras!» Litis acerrima exorta est, animosque hinc inde vocesque acuit. Adsunt et ludi iudices, quibus erunt hae artes, pacis componere morem et solemniter in dubiis decernere qui victor sit,

(1) Paulo *minora* canamus! Ille ego, qui nuper de certamine artium plurima descripsi, quod Augustae Taurinorum gloriose est celebratum, nunc paucula dicere nitar de ludicris certaminibus, quae puerili nostri identidem, animi causa, agere consueverunt. Post tot rerum solemnia, quis haec humilia dicere vetabit?

qui recte se gesserit, qui vero male. Horum sententia est absoluta, a qua appellari non potest. Pila enim iacta adversarium percussit an non? Tetigit ne manus, an caput? Quod quidem esset contra ludorum morem. Hinc maxima omnium cura, studiorumque, ut pilam recte emittant, et manibus eam advolantem arripiant iterumque eiiciant... Omnes vero student, nituntur, ut pilam evitent, ictumque declinent: qui enim percutere debent, vel qui pilam habere cupiunt ut percutiant, vocibus altissimis eam a suis postulant; hic currit quo propior sit adversariis, sicque eos facilius percutiat; ille longius se confert; itaque adversariorum artem eludunt.

Interea unus caeditur et alter, mox tres vel quatuor. Tunc ferocius undique litis integratur... Omnis terrae locus, in quo certamen istud includitur, pedibus pulsatur, modo hic, modo illic globus luctantium celerrime confertur, mox alii alio velocissime dilabuntur. Quum vero pene omnes vulnerati sunt, ad superstitem socium salvandum undique sollicìti conveniunt.

Haud aliter atque apes quae regem moriturum tuentur:

circumstant fremitu denso, stipantque frequentes,
... pulcramque petunt per vulnera mortem...

sic ad ultimum hunc socium festinantes adcurrunt, sepiunt, corpore paene suo contegunt, ne eum adversarii fatali pila saucient. Quod quum factum fuerit, victores manus vocesque ad sidera tollunt, ac victoriam (si studiose res acta fuerit atque ingeniose) plausu adstantium adclamant.

SUBALPINUS.

COLLOQUIA LATINA

Varia petitur facultas egrediendi schola. (1)

GUSTAVUS. — Licetne, praeceptor, ut ego et patruelis meus eamus domum?

PRAECEPTOR. — Quid eo?

G. — Ut obviam occurramus patri meo Lutetia redituro sub vesperam.

P. — Sed citius est.

G. — Mater domi nos opperitur ad hanc horam.

P. — Ipsa etiam procedet obviam?

G. — Ipsa etiam et universa familia. Famuli praecurrent pedites. Mater nobiscum et sororibus rheda vehetur.

P. — Abi: sit iter felix atque commodum.

G. — Commodum ut sit subvereor.

P. — Quamobrem?

G. — Quia schola exeo onustus.....

P. — Qua sarcina?

(1) Ex dialogorum libro ANTONII VAN-TORRE passim retractavit I. F.

G. — Argumento scriptionis cras reddendae. O si hoc onere me levaveris!

P. — Quid polliceris mihi?

G. — Futurum ut sarciam hanc iacturam dupla deinde diligentia.

P. — Per me licet; sed videris mihi fidem serves.

G. — Liberabo apud te fidem meam.

. . . .

MICHAEL. — Placetne, magister, mihi facere potestatem egrediendi schola?

P. — Quid causae est?

M. — Rure in urbem venit mater mea; condixit locum et tempus quo eam conveniam.

P. — Quid istud opus est?

M. — Ut mater emat mihi libros aliquot necessarios. Raro in urbem venit; occupanda est mihi occasio.

P. — Adfer mihi a matre testimonium in crastinum diem.

M. — Curabo; numquid aliud vis?

P. — Ut meis verbis officiose matrem salutes.

. . . .

HIERONYMUS. — Hora decima fiet sacrum funebre anniversarium pro avo meo. Iussit me pater interesse; placetne tibi, praeceptor, ut eam? Iam imminet tempus.

P. — Quamnam in aedem sacram iturus es?

H. — Ad Sancti Nicolai.

P. — Properato opus est; abi.

. . . .

IACOBUS. — Licetne ut adeam ianitorem collegii?

P. — Quid tibi cum illo negotii?

I. — Apud eum reliqui heri chartam et calamos.

P. — Cur accedens hoc mane non resumpsisti?

I. — E memoria res exciderat.

P. — Venisti igitur ad bellum miles sine armis.

I. — Ignosce mihi...

P. — Curras igitur. At prospicias in posterum quibus rebus omnibus opus sit ante scholae initium.

I. — Illic sum et hic sum.

. . . .

LUDOVICUS. — Magister, emitto sanguinem e naribus: placetne exeam schola?

P. — Exi et lava ad proximum fontem aut antliam.

. . . .

P. — Iam admoniti estis, discipuli, de adeundo hodie templo. Colligite vasa et ad sacrum vos comparate.

IGNATIUS. — Peto ut ante alios conferre me possim domum una cum fratre natu minore.

P. — Ut quid?

I. — Quia sacrificio iam ambo inservientes adfuimus, et frigore totus rigeo. Insuper procul hinc habitamus: vix domi ad horam licebit, contra, interquiescere et ad scholam iterum expetendum est.

P. — Iam vos missos faciam hac lege, ut pomeridianas praelectiones firmius imprimatis memoriae.

I. — Callebimus ad unguem. Vale.

De Sanctis Magis nonnulla

De Magis, qui Iesu Christi incunabula veneraturi Bethleem venerunt, plura eruditi sciscitantur: qui fuerint, unde venerint, quot fuerint, quo tempore Ierosolymam accesserint, et quid de sidere quod illis apparuit; nosque non semel in *Voce Urbis* huiusmodi quaestiones delibavimus. Philosophi, et Divini atque Astronomiae periti vulgo creduntur; additum etiam, Balaamum auctorem generis et praeceptorem habuisse, a quo pluribus ante saeculis oraculum pronunciatum (1): « Orietur stella ex Iacob, et consurget virga de Israel, et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth », sive « filios superbiae ». Huic opinioni favere videntur Scripturae verba, quibus Magi ex Oriente venisse perhibentur (2), quum Orientis nomine non raro apud sacros auctores Arabia deserta sive Mesopotamia significetur. Hinc Balaam de se ipso testatur, venisse de Aram - de montibus Orientis - (3), quum tamen ex Pethora, urbe ad Euphratem, venisset. (4)



Benvenuti Fisci tabula Magorum adorationem referens.

Arabes, Idumaei et Chaldaei populi Iudaeis orientales sapientiam affectabant (5); hinc apud illos nomen Magi philosophis et sapientibus vulgo tributum. Tertullianus (6), S. Iustinus martyr (7), S. Epiphanius (8) aliique plures huic opinioni suo suffragio accedentes, trans Euphratem, sive e Mesopotamia, ut verbo dicamus, ex Oriente Iudaeae, sanctos Magos arcessunt; neque nostrum est eorum sententiam refutare, qui e Perside, Armenia, Aethiopia, vel tandem e tribus orbis partibus - Asia, Africa et Europa - illos repetunt.

Nonnulli autem ex veteribus Patribus credidisse videntur Magos hosce tres fuisse, regnoque in sua singulos regione potitos; in iisque adnumerandus etiam

(1) Num. XXIV, 17 — An. a. C. 1447. (?)
(2) Matth. II, 1.
(3) Num. XXX, 7.
(4) Num. XXIV, 5. - Cfr. Eus. in locis Padura. - De adventu Abrahami in « Terram promissionis » agens, ISAIAS (XLI, 2) ait: « Quis suscitavit ab Oriente Iustum? ».
(5) Cfr. III *Reg.* IV, 30; HIEREM. XLIX, 7; ABDIAS v. 8.
(6) *Contr. Iud.*, l. III contra Marcion.
(7) *Dialog. contra Tryph.*
(8) *Epit. Fidei Cath.*

Tertullianus; putat enim (1) apud Orientales regnum Magis deferri consuevisse; quo nihil incertius. S. Ambrosius (2), seu S. Caesarius Arelatensis, regium illis nomen attribuit, sed vox illa « regis » in textum irrepsisse creditur. Eiusdem rei assertorem laudant etiam S. Cyprianum in sermone *de Baptismo;* sed huius scripti auctorem Arnaldum, Abbatem Bonaevallis, qui aetate S. Bernardi vixit, fuisse constat. Paschasius Radbertus, qui in monasterio Corbeiensi saec. IX floruit, rem esse exploratam in historiis ethnicorum tradit, quod Magi regnum obtinuissent. Inter Graecos Theophylactus (3) se eiusdem opinionis esse testatur.

Haec apud veteres luculentissima testimonia occurrunt; cetera quae afferri solent nec liquida satis, nec expressa sunt; recentiorum autem auctoritas parvi est ad rem momenti.

(1) *Contra Iudaeos*, l. III contra Marcion.
(2) *Serm.* 139 in Appen. V tom. S. August. nov. edit.
(3) *In Matth.*, II.

Quae huic sententiae recipiendae contulisse videntur, verba sunt Psalmi LXXI sanctis Magis accommodata: « Reges Tharsis et insulae munera offerent; reges Arabum et Saba dona adducent »; iisque accessisse a priscis usque temporibus ingenuae artes apparent, quae nunquam non Magos repraesentarunt regum more ornatos; prouti etiam videre est in tabula, quam lectorum oculis hodie subiicimus, a Benvenuto Fisci, vulgo *il Garofolo*, Raphaelis Sanctii discipulo clarissimo, pictam, et in Romana pinacotheca Burghesiana hodie adservatam.

ACTA PONTIFICIA

I.

CONSTITUTIO APOSTOLICA

de nova psalterii in breviario romano dispositione.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Divino afflatu compositos Psalmos, quorum est in sacris litteris collectio, inde ab Ecclesiae exordiis non modo mirifice valuisse constat ad fovendam fidelium pietatem, qui offerebant *hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius;* (1) verum etiam ex more iam in vetere Lege recepto in ipsa sacra Liturgia divinoque Officio conspicuam habuisse partem. Hinc illa, quam dicit Basilius, nata *Ecclesiae vox,* (2) atque psalmodia, eius *hymnodiae filia,* ut a decessore Nostro Urbano VIII appellatur, (3) *quae canitur assidue ante sedem Dei et Agni,* quaeque homines, in primis divino cultui addictos docet, ex Athanasii sententia, *qua ratione Deum laudare oporteat quibusque verbis decenter* confiteantur. (4) Pulchre ad rem Augustinus: *Ut bene ab homine laudetur Deus, laudavit se ipse Deus; et quia dignatus est laudare se, ideo invenit homo, quemadmodum laudet eum.* (5)

Accedit quod in Psalmis mirabilis quaedam vis inest ad excitanda in animis omnium studia virtutum. Etsi enim *omnis nostra Scriptura, cum vetus tum nova, divinitus inspirata utilisque ad doctrinam est, ut scriptum habetur;... at Psalmorum liber, quasi paradisus omnium reliquorum* (librorum fructus) *in se continens, cantus edit, et proprios insuper cum ipsis inter psallendum exhibet.* Haec iterum Athanasius, (6) qui recte ibidem addit: *Mihi quidem videtur, psallenti Psalmos esse instar speculi, ut et seipsum et proprii animi motus in ipsis contempletur, atque ita affectus eos recitet.* (1) Itaque Augustinus in Confessionibus: *Quantum,* inquit, *flevi in hymnis et canticis tuis suave sonantis Ecclesiae tuae vocibus commotus acriter! Voces illae influebant auribus meis et eliquabatur veritas in cor meum et exaestuabat inde affectus pietatis et currebant lacrimae et bene mihi erat cum eis.* (2) Etenim, quem non moveant frequentes illi Psalmorum loci, in quibus de immensa maiestate Dei, de omnipotentia, de inenarrabili iustitia, aut bonitate, aut clementia, de ceterisque infinitis laudibus eius tam alte praedicatur? Cui non similes sensus inspirent illae pro acceptis a Deo beneficiis gratiarum actiones, aut pro expectatis humiles fidentesque preces, aut illi de peccatis clamores poenitentis animae? Quem non admiratione psaltes perfundat, cum divinae benignitatis munera in populum Israel atque in omne hominum genus profecta narrat, cumque caelestis sapientiae dogmata tradit? Quem denique non amore inflammet adumbrata studiose imago Christi Redemptoris, cuius quidem Augustinus (3) *vocem in omnibus Psalmis vel psallentem, vel gementem, vel laetantem in spe, vel suspirantem in re* audiebat?

Iure igitur optimo provisum est antiquitus, et per decreta Romanorum Pontificum, et per canones Conciliorum, et per monasticas leges, ut homines ex utroque clero integrum Psalterium per singulas hebdomadas concinerent vel recitarent. Atque hanc quidem legem a patribus traditam decessores Nostri S. Pius V, Clemens VIII, Urbanus VIII in recognoscendo Breviario Romano sancte servarunt. Unde etiam nunc Psalterium intra unius hebdomadae spatium recitandum foret integrum, nisi mutata rerum condicione talis recitatio frequenter impediretur.

Etenim procedente tempore continenter crevit inter fideles eorum hominum numerus, quos Ecclesia, mortali vita defunctos, caelicolis accensere et populo christiano patronos et vivendi duces consuevit proponere. In ipsorum vero honorem Officia de Sanctis sensim propagari coeperunt, unde fere factum est, ut de Dominicis diebus deque Feriis Officia silerent ideoque non pauci neglegerentur Psalmi, qui sunt tamen, non secus ac ceteri, ut Ambrosius ait, (4) *benedictio populi, Dei laus, plebis laudatio, plausus omnium, sermo universorum, vox Ecclesiae, fidei canora confessio, auctoritatis plena devotio, libertatis laetitia, clamor iucunditatis, laetitiae resultatio.* De huiusmodi autem omissione non semel graves fuerunt prudentum piorumque virorum querimoniae, quod non modo

(1) *Hebr.* 13, 15. — (2) Homil. in Ps. 1, n. 2. — (3) Bulla « *Divinam Psalmodiam* ». — (4) Epist. ad Marcellinum in interpret. Psalmor. n. 10. — (5) In Psalm. 144, n. 1. — (6) Epist. ad Marcell. cit. n. 2.

(1) Op. cit. n. 12. — (2) Lib. IX, cap. 6. — (3) In Ps. 42, n. 1. — (4) Enarrat. in Ps. 1, n. 9.

hominibus sacri ordinis tot subtraherentur praesidia ad laudandum Dominum et ad intimos animi sensus ei significandos aptissima, sed etiam quod optabilis illa in orando varietas desideraretur, ad digne, attente, devote precandum imbecillitati nostrae quam maxime opportuna. Nam, ut Basilius habet, *in aequalitate torpescit saepe, nescio quomodo, animus atque praesens absens est: mutatis vero et variatis psalmodia et cantu per singulas horas, renovatur eius desiderium et attentio instauratur.* (1)

Minime igitur mirum, quod complures e diversis orbis partibus sacrorum Antistites sua in hanc rem vota ad Apostolicam Sedem detulerunt, maximeque in Concilio Vaticano, cum hoc inter cetera postularunt, ut, quoad posset, revocaretur consuetudo vetus recitandi per hebdomadam totum Psalterium, ita tamen ut clero, in sacri ministerii vinea ob imminutum operariorum numerum iam gravius laboranti, non maius imponeretur onus. Hisce vero postulationibus et votis quae Nostra quoque ante susceptum Pontificatum fuerant, itemque precibus, quae deinceps ab aliis Venerabilibus Fratribus piisque viris admotae sunt, Nos equidem concedendum duximus, cauto tamen, ne recitatione integri Psalterii hebdomadae spatio conclusa, ex una parte quicquam de Sanctorum cultu decederet, neve ex altera molestius Divini Officii onus clericis, immo temperatius evaderet. Quapropter implorato suppliciter *Patre luminum*, corrogatisque in id ipsum suffragiis sanctarum precum, Nos vestigiis insistentes decessorum Nostrorum, aliquot viros delegimus doctos et industrios, quibus commisimus, ut consiliis studiisque collatis certam aliquam reperirent rei efficiendae rationem, quae Nostris optatis responderet. Illi autem commissum sibi munus e sententia exsequentes novam Psalterii dispositionem elaborarunt; quam cum S. R. E. Cardinales sacris ritibus cognoscendis praepositi diligenter consideratam probassent, Nos, utpote cum mente Nostra admodum congruentem, ratam habuimus in rebus omnibus, id est, quod ad ordinem ac partitionem Psalmorum, ad Antiphonas, ad Versiculos, ad Hymnos attinet cum suis Rubricis et Regulis, eiusque editionem authenticam in Nostra typographia Vaticana adornari et indidem evulgari iussimus.

Quoniam vero Psalterii dispositio intimam quamdam habet cum omni Divino Officio et Liturgia coniunctionem, nemo non videt, per ea, quae hic a Nobis decreta sunt, primum Nos fecisse gradum ad Romani Breviarii et Missalis emendationem: sed super tali causa proprium mox Consilium seu Commissionem, ut aiunt, eruditorum constituemus. Interim, opportunitatem hanc nacti nonnulla iam in praesenti instauranda censuimus, prout in appositis Rubricis praescribitur: atque imprimis quidem ut in recitando Divino Officio Lectionibus statutis sacrae Scripturae cum Responsoriis de tempore occurrentibus debitus honor frequentiore usu restitueretur; dein vero ut in sacra Liturgia Missae antiquissimae de Dominicis infra annum et de Feriis, praesertim quadragesimalibus, locum suum recuperarent.

(1) Regulae fusius tractatae, interrog. 37, n. 5.

Itaque, harum auctoritate litterarum, ante omnia Psalterii ordinem, qualis in Breviario Romano hodie est, abolemus eiusque usum, inde a Kalendis Ianuariis anni millesimi nongentesimi decimi tertii, omnino interdicimus. Ex illo autem die in omnibus ecclesiis Cleri saecularis et regularis, in monasteriis, ordinibus, congregationibus, institutisque religiosorum ab omnibus et singulis, qui ex officio aut ex consuetudine Horas canonicas iuxta Breviarium Romanum, a S. Pio V editum et a Clemente VIII, Urbano VIII, Leone XIII recognitum, persolvunt, novum Psalterii ordinem, qualem Nos cum suis Regulis et Rubricis approbavimus typisque Vaticanis vulgandum decrevimus, religiose observari iubemus. Simul vero poenas in iure statutas iis denuntiamus, qui suo officio persolvendi quotidie Horas canonicas defuerint; qui quidem sciant se tam gravi non satisfacturos officio, nisi Nostrum hunc Psalterii ordinem adhibeant.

Omnibus igitur Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus ceterisque ecclesiarum Praelatis, ne Cardinalibus quidem Archipresbyteris patriarchalium Urbis basilicarum exceptis, mandamus, ut in sua quisque dioecesi, ecclesia vel coenobio Psalterium cum Regulis et Rubricis, quemadmodum a Nobis dispositum est, constituto tempore inducendum curent: quod Psalterium quasque Regulas et Rubricas etiam a ceteris omnibus, quoscumque obligatio tenet recitandi vel concinendi Horas canonicas, inviolate adhiberi ac servari praecipimus. Interim autem cuilibet et capitulis ipsis, modo id maior capituli pars sibi placere ostenderit, novum Psalterii ordinem, statim post eius editionem, rite usurpare licebit.

Haec vero edicimus, declaramus, sancimus, decernentes has Nostras litteras validas et efficaces semper esse ac fore; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, generalibus et specialibus, ceterisve quibusvis in contrarium facientibus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae abolitionis, revocationis, permissionis, iussionis, praecepti, statuti, indulti, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarna-

tionis Dominicae millesimo nongentesimo undecimo; Kalendis Novembribus, in festo Sanctorum omnium, Pontificatus Nostri anno nono.

A. Cardinalis AGLIARDI
S. R. E. Cancellarius.

Fr. Seb. Cardinalis MARTINELLI
S. R. C. Praefectus.

Loco + Plumbi

VISA
M. Riggi C. A., *Not.*

Reg. in Canc. Ap. N. 571.

(Rubricas in recitatione divini officii et in Missarum celebratione servandas ad normam Constitutionis « Divino afflatu » in proximo numero referemus.)

II.

MOTU PROPRIO

de trahentibus clericos ad tribunalia iudicum laicorum.

Quantavis diligentia adhibeatur in condendis legibus, saepe non licet dubitationem praecaveri omnem, quae deinceps ex earum callida interpretatione queat exsistere. Aliquando autem iurisperitorum, qui ad rimandam naturam vimque legis accesserint, tam diversae inter se sunt sententiae, ut quid sit lege constitutum, non aliter constare, nisi per authenticam declarationem, possit.

Id quod videmus contigisse, postquam Constitutio *Apostolicae Sedis* promulgata est, qua Censurae latae sententiae limitantur. Etenim inter scriptores, qui in eam Constitutionem commentaria confecerunt. magna orta est de ipsius capite VII controversia; utrum verbo *Cogentes* legislatores personaeque publicae tantummodo, an etiam homines privati significentur, qui iudicem laicum, ad eum provocando actionemve instituendo, cogant, ut ad suum tribunal clericum trahat.

Quid valeret quidem hoc caput, semel atque iterum Congregatio Sancti Officii declaravit. — Nunc vero in hac temporum iniquitate, quum ecclesiasticae immunitatis adeo nulla solet haberi ratio, ut non modo Clerici et Presbyteri, sed Episcopi etiam ipsique S. R. E. Cardinales in iudicium laicorum deducantur, omnino res postulat a Nobis, ut quos a tam sacrilego facinore non deterret culpae gravitas, eosdem poenae severitate in officio contineamus. Itaque hoc Nos Motu Proprio statuimus atque edicimus: quicumque privatorum, laici sacrive ordinis, mares feminaeve, personas quasvis ecclesiasticas, sive in criminali causa sive in civili, nullo potestatis ecclesiasticae permissu, ad tribunal laicorum vocent, ibique adesse publice compellant, eos etiam omnes in excommunicationem latae sententiae speciali modo Romani Pontifici reservatam incurrere.

Quod autem his litteris sancitum est, firmum ratumque esse volumus, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die IX mensis Octobris MCMXI, Pontificatus Nostri anno nono.

PIUS PP. X.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Consistoriali.

Declaratio circa facultatem dispensandi presbyteros ab irregularitate.

Proposito dubio « utrum, vi decisionis huius S. Congregationis Consistorialis diei 27 Februarii 1909, facultas concedendi presbyteris dispensationem ab irregularitate, sive haec oriatur ex delicto, sive ex defectu, spectet ad S. Congregationem de Sacramentis, an potius ad S. Congregationem Concilii »; SSmus. D. N. Pius PP. X, attentis votis tum a Secretis utriusque Congregationis de Sacramentis et Concilii, tum huius S. Congregationis Consultorum, mandavit ut responderetur: « dispensationem ex defectu reservari ad S. Congregationem de Sacramentis; ex delicto autem ad S. Congregationem Concilii ». (Ex decr. d. XXVIII Novembr. an. MCMXI).

Ex Congregatione Rituum.

Dubia circa festum Commemorationis solemnis SSmi. Corporis D. N. I. C.

I. — Utrum adveniente festo Commemorationis solemnis Sanctissimi Corporis D. N. I. C., continuari adhuc debeant octavae inchoatae, et an sua octava gaudeat festum aliquod duplex primae classis intra hanc octavam privilegiatam occurrens?

Resp. — Affirmative ad utrumque.

II. — An dies octava praefatae Commemorationis solemnis Sanctissimis Corporis D. N. I. C. excludat duplicia primae classis occurrentia?

Resp. — Affirmative, excepto festo SS. Apostolorum Petri et Pauli. (Ex decr. d. XVII mens. Novemb. MCMXI).

Dubia varia.

I. — Celebrans et ministri, qui in Missa solemni diei festi Annuntiationis B. M. V. nec non SS. Natalis D. N. I. C. genuflectunt quando a choro cantantur verba: « Et incarnatus est » etc., genuflectere ne debent etiam quando eadem verba simul recitant ad altare?

Resp. — Affirmative.

II. — In vigilia Festi alicuius Sancti, cuius nomen continetur in Canone Missae, celebrans debet ne caput inclinare quum idem nomen pronuntiat?

Resp. — Affirmative iuxta Rubricas Missalis de Ritu celebrandi Missam tit. V, n. 2.

III. — Festum S. Stephani Pp. M. insignis Collegiatae Titularis, in tota Civitate Rodigii iamdiu celebrari solet sub ritu duplici I classis cum octava. Quaeritur utrum in tota eadem civitate «Credo» in Missa recitari possit ac debeat.

Resp. — Negative et servetur Decretum n. 2189 *Perusina,* 23 Martii 1709. (Ex decr. d. XXIV mens. Novemb. MCMXI).

Ex Secretaria Status.

Declaratio authentica circa indultum de abstinentia et ieiunio pro America Latina per Secretariam Status editum die I mens. Ianuarii MCMXI.

Circa Indultum de abstinentia et ieiunio pro America Latina, per Secretariam Status editum die I Ianuarii 1910, ea quae sequuntur dubia revmus. Vicarius Apostolicus Guyanae Britannicae humiliter Sanctae Sedi dirimenda proposuit:

I. — Utrum Nigritae et Indi, qui privilegiis gaudentes per Constitutionem Leonis f. r. PP. XIII «Trans oceanum» concessis, ieiunare tenentur solummodo feriis sextis quadragesimae, Sabbato Sancto et in pervigilio Nativitatis Domini, vi praefati indulti a ieiunio eximantur etiam Sabbato Sancto et in pervigilio Nativitatis D. N. I. C.?

II. — Utrum diebus, quibus hoc indulto frui licet, firma maneat prohibitio miscendi carnes et pisces?

III. — Quatenus affirmative ad II., utrum haec prohibitio etiam Nigritas et Indos respiciat?

SSmus. D. N. Pius PP. X, referente Cardinali a Secretis Status, die XIII mens, Decembris MCMXI, respondendum decrevit:

Ad I. — Sufficienter provisum per art. XIII Constitutionis «Trans oceanum» diei XVIII mens. Apr. MDCCCXCVII, ideoque ambo privilegia seu indulta cumulari posse.

Ad II. — Affirmative, nisi obtineatur speciale indultum apostolicum.

Ad III. — Affirmative ut in II.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Decembri MCMXI).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Manus catholicorum ex dioecesibus Westmonasteriensi, Neo-Eboracensi, Parisiensi ad grates Pontifici agendas ob episcopos suos sacra Purpura honestatos; Thomas Iosephus Shahan, rector catholici athenaei Washingtoniensis; Carolus Badeni, Comes, a secretis Austrorum legationis apud Belgas; Cracoviensis municipii legati qui Romam advenerunt ut novi episcopi sui Adam Sapieha consecrationi, ab ipso Pontifice peractae, adstarent; Pontificia commissio ad Breviarii Romani reformationem delecta, a r. p. d. Petro Lafontaine, episcopo tit. Charistien., eius preside, coram adducta; De Pimodan, Comes; Blumensthil, Comes; Armandus Nisard, Gallicae quondam legationi praepositus apud Apostolicam Sedem; Carolus Giustiniani Bandini, Montis Draconis Dux; Gustavus Sardi, Marchio; Sacer Purpuratorum Senatus, Legati omnes exterarum nationum, Pontificiaeque Domus antistites et aulici omina in novum annum SSmo. offerentes.

Pontificiae electiones.

— Decreto S. Congregationis de Propaganda Fide r. p. Iulius Moury e Seminario Lugdunensi pro Missionibus Africae, episcopus tit. Ariassen. et Vicarius Littoris Eburnei nominatus est.

— R. p. d. Franciscus Maturinus Guichard, episcopus tit. Toronen., inter episcopos Pontificio Solio adstantes recensetur.

— R. p. d. Carolus Algernon Stanley, episcopus tit. Emmausien., et r. d. Carolus Perosi inter Consultores adleguntur S. Congregationis Consistorialis.

— R. d. Orestes Giorgi a secretis S. Congregationis Concilii; et r. d. Carolus Perosi Summi Magistri criminibus expiandis adiutor a rescriptis dicuntur.

Varia.

Die XVII mens. Decembris MCMXI SS. D. N. Pius PP. X in Xystino sacello emum. p. d. Caietanum De Lai, Sabinorum episcopum; r. p. Pium de Langogne, archiepiscopum tit. Corinthium; et Adam Sapieha episcopum Cracovien. sollemni ritu consecrat.

ANNALES

Annus MCMXI

Qui annus hisce diebus praeteriit, gravibus eventibus peculiaribusque notis insignis evasit.

Post tria decennia, — ex quo scilicet inter Russos ac Turcas dimicatum est, — quod nunc cum ipsis Turcis bellum Itali gerunt, primum certamen est magnarum in Europa civitatum, licet extra Europam certisque finibus pugnetur. Ceterum alia quoque nationum Europaearum negotia extra Europam agitantur, ut Mauritana res, Persicae quaestiones et ipsa quae adhuc perdurat rebellio ad Sinense imperium evertendum. Quibus ex rebus facile apparet, Europae politica commoda magis magisque in dies ad sese inter varias orbis regiones diffundendum tendere, indeque effici talem rationum contextum, ut latae conflagrationes possibiles forent, nisi in periculo ipso potens frenum pro pace constitueretur.

Hac de causa anno MCMXI et devitatas vidimus periculorum plenas decertationes, (quarum praesertim illam commemorabimus quae oritura videbatur inter Anglos et Germanos circa Mauritani problematis resolutiones), et Italiam audivimus sponte profitentem militarem actionem suam certis limitibus iri circumscriptum, ne «status quo» in Balkanicis regionibus perturbaretur, atque, si egerit ne-

cessitate, quam vitare non potuisset, impulsam, se tamen curaturam ut belli consectaria quam maxime coangustarentur.

Cuius quidem belli vices Italis favorabiles omnino manent, qui ultra procedentes, hinc ad Lebdae ruinas, inde, post Ain-Zara strenue atque impavide captam, ad desertorum limina pervenerunt, seque operibus munitionibusque circumductis sepserunt.



Mauritanae res proclinari videbantur, quum Galli ad Fez urbem expedito exercitu profecti sunt, Hispani Larrache atque El Ksar loca occuparunt, ac Germani *Panther* bellicam navem ad Agadir portum miserunt. Sequutae sunt inter Germanos et Gallos, (quibus Angli faverunt), negotiationes; pluribusque difficultatibus, iisque non parvi momenti, hinc inde superatis, ad pactionem illam ventum est, de qua alias mentionem fecimus; quaeque a ceteris Europae nationibus rata habita, nunc Gallici Senatus supremam sanctionem exspectat.



Alia quaestio, quae, uti supra diximus, tamquam «internationalis» consideranda est, Persidis imperium respicit; idque tum ob praecedentes conventiones pactas inter Anglos, Russos et Germanos, tum quod, veluti proximum, Turcarum imperium in ea et ipsum quodammodo implicetur. Controversia, inter Russiam et Persidem exorta, Russorum arma in hanc regionem adduxit, at, iuxta testificationes, praesertim Anglicas, modus aliquis brevi invenietur, quo, specie saltem, Persici Caesaris primatus servetur.



Sinenses cruenti motus, quamquam, si apparentem eorum finem respexeris regiam domum solio detrudendi, in imperii finibus contineri putaveris, revera in alias nationes repercuti poterunt, in Iaponiam prae omnibus et Angliam; quae, si necessitas postulaverit, nihil profecto omittent, ut quaestioni «internationalem» notam attribuant; quemadmodum aliis etiam in casibus per elapsum annum obortis occurrit, uti tractationibus inter Hispaniam et Galliam de Mauritania, commercii foederi inter Russiam et Septentrionalis Americae Foederatas Civitates dirempto; itemque novis pactionibus a Russia cum Iaponia initis de ultimo Oriente; certis denique legibus a Foederatis Septentrionalis Americae Civitatibus, a Gallia et Anglia inter se constitutis de arbitris adeundis.

In quibus omnibus tamen — et in quaestione etiam Cretensi, quae nihil obstante impatienti civium sollicitudine immutata permansit — quum civilis rationis animus in universum paci confidit, sperandum est et oriente hoc anno ab hac fide ipsum non recessurum.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Anglia** novae latae ab administris testificationes de amicitia cum Germania deque consensu cum Russico Imperio de huius iuribus tutandis in Perside; deinde coetus sessio conclusa.

In **Austria** rationes acceptorum et expensarum pro tempore approbatae.

In **Gallia** quamquam de conventionibus cum Germania circa Mauritaniam acriter est disceptatum, suffragia tamen favorabilia administrorum collegio late cesserunt. In Senatu lata lex de operariorum pensionibus reformandis.

In **Germania** post declaratas ab Imperii Cancellario pactiones cum Gallia de Mauritania, et confirmata amicitiae vincula cum Anglis, publicus coetus dimissus, novaque comitia ad mensem Ianuarium indicta.

In **Lusitania** rogatio legis oblata de classi renovanda.

In **Russia**, frustra obsistentibus Polonis, lata lex de nova Polonae provinciae partitione circa eius administrationem.

In **Turcarum imperio** rogatio legis a Said, supremo administro, oblata ad Imperii constitutionem ita reformandam, ut liceat Caesari, quum voluerit, publicum legatorum coetum per decretum dimittere, in tantas difficultates incurrit, ut administrorum collegium omne se munere abdicaverit.



PER ORBEM

Die III mens. Decembris MCMXI, Camberii, vetustum episcoporum palatium, recens inter historica Galliae monumenta adnumeratum, fortuito incendio absumitur.

— d. VII novae aviationis victimae in Anglia lugentur, Oxlei et Weiss.

— d. VIII Anglorum rex et regina Delhi in Indis perveniunt, immensa hominum multitudine ovante ac gratulante.

— d. XI Lutetiae Parisiorum Robertus Fleury, et Londini Alfonsus Legros, pictores praeclari, supremum obeunt diem.

— d. X in Atlantico Oceano atra procella furit magna tum navium, tum litorum iactura.

— d. XII Stocolmae solemni ritu Nöbelia praemia huius anni addicuntur: pro physice Guilelmo Wien, Bavarico doctori, ob leges de caloris radiatione ab eo traditas; pro chemice dominae Curie ob inventa «radium» ac «polonium»; pro medica arte Upsalensi doctori Guestrand ob eius studia circa oculi dioptricam; pro litteris Mauritio Maeterlink.

— d. XII Hispanica regia domus nova principe foemina hodie nata augetur.

— d. XIII Georgius V, Anglorum rex, Delhi, in nova Indorum urbe capite, Indiarum Imperator sollemni apparatu renunciatur.

— d. XIV Anglica vectoria navis *Delhi*, aequoribus vento increscentibus, in syrtes promontorii Spartel offendit. Viatores, inter quos de Fife Duces e regali Anglorum genere, sospites evadunt; nautae vero nonnulli, tum Angli, tum Galli auxilio venientes, undis submerguntur.

— d. XXIII Lutetiae Parisiorum vita fungitur Lannelongue, medicinae doctor insignis; et Barcinone, vix quinquaginta annos natus, Ioannes Maragal, Catalauniae poeta clarissimus.

Horribiles nimbi a Freto Britannico per Galliam ad Mediterraneum mare ingentia damna apportant.

— d. XXVI Paulus Mariéton, Narbonensis Galliae criticus atque historicus, praesertim ob Arausiense theatrum refectum de patria sua optime meritus, Nicaeae ad Varum obit. Natus erat Lugduni, d. XIV mens. Octobris MDCCCLXII.

Genuae repentino morbo corripitur Eduardus Pulciano, illius metropolitanae ecclesiae episcopus, nobili genere Augustae Taurinorum natus d. XVIII Novembris MDCCCLII.

— d. XXX exploratrix bellica Italorum navis *Nino Bixio*, Stabiae, feliciter in mare immittitur.

— d. XXXI, Genuae, ingenuarum artium aedes ob aerium ignem dispersum et fortuito incensum valde pessumdantur.

IOCI

Infirma promissio.

Aes mihi post reditum promittis, stulte, daturum,
Pro reditu sponde sed, Fabiane, tuo.

Superbissimus.

Aegre, Commode, ferre ais superbos
Et longe cupis, arguisque semper;
Sed tu non patiens, reor, superbos,
Horum maximus omnibus patescis.
Nam tu non vitium arguis, sed optas
Te nemo ut superet, tibi vel obstet.

Locupletatus.

Sollicitae demum vicisti incommoda vitae
Centum lucratus millia bis quatuor.
Haud satis ista, quibus stertas vigilesque beatus,
Ut vitae vincas fata, Cyrille, manet.

Eques avarus.

Non equitem factum te olim gestabat asellus,
Quem tibi proposuit, Pamphile, avarities;
Ecce quod ambieras, munus te exornat equestre,
Tunc dixi ambitui cessit avarities.
Temet sed contra exornatum munere equestri,
Me demirato, gestat asellus adhuc.
Haec quae iunxisti vitiorum, Pamphile, dicam,
Profecere ut eques sis equitans asinum.

***

Magister et discipulus:

— Hodie mane periculum in lingua graeca tibi minime prospere cessit.

— Dic, quaeso, magister, in quo peccaverim.

— Anacreontem italice loquutum fecisti, instar temulenti.

— Atqui servavi personam eius vino deditissimi.

— Ebriosus fertur fuisse ille quidem; tu vero ita exhibuisti, vix ut vestigio suo posset haerere.

AENIGMATA

I.

Sum verbum? Potero te compellare canentem.
Sum nomen? Fures a lare pello tuo.

II.

Fortis venator peragrabam devia saltus;
Nunc rutilum caeli sum decus astriferi.
Principium muta: divinus fio poeta,
Quem delphin quondam fluctibus eripuit.

F. P.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHII
DE ORATORIBUS ROMANIS
ACROASIS

Aenigmata an. XIV, n. X proposita his respondent:

1) **S-pica;**
2) **Sus-tinea-mus.**

Ea rite soluta miserunt:

Lad. Lud. Podobinski, *Neo Sandecia.* — Dr. Modestus Ketyeih, *Koszeg.* — Aug. Scriban, *Iassiis.* — Zowinski praep., *Zerków.* — Lucius Rhaetus, *Bucarestino.* — Fr. Baturewicz, *Zytomiria.* — Ad. Kozlowski, *Petricoria.* — P. C. Peltenburg, *Soeterwonde ad Lugdunum Batavorum.* — Alois. Cappelli, *Senis.* — I. M. Meunier, *Corbiniaco.* — A. P. Gest, *Trentonio.* — Ioan. Galbiati; F. Arnori, *Mediolano.* — Lud. Kobierzycki, *Leów.* — Am. Robert, *S. Ioanne in Canada.* — St. Kempa, *Strosisca.* — Ioan. Sismondo, *Casali Montisferrati.* — Petrus Tergestinus. — Rich. Brondel, *Brugis.* — Rich. Muller, *Berolino.* — Iac. Costa, *Dumio.* — F. Corea, *Emerita.* — Lud. Dubois, *Massilia.* — Frid. Horwath, *Vindobona.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — Alf. Martinez, *Badaiocio.* — Lud. Goux, *Bituricis.* — Ben. Savio; Barth. Ferraris, *Augusta Taurinorum.* — Alex. Pintauro; Vincentius Starace, *Neapoli.* — F. Ricci, *Florentia.* — A. Bounin, *Aureliano.* — P. Prado, *Venetiis.* — F. Guerra, *Aletio.* — Iac. Fernandez, *Mexico.* — Clem. Fiard, *Curia Rhetorum.* — Hern. Forgeot, *Nicaea ad Varum.* — R. Richi, *Traianopoli.* — F. X. M., *Drepano.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — Eug. Dolmar; Mart. Dunne, *Neo Eboraco.* — I. Ciolli, *Papia.* — Nic. Lagumina, *Panormo.* — Iac. Cordara, *Parentio.* — I. Martins, *Philadelphia.* — Ant. Masia, *Tarragona.* — Alb. Cattean, *Lugduno.* — Alb. Kain; Ant. Whiteside, *Dublino.* — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio.* — Arch. Magliano, *Genua.* — Iac. Menendez, *Madrito.* — F. Ortiz, *Morelia.* — Raim. Silvan, *Londino.* — Nic. Endrigi, *Salisburgo.* — Georg. Archambeault, *Quebeco.* — Fr. Salvatore, *Syracusis.* — St. Dantas, *Natal in Brasilia.*

Sortitus est praemium:

MARTINUS DUNNE,

ad quem missa est I. B. FRANCESIA comoedia latinis versibus scripta cui titulus:

SATURIO

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina *Societatis Editricis Romanae.*

EUPLIUS

(14

Actio dramatica a I. B. Francesia versibus senariis exarata.

Euplius.

Puer, qui ligneae pertentat cuspidis
Ictu columnam marmoris perfodere,
Vel ut quondam montes iunxit qui montibus
Tiphaeus vester perperam cum sociis,
Est ille Christum nititur qui perdere.
Amas si Caesarem, si vis imperium
Iure late duit devictis gentibus,
Fac ut christiana sancta relligio
Tradatur cunctis libere nationibus,
Colatur undique citra molestiam.
Et illud saeculum quod Saturnus tulit,
Beatos reddidit per orbem populos,
Redibit denuo! Furta, flagitia,
Cuncta quae turbant homines et opprimunt,
Disparent subito, quasi ex composito,
Una dominetur Christi si relligio!

Calvisianus.

Satis sed iam datum tuis cautionibus.
Ad rem veni! Potin' es paucis dicere
Si Christum linques, libros si des Caesari?

Euplius.

A me nimis gravem petis rem; denegem
Ut illi caelum fecit qui terras condidit,
Tradens cruci se se, necem asperam tulit.....
Ad quid? Meam modo ut salvaret animam.....
Nunquam ne abo!

Calvisianus.

Ergo tu spernis Caesarem?

Euplius.

Nequaquam!

Calvisianus.

Caesar hanc sectam sequi prohibet!
Sequi sis ipsam, spernis manda a Caesaris!
Manent te probra, flagella, supplicium!...

Euplius.

Omnia quae sufferam citra molestiam!
Ut utar dummodo Christo in caelestibus.

Nonnulli cives.

Oh! magnum virum!

Alii.

Pectus o fortissimum!

SCENA V.

Volusius et dicti.

Volusius.

(Ingreditur citato gradu, et magna voce Calvisiano loquitur.)

Haec dies sacra Caesaris memoriae
Ne deturpetur sanguinis supplicio!
Calvis ane, differ hanc sententiam...
Pectore fortassis cogitans in crastinum,
Hic mentem mutet! Diem ne macula,
Albo lapillo signandam, turpi crimine!
Quid in Christianos tu saevire autumas?
Obediunt cunctis Caesaris legibus...
Opem dant miseris, stipem pauperibus...
Suum sed adorant Numen prae ceteris.
Error quidem, fateor, nullis sed noxius!
Suis cultoribus pondus est unice.
Da tempus, innova datum consilium.

Calvisianus *(ad Euplium)*.

Tuis in manibus stabit sententia.
Quod ante dixeras, bone Eupli, reproba!
Da gloriam Caesari, adora Numina!

Euplius.

Tibi do gratias, Volusi, plurimas,
Mihi quod in rebus ni aris dubiis
Dare opem! Sed nihil prorsus optatius,
Crede, contigerit, vitam quam ponere
Pro Christi placitis, pro Christi nomine!
Cur tu, Volusi, clare tot virtutibus,
Ignoras admodum Christi sapientiam?
Nos laude tollimus Archimedis merita,
Quod ipse vitam posuit pro patria;
Nos vitam ponimus laeti pro fratribus,
Pro Christo; nobis fecit se victimam
Suoque seculum redemit sanguine.

Maximus.

Desine tandem loqui. Fateris Caesarem?

Calvisianus.

Negas Deum Christum? Antea errasse praedicas?

Euplius.

Christi volo fidum vivere discipulum!

Maximus.

Adhuc moremur hic?

Calvisianus.

Loquatur gladius!

Nonnulli ethnici *(tumultuatim)*.

Mori debet!

Maximus.

Quod iussa fregit Caesaris!

Calvisianus.

Rebellis Caesari, damneris capite!

Supradicti ethnici.

Damnetur!

Euplius.

Catani, morior sed innocens,
Et omne vobis donum adprecans a Deo!
At usque amplector libros, vos, carissimos,
Meoque martyris conspergo sanguine.

Ethnici.

Sile.

Maximus.

Impius damnetur ad supplicium! (1)

Volusius.

Ehu! quo vos partium ducit, cives, odium!
Erit quis iustior? Sanctior Euplio?
Et occidistis! Heu! Quod vituperium!
Tentamus opus omnium novissimum. (2)

(Ad proximum numerum).

(1) *Milites ducunt Euplium extra scenam ad supplicium.*
(2) *Citato cursu introgreditur suprema acturus in libertatem Euplii.*

Ann. XV. ROMAE, Mense Februario MCMXII Num. II.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

RELIGIONIS CONCEPTUS

Positivismi blasphema sententia fuit: « Extinctis diis Deoque successit humanitas ». Propter quae omnia Rationalistis quibusdam laetanter concludere placuit: « Non amplius Christiani sumus, neque Christianismus amplius existit, neque homo, si rationem sequitur, amplius credit; denique *religio* quaelibet extincta est. » At, proh dolor! neque Positivismo, neque Rationalistis res bene cessit! Hominum studia circa Religionem aetate nostra vividius creverunt, atque formae etiam Religionis innumerae ortae sunt. Hinc penes Positivistas atque Subiectivismo addictos in Libris atque Ephemeridibus de Religione tractantibus, denominationes huiusmodi habentur: « Religio medici, Religio laici, Religio spiritus, cultus, progressus, sensus, pugnae, libertatis, timoris, amoris, experientiae, lucis, sapientis, quaerentis Deum, filiorum Dei, Humanitatis, Religiones spiritus et auctoritatis, Religio Atheismi, Deismi, Liberalismi, negationis Dei. » (1) Haec omnia vel ex religionis ignorantia, vel ex animi protervia, vel ex impietate dicta esse, neminem latet. Perutile igitur ducimus Religionis genuinum conceptum firmiter stabilire ac sobrie illustrare.

Recensitis ideo Religionis conceptibus, qui penes Positivistas atque Subiectivismi fautores, necnon Modernistas vigent, catholicum Religionis conceptum, Angelico Praeceptore duce, trademus.

***

Penes Positivistas infimae notae, Religio est: » Illusio quaedam, illusionum medicina, suipsius deceptio, populorum ruina, periculum pro humani intellectus sanitate, crimen et venenum quoddam, quaedam hominis factura, sensus quidam intimus hominis qui sibi ipsi Deos fingit, vera humanae naturae magìa, quaedam phantasiae creatio, quidam gradus egoismi altissimus, quaedam proprii *Ego* divinatio et veneratio, quaedam personalis elevatio *Ego* humani ad Deum ignotum et incomprehensibile, (1) ita ut iuxta Subiectivismi placita, Religio definienda sit: « Quaedam sensuum atque religiosarum inclinationum manifestatio, in qua nulla revelatio, nullum dogma, nullaque habetur auctoritas, immo dogmata et revelatio vel non substantialia religioni sint, vel causa erroris, auctoritas vero, eiusdem sit impedimentum ».

Nobilius de religione ipsa tenent atque sentiunt quidam Subiectivismi fautores. Pro istis, religio cogitationibus, actionibus, hominisque sensibus scopum ac directionem assignat; non est sola theoria, sed vita; est quaedam personalis et viva manifestatio eorum quae formam altissimam humanae activitatis esse existimantur; est fides quaedam in res sensibus subiectisque finitis superiores; est manifestatio actionum quarumdam religiosarum, quae religiosae commotionis symbola signaque sunt; est conscientia quaedam divini, illiusque elementa divino quod in homine existit respondent, est res ab hominis intellectu comprehensa, manifestatio externa rationalis commotionis; est fides in divinum; est indissolubilis unio intellectus, sensus ac voluntatis; est vita quaedam, credere quoddam, ritus quidam. (2)

Religio, existimant alii, est « sensus absolutus independentiae nostrae; est desiderium quod per orationem, sacrificium ac fidem manifestatur; est sensus nostrarum obligationum, quae in divinis praeceptis fundantur, est facultas spiritualis, quae a sensibus necnon ab intellectu independens, reddit hominem ad infinitum percipiendum aptum; est problema quoddam, non axioma

(1) Cfr. WEISS *Die Religiöse Gefahr*, IV, 51, 52; IV, 59.

(1) Cf. *Revue de l'histoire des religions* XXXI, 67 — CASSON. *The crime of credulity* (Literary Guide 1901, 102. WEISS in l. c. I, 16, 17).
(2) WATSON, *The Philosophical Basis of Religion, Lecture first.*

aliquod (1) ; est aspiratio quaedam ad Deum eiusdemque communionem, ad quam homo redditur capax per intellectum, ducitur vero per sensum. (2) Ultimis diebus, Salomon Reinach religionem definivit : « Scrupulorum complexum, quibus nostrarum facultatum liberum exercitium impeditur ».

***

Iuxta Modernistarum placita, (3) Religio est « animae humanae indestructibilium indigentiarum spontaneum consectarium, quibus indigentiis per solam internam experientiam ac commotionem divini in nobis existentis satisfieri potest ». Diffusius Modernistarum mens in Epistola Pii P. P. X « *Pascendi* » hisce verbis manifestatur : « Religio, sive ea naturalis est sive supranaturalis, ceu quodlibet factum, explicationem aliquam admittat oportet. Explicatio autem, naturali theologia deleta adituque ad revelationem ob reiecta credibilitatis argumenta intercluso, immo etiam revelatione qualibet externa penitus sublata, extra hominem inquiritur frustra. Est igitur in ipso homine quaerenda : et quoniam religio vitae quaedam est forma, in vita omnino hominis reperienda est. Ex hac *immanentiae* religiosae principium asseritur. Vitalis porro cuiusque phaenomeni, cuiusmodi religionem esse iam dictum est, prima veluti motio ex indigentia quapiam seu impulsione est repetenda : primordia vero, si de vita pressius loquamur, ponenda sunt in motu quodam cordis, qui *sensus* dicitur. Eam ob rem, quum religionis obiectum sit Deus, concludendum omnino est, fidem, quae initium est ac fundamentum cuiusvis religionis, in sensu quodam intimo collocari debere, qui ex indigentia divini oriatur. Haec porro divini indigentia, quia nonnisi certis aptisque in complexibus sentitur, pertinere ad conscientiae ambitum ex se non potest ; latet autem primo infra conscientiam, seu, ut mutuato vocabulo a moderna philosophia loquuntur, in *subconscientia*, ubi etiam illius radix occulta manet atque indeprehensa. — Petet quis forsan, haec divini indigentia, quam homo in se ipse percipiat, quo demum pacto in religionem evadat. Ad haec modernistae : Scientia atque historia, inquiunt, duplici includuntur termino ; altero externo, aspectabili nimirum mundo, altero interno, qui est conscientia. Alterutrum ubi attigerint, ultra quo procedant non habent : hos enim praeter fines adest *incognoscibile*. Coram hoc *incognoscibili*, sive illud sit extra hominem ultraque aspectabilem naturam rerum, sive intus in subconscientia lateat, indigentia divini in animo ad religionem prono, nullo, secundum *fideismi* scita, praevertente mentis iudicio, peculiarem quemdam commovet *sensum :* hic vero divinam ipsam *realitatem*, tum tamquam obiectum tum tamquam sui caussam intimam, in se implicatam habet atque hominem quodammodo cum Deo coniungit. Est porro hic *sensus* quem modernistae fidei nomine appellant, estque illis religionis initium ».

Ideoque in Modernistarum sententia, religionis *explicatio* in vita hominis, hoc est in *immanentiae religiosae* principio est reperienda ; *primordia* eiusdem in motu quodam cordis, qui *sensus* dicitur, *obiectum* denique illius Deus est. *Fides* vero, quae cuiusvis religionis initium est ac fundamentum, in sensu quodam interno qui ex indigentia divini oritur collocari debet. *Indigentia* haec divini infra conscientiam immo in *subconscientia* latet, evadit autem in religionem, quia coram *incognoscibili*, quod extra mundum extraque conscientiam est, *sensum* commovet qui hominem quodammodo cum Deo coniungit. Sensus iste est religionis initium.

Modernistarum somniis relictis, ad catholicorum de Religione conceptum procedamus.

***

Relationes hominis ad Deum per vocabula « pietatis » vel « timoris Domini » exprimit S. Scriptura, dum in S. Iacobi Epistola (I, 27) legimus : « Religio munda, et immaculata apud Deum et Patrem, haec est : Visitare pupillos, et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc saeculo ». (1)

Penes Graecos per voces « Dei cultus, boni cultus, cultus Numinis » eaedem relationes hominis ad Deum designantur ; dum Latini vocem « Religionis » adhibuerunt. Relationes huiusmodi « Religio » vocatae fuere, vel a *relectione*, vel ab *electione*, vel a *religatione*.

A relectione primo ; Tullius enim scribit (2) : « Dicti sunt religiosi ex *relegendo* ut elegantes ex eligendo, tamquam deligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes. » Ab electione secundo, quum Augustinus scribat (3) : « Ipse fons nostrae beatitudinis, ipse omnis appetitionis est finis : hunc eligentes vel potius *religentes* amiseramus enim negligentes, hunc ergo *religentes*, unde et religio dicta perhibetur ». A religatione tertio ; Lactantius enim ait (4) : « Hoc vinculo pietatis obstricti Deo et *religati* sumus : unde ipsa Religio nomen accepit, non ut Cicero interpretatus est a relegendo... Quid ergo est? Nimirum religio veri cultus est, superstitio falsi ». S. Thomas (5) hisce religionis notionibus relatis, sapienter concludit : « Sive autem religio dicatur a frequenti relectione, sive ex iterata electione eius quod negligenter amissum est, sive dicatur a religatione, religio proprie importat ordinem ad Deum. Ipse enim est cui principaliter alligari debemus tamquam indeficienti principio ; ad quem etiam nostra electio assidue dirigi debet sicut in ultimum finem ; quem etiam negligentes peccando amittimus ; et credendo, et fidem protestando recuperare debemus ». (6)

(1) Labanca — *La Religione per le Università un problema non un assioma, (Revue de l'histoire des Réligions*, XIII, 392*)*.

(2) Orpheus, *Introduct.*

(3) *Il Programma dei Modernisti*, p. 98.

(1) Cf. Ioa. XVI, 2 ; *Act.* XXVI, 5, ; *Rom.* XII, 1 ; *Col.* II, 18.

(2) *De Nat. Deorum* l. 2, 28.

(3) *De Civ. Dei.* X, 3 M. XLI, 280.

(4) *Divin. Instit., de vera Sap. et Relig.* c. 28 M. 6, 536.

(5) 2-2ae p. 81, 1.

(6) Cf. Schans. *Apologia del Cristianesimo* P. I, IV, (Trad. del Pellegrinetti).

***

Theologi catholici quidam religionem triplici sub respectu considerant :

1. prout quoddam veritatum systema, praesertim Deum, eiusque cultum spectantium, complectitur, quae a mente retinendae ac credendae sunt ;

2. prout exterius veritates illae per aliqua sensibilia signa manifestantur, ac veluti ob oculos ponuntur;

3. prout ad id quod intellectu creditur sensibusque manifestatur voluntas se in agendo conformat.

Paucis verbis, religio spectari potest *obiective,* nempe prout systema veritatum est; et *subiective* prout est *virtus. Subiective,* exprimi recte potest hisce verbis : « Debitus cultus veri Dei » ; *obiective:* « Complexio veritatum Deum, mundum et hominem, eorumque mutuam relationem spectantium, praesertim relate ad debitum cultum vero Deo praestandum ac beatitudinem homini ab ipso Deo retribuendam ». (1)

Alii aliter ad conceptum religionis assequendum procedunt, *a priori* nempe ex ipsa Dei et hominis notione; *a posteriori,* facta religiosa ab al is factis secernendo.

Primo sub respectu, notio religionis tria praesertim elementa complectitur :

a) *Doctrinam* seu dogmata ;

b) *Regulam morum ;*

c) *Principium vitae.*

Secundo sub respectu eadem elementa in religionis conceptu reperiuntur ; videlicet : *doctrina* quaedam *intellectualis,* et in hoc cum philosophia concordat ; *regula morum,* et in hoc cum ethica convenit; tandem *principium* vitae spiritualis : non enim in mera contemplatione veri et boni sistit, sed, sicut ars, verum, bonum et pulchrum amore prosequitur et attingere nititur. Differt religio a philosophia, quia haec est praesertim *speculativa* et ad cognitionem tendit, illa est principaliter *practica* et ad amorem ultimo tendit; posterior experientiae et rationi innititur, prior traditioni et revelationi. Differt religio ab ethica, quia haec nullam aliam legem nisi naturalem agnoscit; dum religio, praeter legem naturalem, positivas leges admittit. Differt religio ab arte, quia haec pulchrum praesertim *sensibile* exprimere quaerit, directe ut oculis et aesthetico sensui *placeat;* dum religio moralem pulchritudinem, vitae honestatem et sanctitatem non solum pingere sed etiam attingere nititur, ut inter Deum et hominem virtutibus ornatum intima sit unio. Religio igitur *obiective* spectata definiri potest: complexus veritatum et officiorum quibus vita nostra in Deum ordinatur.

Subiective autem est fides in Deum, seu aliquod ens invisibile et superius, quod legitimas hominis aspirationes explere valet, simulque tendentia in Eum praesertim per cultum et amorem. Ita Ad. Tanquery. (1)

Quae de religionis conceptu Angelicus senserit, ea, spatio hodie deficiente, ad proximum numerum delegamus.

Reginaldus Fei O. P.

(1) Cf. Gatti *Instit. Apol. pol.* v. 2. Diss. I. — Pesch *Fede, Dogmi* II, (Trad. Mannucci).

(1) *Synopsis Theol. Dog.* T. I c. I De conceptu, etc. Religionis.

DISPUTATIONES PHILOSOPHICAE

MODERNISTAM INTER ET THOMISTAM

Amor ultimi finis, seu boni in communi, est intrinsece actus naturalis, seu ex natura, licet in individuo possit esse liber.

Modernista. — Supra dixisti, (1) amice carissime, sicut et electionis, ita et iudicii electionis, duo esse obiecta, eademque distincta, finem nempe et medium, quorum unum, scilicet finis, ratio est cur quis alterum, scilicet medium, velit. A te clarius audire et intelligere cupio quamnam connexionem inferat iudicium rationis de fine ad amorem eiusdem finis. Ubi enim amor finis naturalis fuerit et non liber, iam inter iudicium rationis de fine amando ipsumque amoris actum necessaria connexio habenda sane erit, quum tamen omnes passim sententiae profiteantur voluntatem remanere liberam quoad exercitium actus.

Thomista. — Omnes quidem passim tenent voluntatem remanere liberam in actus exercitio quoad amorem finis: quod et nos sane tenemus. Id tamen intelligatur oportet de libertate obiectiva et extrinseca, imo et de libertate intrinseca actus amoris in finem ultimum, ut est talis in individuo, seu reflexive: nullatenus autem de libertate actus amoris in finem ultimum formaliter, vel in bonum in communi, seu secundum substantiam acceptum, qui amor, etsi per accidens impediri possit, per se tamen est necessarius. Quod quo clarius appareat et demonstretur, nonnulla sunt praenotanda.

Imprimis notandum est ad libertatem non requiri ut voluntas sit libera circa finem: Deus enim se amat necessario, et tamen amat libere creaturas propter seipsum; haud secus necessario Beati Deum amant, non autem bona particularia: ita voluntas, etsi necessario amet bonum in communi, non amat tamen bonum particulare nisi ex determinatione libera, quia bonum particulare non infert connexionem necessariam ad illud.

Praeterea non inconvenienter, sed ex veritate asserendum est eumdem numero actum esse posse, pro vario respectu, et naturalem et liberum: ita Christus ex natura necessario Deum amavit actu charitatis, etiam quoad exercitium; sed tamen libere creaturas, et qui-

(1) Cfr. an. xiv, n. xi, (mens. Novembr. mcmxi).

dem eodem actu, amavit ad merendum. Unde decretorie Angelicus: « In appetitu beatitudinis semper cum eo quod est naturale coniungitur aliquid voluntarium non naturale: et sic potest ibi cadere ratio meriti vel demeriti. » (1)

Adde quaedam sic esse naturaliter amabilia quoad specificationem actus, ut nec per se, nec per accidens, possint non amari: cuiusmodi est sola felicitas in communi in hac praesenti vita; quaedam vera sunt per se amabilia quoad specificationem, ita tamen ut per accidens dimitti possint, sicut v. gr. actus intelligendi qui propter somnum capiendum per accidens interrumpitur.

His adde, actum amandi bonum considerari posse vel secundum substantiam actus, vel secundum circumstantias aliquas aut modos accidentales quibus individuatur, et sine quibus existere potest in rerum natura, licet non possit esse hic idem numero. Aliud quippe est amor boni sic sumptus absolute, aliud amor boni sub expresso conceptu ultimi finis, vel ut est ratio aliquid amandi v. gr. divitias, honores, quietem, etc.: ille quidem naturalis erit, iste liber. Ille quidem directus dicitur, et ante omne consilium et per se est, iste autem reflexus, ut consequens consilium de particularibus, in quibus nonnihil boni in communi relucet.

Adverte demum actum dici posse liberum duplici modo: vel obiective, quia est de obiecto quod cadit sub imperio voluntatis, quodque quis potest et velle et nolle; vel formaliter et intrinsece, quia ex libero iudicio elicitur. Actus potest esse liber primo modo, et tamen altero modo necessarius, sicut actus videndi est liber primo modo, quia voluntas potest velle et nolle videndi actum; altero autem modo est necessarius, quia actus videndi ab oculo seu a facultate visiva necessario elicitur, seu non potest elici nisi a facultate videndi. Primus modus ad libertatem salvandam omnino sufficit, quum homo possit et videre et non videre.

Quibus praehabitis duo mente sedulo tenenda sunt: amorem scilicet boni directum et secundum substantiam sumptum, nunquam esse liberum intrinsece et formaliter; amorem vero boni esse liberum obiective seu imperative, quia voluntas facere potest ut intellectus ab eo se ad aliud convertat; vel etiam, supposita cognitione boni, huius boni amorem esse liberum ut hunc numero actum, non tamen boni vage sumpti. Id pluries more suo explanavit Angelicus. — « Quum electio, ait, sit quoddam iudicium de agendis, vel iudicium consequatur, de hoc potest esse electio, quod sub iudicio nostro cadit. Iudicium autem in agendis sumitur ex fine, sicut de conclusionibus, ex principiis: unde sicut de primis principiis non iudicamus examinantes, sed naturaliter eis assentimus, et secundum ea omnia alia examinamus; ita et in appetibilibus de fine ultimo non iudicamus iudicio discussionis vel examinationis, sed naturaliter approbamus propter quod de eo non est electio, sed voluntas: habemus ergo respectu eius liberam voluntatem, quum necessitas naturalis inclinationis libertati non repugnet, secundum Augustinum V. *De Civit. Dei:* Non autem liberum iudicium proprie loquendo, quum non cadat sub electione. » (1)

Ex qua doctrina nonnulla sponte eruuntur consectaria probe retinenda.

Quorum primum est istud, quod nempe actus necessarius consequitur iudicium necessarium naturalis instinctus; actus vero liber sequitur bonum ratione examinatum et consilio approbatum.

Alterum est istud: de principio inquirendi non esse quaestionem, sed illud omni inquisitioni praevertere et praesupponi: dum e contra consilium est examen quoddam, cuius principium ex fine desumitur, unde finem praesupponit.

Tertium, nullam esse libertatem in iis, v. gr. brutis, quae non agunt ex deliberatione, seu voluntate deliberata et iudicio practico; sed esse in homine, qui agit iudicio practico, singulari, ultimo; unde actus liber in homine recte definiendus erit: inclinatio seu determinatio sequens consilium in bonum per rationem discussum, examinatum et approbatum.

Quartum erit hominem moveri ad felicitatem seu ad bonum in communi, non quidem ex iudicio discussionis et examinis, sed ex determinatione naturae seu instinctus naturalis.

M. — Nonne tamen distinguendum est cum multis auctoribus, specificationem inter et exercitium, ita ut specificationem esse ab instinctu naturali, non autem exercitium, dicendum sit?

T. — Fatendum auctores plerumque ita opinari: sed, meo iudicio, plurima sunt addenda, imo et emendanda. Imprimis advertendum est Angelicum instinctui naturali tribuere non modo specificationem, sed et ipsum exercitium: « Non enim pertinet, ait, ad liberum arbitrium quod volumus esse felices » ; (2) imo vult instinctum naturalem importare iudicium movens ad exercitium.

At praeterea intelligi vix potest qua ratione voluntas determinari possit ad speciem actus, quum tamen non determinetur simul in illum ut in perfectionem specificatam, ad quam natura ipsa determinatur et inclinatur. Ubi enim potentia ita determinatur ad speciem actus, ut non possit quandoque nec per accidens impediri ipsa inclinatio ad exercitium, praesente obiecto, pariter determinatur, eo imprimis quod species obiecti attingi nequeat nisi per actum.

Denique adverte, libertatem exercitii non esse nisi libertatem obiectivam, quae respicit exercitium sub indifferentia contrarietatis; libertatem vero specificationis esse intrinsecam formalem, a qua pendet electio, seu actus intrinsece liber.

Hisce tamen dimissis, id contendimus, quod nempe

(1) IV *Sent.* dict. 49, q. 1, a. 3, 1m.

(1) *Verit.* q. XXIV, a. 2, 20.
(2) 1a, q. 19, a. 10.

per se nec cadat nec cadere possit sub discussione utrum bonum sit exercite amandum. Quod per se patere videtur.

Iterum istud patet, quod scilicet ubi impediri videtur exercitium amoris, atque sub discussione venit utrum hic et nunc melius sit amare exercite an potius dormire, id fieri nequit nisi ex amore boni directo, in quem sine consilio prodeat voluntas.

Hinc Angelicus perpetuo in hoc insistit quod consilium supponit voluntatem fundatam in amore finis, nec detur consilium de iis quae per se amabilia sunt, neque de iis quae per se a natura nota sunt. Deveniendum demum est ad aliquid quod sit per se actu et exercite amabile, absque ullo praehabito consilio, nisi velis in infinitum abire, quia si exercitium amoris boni esset ex consilio, esset etiam ex priori voluntate, quae si deberet esse ex priori consilio, illam praecederet et alia voluntas, et sic in infinitum: unde deveniendum sit ad amorem qui non sit ex consilio quoad exercitium.

Ita rursus Angelicus: « Nec necessitas naturalis repugnat voluntati; quin imo necesse est quod, sicut intellectus ex necessitate inhaeret primis principiis, ita voluntas ex necessitate inhaeret ultimo fini, qui est beatitudo. Finis enim se habet in operativis sicut principium in speculativis. Oportet enim quod illud quod naturaliter alicui convenit, ut immobiliter sit fundamentum et principium omnium aliorum, quia natura rei est primum in unoquoque. Et omnis motus procedit ab aliquo immobili..... Sumus domini nostrorum actuum secundum quod possumus hoc vel illud eligere: electio autem non est de fine, sed de his quae sunt ad finem. Unde appetitus ultimi finis non est de his quorum domini sumus ». (1)

Ex quibus patet, iudice Angelico, potentiam determinari remote et mediate quidem in obiectum, immediate vera et proxime in exercitium, siquidem obiectum attingitur ipso actu mediante. Inde voluntas dum actu habet finem ad quem natura inclinatur, exercite in eo quiescit; si non habet, exercite ad eum tendit.

Potest igitur voluntas impediri forsan ex accidenti ne actu et exercitio in bonum tendat, sed non indiget impulsu ut in illud feratur, siquidem fertur ipsa natura pondere proprio, praesenti obiecto. In hoc nempe consistit discrimen inter ultimum finem in communi et bona particularia.

Ad amandum quippe finem, sufficit cognitio, ut in bonum cognitum voluntas vi et determinatione propria feratur: quoad bona autem particularia, seu quae amantur propter finem ut media, requiritur quidem, sed non sufficit cognitio, oportetque ut voluntas se moveat et applicet ad amorem efficacem.

Hoc rursus patet ex similitudine ab Angelico adducta intellectus assensum inter et voluntatis adhaesionem.

(1) 1ª q. 82, n. 1, et 3m.

Intellectus quippe primis principiis, ex sola apprehensione terminorum, assensum praebet: haud secus voluntas ex sola apprehensione ultimi finis determinatur ad eiusdem amorem, nisi quid per accidens obstet.

Addit S. Thomas voluntatem esse naturam ad unum obiectum proinde et ad proprium actum et exercitium determinatam, quoad obiectum et finem suum primarium.

Adde hoc denique, iuxta Angelicum, omnem motum procedere ab immobili, unde necessario voluntas feratur in finem per actum intrinsece naturalem et necessarium, ex quo regitur ipsius mutabilitas. Hinc voluntas ad finem ultimum non se movet, sed movetur scilicet a Deo; se movet autem ad alia quae sunt ad finem contingenter.

In primo, inquam, amore boni voluntas non se movet, sed a Deo movetur; quoad bona vero particularia sese movet voluntas, sive per unum actum, v. gr. amorem finis ultimi, se ad alium actum moveat, nempe electionem finis, sive eodem actu velit simul finem et medium, nempe unum formaliter et aliud materialiter, unde virtualiter duo habentur.

Quae omnia paucis comprehendit Angelicus: « Deus movet voluntatem hominis sicut universalis motor ad universale obiectum voluntatis, quod est bonum. Et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle: sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum, vel apparens bonum ». (1)

Haec tamen hodie sint satis. Ad proximum colloquium disputationem remittimus de libertate remanente incolumi, non obstantibus hisce de determinatione ad exercitium dictis.

I. I. B.

(1) 12ae, q. 6, a. 6, 3m.

De sonis ac poëtica apud veteres Graecos

Hic est voluminis index, quod Hector Romagnolius, Italicus doctor, superiore edidit anno, quodque nonnullis e scriptis, partim iam antea, partim nunc tantum in lucem prolatis, constat. Quae quidem in eo eruditissimus ac clarissimus vir, Graecarum litterarum decus, vel quaesiverit vel disseruerit, huic de ingenuis artibus humanitateque bene merito commentario tradere nobis in animo est. Nostra enim verba, si quidem legentium animos non oblectent, quippe quae inornata atque inelegantia, singularis tamen, ut spero, delectationis studium excitare fortasse poterunt in animis eorum, qui librum de quo agimus nunquam legerint vel omnino ignoraverint.

Namque ex hoc libro quae sit illa Graecos Latinosque scriptores pervolutandi pernoscendique ratio recens ac voluntas discere possumus, magistri atque

exempli conspicui gravitate auctoritateque confirmati. Non equidem, ut multis videtur nostrae aetatis viris eruditissimis, omnis cura et diligentia ponenda est in investigationibus quaestionibusque plerumque aridis atque abstrusis, scilicet scriptorum in locis corruptis emendandis, vel in dubiis interpretrandis, vel in lacunis explendis syllabisque fere aucupandis. Sed quae illi veteres Graeci ac Romani de vita moribusque, ac praesertim de litteris senserint, quae in omni rerum genere invenerint et creaverint, penitus sunt perscrutanda perspiciendaque. Quibus in pervestigationibus optimorum studiorum vis ac momentum haeret atque habitat. Quid enim ad nostrae aetatis cultum humanitatemque tot de Graecis Latinisque litteris studia atque elucubrationes conferunt, si et ipsis rerum antiquarum cognitio omni ex parte expleta non colligitur? Quid valet nocturna diurnaque manu Graecos ac Latinos libros versare, si ipsorum populorum vita illis ex libris non exprimitur, paene dicam effoditur, ac quasi recreata clarissimo lumine non illustratur? Cur illarum litterarum insignia monumenta in italicum nostrae aetatis sermonem quam elegantissime rectissimeque non convertuntur vel, recentium studiorum luminibus adhibitis, ornate copioseque non explicantur? Quod quidem pauci ex nostris suscepere, quum parum utilitatis, ne dicam dignitatis, habere plurimis videatur. Numquid de Graecarum Latinarumque litterarum historia illos quos apud Gallos ac Germanos admiramur undique absolutos omnique laude cumulatos libros composuimus? Quae quum ita sint, cur ab huiuscemodi operibus abhorremus? Illane mediocribus ingeniis digna putantur flocci habentur? Omnino quidem verum est nobis quodammodo obici posse, quae Cicero de eloquentia scripsit: «Omnium magnarum artium sicut arborum altitudo nos delectat, radices stirpesque non item, sed esse illa sine his non potest». At nos obicientibus respondebimus: «Pergite sane, ut facitis, in grammaticis studiis quaestionibusque, vetustissimos codices eorumque familias compulsate, optima veterum scriptorum edite exemplaria, sed huiuscemodi ex laboribus fructus decerpere ne recusaveritis. Quandam enim vim doctrinamque ex illis auctoribus depromere licet, quae ingenia maxime Italorum alere possit».

At iam longius a re proposita abire videmur; ad eam igitur revertamur, quaeque Romagnolius de adhibitis apud veteres Graecos sonis ac vocibus disputaverit primum attingamus.

***

Magna igitur de musicis apud Graecos ac diu vexata inter doctos fuit quaestio quae, quoniam ad exitum nemo adducere potuit, velut obscurissima atque inexplicabilis neglecta fuerat. Qua re ex vetustissimis quae exstant monumentis, illis quae novissime sunt reperta non exceptis, aliquid suspicari et colligere omnium prope eruditorum consensu insanum vel aegri somnium videbatur. Quae contra de musicis praecepta nobis sunt tradita, ad perspiciendos atque interpretandos veterum Graecorum qui exstant modos nonnihil conferunt. Nam qui in eorum studio penitus versatus erit ac rem altius animadverterit, plurimas maximique momenti quaestiones inveniet nostrorumque temporum musicorum arte quodammodo proficiet. Utrumque Romagnolius feliciter explanavit.

Is enim ab illis pastorum inconditis carminibus, quibus Troiae rupes vel Arcadiae valles nemoraque Baeotiae antiquissimis temporibus, resonarunt, initium faciens, sonorum concentus, testudine fidibusque inventis, originem explicat. Deinde pro sua artis musicae peritia et fidium et modorum singulis temporibus vices cursumque describit, deque chordarum numero notisque musicis adiunctis varieque permutatis disserit usque ad Alypianas tabulas, quarum rationem ac viam aperit. Qua re vetustissima illa musicorum monumenta, usus cuiusdam tituli in marmore incisi exemplo, nos explanare docet.

Postquam autem Orph i caput a Trachiniis obtruncatum citharaeque confictum per Aegeum Lesbum navigasse strictim narravit et ceteras fabulas, quae de musicorum incunabulis traduntur poëtico quodam colore breviter perstrinxit, de versuum origine sibi tractandum auctor opinatur vinculumque explicandum quo, velut cognatione quadam, musica ac poëtica initio inter se contineantur. Primum enim modi ac verba disiuncta fuere, velut si e diversis animi facultatibus originem traherent; deinde coniuncta atque altera alteris superimposita sunt ita ut versus exstiterint. Ex quibus vero, aetatis progressu syllabarumque clariore distinctione, ad perfectionem ductis schemata musica colligere licuit numerorumque explicatio singulis aetatibus nobis redundare potuit. Quae quidem numerorum explicatio maximi momenti est quod ipsorum vis a nostrorum temporum ratione naturaque longe differt. Non autem operum musicorum exstantium inopiam esse deflendam Romagnolius observat praesertim post ea nuper inventa; sed illa rectius esse interpretanda atque ordine temporis servato animadvertenda. Qua re ipse musicae artis historiam perbreviter persequitur.

***

Cuius quidem artis incunabula adumbrata conditaque accepimus ex illis fabulis, quas de Orphei caede a mulieribus facta, de ipsis bacchantibus, de Apollinis et Marsyae, de Olympi Silenique certaminibus narrant poëtae. Quibus ex fabulis inter duo illius artis genera diuturnam, ut videtur, contentionem fuisse deducere possumus. Quum autem e fictis rebus ad historiam quae vere proprieque dicitur venimus, Timotheum rerum instauratorem exstitisse animadvertimus.

Postea illa nobilissima ars per saecula duo omnino tacuit usque ad *Delphicos hymnos;* quibus duo diversa genera conciliari consociarique videmus, non ut misceantur, sed alterum alteri superimponatur haud dissimili ratione qua Calamidis artis elegantiam ac nitorem

Myronianamque vim ex Phidiae et Praxitelis et Scopadis signis simul spirare admiramur. Hîc, ut par erat, musicorum vices in Italia Romagnolius narrat. Namque illa ars, Graecia a Romanis subiecta, migravit Romam, qua quidem aetate minora genera floruere et tres hymni Calliopis, Nemesis et Solis honori sunt conditi, qui *diatonicum,* quod dicunt, genus certaminis victorem confirmant.

Auctor autem ad institutam rem revertitur, musicaque, ut Nilus Aegyptum, poëticam nobis quodammodo donavisse affirmat. Nam huius generibus formam et quasi vestem illa dederunt: spiritum enim impetumque lyricis ab origine inflavere ipsisque Graeci quorumdam heroum vitam moresque mente atque animo comprehenderunt, ex quo tragicum carmen profluit. Hîc demum in causas inquiritur cur apud Graecos, musicis tamquam defatigatis iacentibus, carmen lyricum et tragicum maxima ubertate viguerint.

Qua re pervestigatâ, aliam aggreditur auctor. Nam quae Estevius in fabulis tragicis musicen effecisse ac renovasse ostenderit breviter disputat. Quam quidem disputationem eamque in eodem volumine sequentem de aliquot hellenicis popularibus carminibus a Georgio D. Pachtikos collectis editisque omittimus, ut ad aliam maioris ponderis rem transeamus.

* * *

Difficillimum enim scopulosumque, ut communi inter doctos consensu habitum fuit, Romagnolius sumpsit munus explicandi veterum quae exstant comicorum poëtarum fragmenta, ut nova clarissimaque luce antiquam Graecorum comoediam illustraret. Rem igitur immensam ac paene infinitam aggressus, quasdam personas, quas ab Aristophaneis fabulis nunquam accepimus, indicavit ac nonnullos reliquorum poëtarum locos italicis numeris adstrinxit. Itaque de illa quam fabulae tradidere aurea aetate quid veteres poëtae comici (Aristophane non excepto) senserint quave colorum varietate pinxerint, accipere possumus. Ut autem illarum, quas diximus, reliquiarum auctores nomina eorumque facta deriserint, ut comoediarum tragoediarumque scriptores, ut musicae artis restitutores, ut suae aetatis viros reipublicae praepositos vexaverint atque exagitaverint, ut denique nonnulla artis scenicae exemplaria in obscenos risus deflexerint, e libro de quo agimus plane ac mirum in modum cognovimus. Quae quidem omnia haud in promptu erant, ne dicam ignorata.

Praeterea quam primus Zielinskius rem demonstrare est conatus Romagnolius aggreditur. Ille enim veterum comicorum operibus fragmentisque perpensis atque animadversis, quandam ex fabulis popularibus fictam et conflatam comoediam Athenis fuisse arbitratus est, cuius, quibusdam exemplaribus restituendis periculum fecit.

Quod vere quum inanem conatum e mentis nimia celeritate quodammodo partum ipse existimet, tamen contendit eiusmodi pervestigationem ad maximum quendam fontem reperiendum nonnihil contulisse, ex quo illa prisca Atticorum comoedia vim ac vigorem hauserit.

Ab arte autem scenica non aberrans, Romagnolius de genere illo litterarum agit, quo Philistio apud Graecos, Decimus ac Laberius apud Romanos, inclaruere, quodque rerum ecclesiasticarum scriptoribus adversantibus restitit. Primum enim postquam eruditissimum Hermanni Reichii volumen quam paucissimis adstrinxit, quaedam, praesertim quod attinet ad comoediam quae vulgo *dell'arte* dicitur, accurate animadvertit. Deinde in quibusdam papyris detectam fabulam refert eiusdemque locos quosdam in italicum sermonem vertit. Qua quidem fabula Reichii sententia comprobari videtur clarissimaque lux in quaestione fit obscurissima ac paene abstrusa.

Lectori autem librum pervolutanti dissertatio obvenit de elegiacis poëtis, qui ante Callimachi aetatem fuerunt. Qua dissertatione et Hermesianactis et Phanoclis et Alexandri Aetolici aliquot paene incognita carmina italice reddita admiramur, sed etiam de Antimachi et Philetae ingenio operibusque novum iudicium accipimus.

Nam et Antimachus, quum eruditorum prope communi sententia aetatem quae Alexandrina appellatur praenuntiare videatur, in novissimis vetustorum scriptorum Romagnolii iudicio adnumerandus, et Philetas primus ex eruditissimis Alexandrinorum poëtarum censendus est.

Hic vellem eadem dicendi uti facultate ac clarissimus auctor, ut summatim et iisdem fere verborum sententiarumque luminibus dissertationem attingerem, qua Graecorum sensus opinionesque in singulis aetatibus descripsit. Sed viribus meis hoc munus longe iniquum apparuit.

Ubi enim elocutionis nitorem splendoremque, ubi verborum constructionem ac numerum invenirem? Unde autem iudicium electionemque haurirem qua verba sententiis quasi demensa et paria responderent? Unde elegantiam munditiamque, unde ornatum illum suavem et affluentem, quo haud multo secus quam a poëtis est sevocandum orationis genus, deducerem? Non equidem solum perfectionem illam meis verbis adsequi posse, sed ne ipsius quidem conatum adumbrationemque sum confisus.

Item de rebus, quas in reliquis disputationibus tractavit quidquam exquisitius dici posse non credo. Quarum disputationum notae formulaeque difficile quaeruntur. Optimum igitur puto, quod est librorum explicatoris, huiusce Commentarii lectores ad ipsum librum adeundum incitare, cuius speciem ac formam vix adumbrare sum conatus. Quod si quis ad ornatissimas illas paginas revolvendas sit permotus, hoc me tantum valde iuvabit.

Cavae Tyrrhenorum, mense Ianuario MCMXII.

IANUARIUS DE FILIPPIS.

Ludi puerorum apud Italos

RANA.

Adsunt in acie duo, tres vel quatuor pueruli, quinque ad summum, qui ordine simul decertant, ludentes par impar, de iocis feliciter auspicandis. Ludus, quem nunc adgressuri sunt, italice vulgo *Rana* appellatur, et plerumque, uti opinor, viget tantummodo apud Subalpinos, qui eum *Cirimella* adpellitare consueverunt.

Haec summa est ludi. In medio stant baculi duo, rudes adhuc atque agrestes; quorum alter longior, alter vero brevissimus leviterque expolitus.

Nihil est tamen quod timeas, mitissime lector. Nec enim in te, neque in adversarios uterque baculus est adhibendus. Cum bonis auspiciis rem incipies, si primus ludum sorte ingredi poteris.

Qui primum locum obtinuit, ad metam adsignatam se confert, dextera manu baculum longiorem gerens. Ore vultuque ferox apparet, quem optime cum Hercule facile compones, qui olim « instruxit manum clava victrice ferarum. » Baculus vero brevior in latere quodam ponitur, vel lapide, qui meta quoque rectissime dici potest.

Adversarii autem hîc atque illic dilapsi, intentis oculis atque brachiis studiose exspectant donec ludi magister incipiat. Ille, uti dux copiarum facere solet, tacitus vagatur adspectu visusque per omnia ducit; tunc fortiter atque secure exclamat: « Incipiam? » Cui omnes respondent: « Admodum! » Tunc paulisper incurvus leviorem baculum totis nervis percutit, qui in orbem per aërem volitans, ex more ranarum, perquam longissime vadit. Adversarii vero curant ut frustulum hunc ligneum adhuc per aërem volitantem manibus accipiant. Si id feliciter obtinetur, victor hic inter suorum invidiam, ad metam rapide pergit, et iterum ludum incipit. Sin autem humi libere cecidit hic vel ille ex parte adversa hunc frustulum ea arte ad metam iacere debet, ut eam pertingat, ibique maneat. Dux e contra baculo studeat id prohibere, eumque iterum volitantem repellat et pro viribus a meta arceat. Qui metam sic occupabit tenebitque, neque adversarius scite repulerit, ipse ludum iterum dirimet. Hîc fervet pugna, hîc vera omnium lucta viriumque palaestra, « trepidique pedem pede fervidus urget! »

Dux ludi altero baculo frustulum percutit, ita tamen ut aliquantisper ex terris sublatum fortiter baculo tangat, et etiam atque etiam longius impellat. Si ad centum mensuras pervenerit, hic ex certamine primus superior decedit.

Verum adversarii in eo stant, ut frustulum ita percussum vel impediant, vel manibus accipiant. Quod si frustra facere conati sunt, et princeps victor evasit, tunc ei datur facultas mensuras colligendi cum baculo ex novissimo loco usque ad metam. Videat tamen ne sit abundantior in adiudicandis sibi mensuris! Namque si pro quinquaginta erunt modo quadraginta novem tandos tunc inferior cedit et baculum ei permittit, qui sortil conproximum locum obtinuit.

Hic vero omnia iterum sumit; et sic omnes, unus post alium, donec numerum mensurarum absolvant.

Et qui erunt victoriae fructus? Rem verius exponam. Quae erit iacturae poena? Qui omnium inferior evasit, hanc poenam subire debet. Hinc inde socii victores alacres festinantesque sistunt, *Io triumphe!* exclamantes, et inferior — ut olim « incedunt victae longo ordine gentes! » — inter suos transire debet, quem alii manu sudariolum tenentes nodis confectum, alii manibus leviter atque iocose percutiunt. Poena satis levis; non levis autem confusio.

Hoc ludorum genus, iamdiu maxime in usu apud Subalpinos, in mentem mihi nuper revocavit Dominicus Savio, alumnus olim meus dulcissimus, quem Ioannes Bosco sacerdos nobis optime narravit in commentario in vulgus edito, omnibus intelligentissimi iudicii viris adprobatissimo. Hic enim saepe saepius, quo facilius amiculos ad se alliceret, segniores potius laetioresque, suis prope desideriis neglectis ac posthabitis, se se alienis aptabat, sicque ad virtutes ducebat.

Vide, sis, quo sancto studio ipse flagraret in Deum atque in amicos; et qua arte nobis hunc tot artium puerulum ob oculos proposuerit.

SUBALPINUS.

TRIPOLIS ITALICA

Italicis armis Tripolis quacumque subacta
Est iterum in nostra, iure sacrante, manu.
Victrices illic aquilae strepuere latinae
Horrisonis alis praepetibusque diu.
Nunc etiam gliscens Italorum bellica virtus
Barbaricas turmas impete fregit ibi;
Fregit saevo, acri longo certamine victas,
Inque fugam vertit terque quaterque citam.
Turcae vi fusi effreni palantur in agros,
Rursum se glomerant conveniuntque simul.
Mox infesti erumpunt, constricti agmine denso,
Vementique omnes impete castra petunt.
Itala sed victrix furiata mente iuventus
Excipit, ob istit, disiicit, ense premit.
Tormentis late ignivomis nunc terra resultat,
Quorum ictus implent cuncta cadaveribus;
Nunc crebrum armorum crepitum vicinia mittit,
Passim ubi densantur funera funeribus.
Bellum hoc barbariae fit, nostra ad iura tuenda,
Quae probro Europae (proh pudor), exstat adhuc!

VITUS VACCARO.

INDURATAE NIVES
IN ALASKA PENINSULA

« Quum latet adstricto terra perusta gelu » talia etiamtum offert natura admiranda spectacula, quae ex Muiranae glacies, — quae a Muir, in California physices eximio doctore, nomen deduxerunt, — sub ponto quadringentos pedes merguntur, earumque adspectum, tum maxime quum sol renidet, nemo est qui describere valeat; aiunt enim ad vesperum irides innumeras inibi apparere aliam cum alia consertam, imo contextam,



Induratarum nivium in Alaska provincia prospectus.

montesque prismatibus omnigenûm colorum coruscantes; portentosum spectaculum omnino, ac paene divinum !

ipsa imagine per lucem impressa mens sibi effingere cogitatione haud facile possit.

En vobis, lectores humanissimi, Muiranae glacies in Alaska peninsula; sublimes equidem terribilesque visu. Montes ad sexdecim usque millia pedum in altitudinem attolluntur, quorum per valles imbelle flumen lente discurrit, cui naturalis ex glacie pons imminet ad mille et quingentos passus latus. Ulterius, hoc flumen quinque induratarum nivium minoribus molibus alitur, naviculisque vapore actis transitum perhibet, quae sive piscandi causa, sive ad curiosos viatores eousque traiiciendos itineris illius periculum ingrediuntur. Periculum diximus; glacies enim suapte natura plus minusque indesinenter procedunt, imparique intervallo eo fragore ac ruina decidunt, ut cum tormentorum bellicorum explosione comparari haud iniuria queant. Cuius tonitrus, casu immanium illarum coacervationum eductus ac fere perennis, cum fragore horrende conspirat e profundo manante ob ingentissimum immanis huius glaciei cumuli compressum in rupes, intra quas gelidus torrens ad oceanum pergit.

Per flumen ipsum glaciei pondera e centrali mole avulsa (*icebergs* vulgo nuncupantur) innatant frequentia, aut rutilantia sole, aut perturbato caelo fusca; in mari enim tantum liquescunt.

EX POLONIA

De "Doctrinarum Societate,, Varsaviae condita.

Nescio, an res, quae arctissime cum doctrinarum natura et progressu cohaeret, coetui virorum doctorum extra Poloniae fines sit cognita. De « Doctrinarum Societate Varsaviensi » dico, quae vi legis de societatibus ad « culturam » promovendam formandis anno MCMVI latae, iam anno MCMVIII Varsaviae condita, sequentibus tribus annis, gravibus condicionibus obstantibus, iam tamen vim magnam explicuit atque demonstravit, quanto altiorem etiam gradum ascendere posset, si sedem, quae ei deerat, propriam liberam haberet. Quae res, quum cives non solum ingenti gaudio, sed etiam proba superbia affecisset, opulentorum nobilium civium animum excitavit, ut illud grave obstaculum doctrinis atque ingeniis Polonorum removeret.

Removit quidem Iosephus comes Potocki, qui hoc merito praeclaro nomen suum ornavit; magnificas enim

aedes, sumptibus suis erectas recenti « Doctrinarum societati » dono dedit, dicavit. Quae praestans sedes, ubi Polonorum animus et ingenium vestigia laboris, indolis, efficacitatis iam libere et lubenter et, ut est Polonorum nota facultas, copiose exprimere poterunt, mense Novembri anni elapsi ab episcopo varsaviensi Ruskievicio est consecrata.

Sollemnitas peracta est praesentibus plurimis omnium ordinum civium doctrinis et litteris excultorum, qui post cerimonias factas, omnes invitati sunt, ut primae « Doctrinarum societatis » membrorum acroasi, adessent. Quam acroasim aggressus est ipse nobilissimus largitor, (patronus iam « Societatis » una voce, uno ore declaratus), insigni oratione, qua, postquam gratias excellentissimo episcopo pro consecratione domui impertita egit, quum de munere atque fine « Societatis » egregie dissereret, cum multa alia, tum haec distincte et praeclare protulit : « Doctrina veluti vitae stella est, quae quum lucet, lapsurum quemque erigit et sustinet, quaeque praepotens est conservatrix populi immortalitatis. Sed incrementum eius atque progressum duabus partibus praecipue congruentem et concinentem esse oportet, cognitione rerum externarum vel corporalium, et cognitione rerum ab omni (ut Cicero ait) concretione segregatarum vel animi. Quae congruentia et concinentia maxime necessariae, speramus fore, ut semper in sinu atque progressu huius « Societatis » observentur. Neque minus persuasum nobis est nunquam in his aedibus revicturam esse illam obsoletam superstitionem, quae alteram doctrinam altera contemni aut opprimi iubet, id quod est despicere rem ignotam et est doctorum hominum ea, quam celeberrimus ille Sniadecki noster vehementissime abhorrebat, barbaries ».

Quam praeclara, quam ingeniosa verba !

Doleo, quod totam illam honestissimi viri orationem repetere non possum. Qua oratione habita, atque profunda et venerabili cum attentione exaudita, totum atrium claris diuque non silentibus plausibus personuit. Silentio autem restituto, statim etiam recentia vestigia doctorum studiorum a viris duobus sunt prolata. De rerum publicarum scriptoribus « anonymis » exeuntis saeculi XVIII disseruit clarus vir historicus Vladislaus Smolenski, de « materia stata » grandiloqua oratione Sigismundus Weyberg.

Res omnis, communi membrorum « Societatis » convivio absoluta, cunctorum animis invictam atque gratissimam memoriam impressit.

Varsaviae Polonorum.

IOSEPHUS WABNER.

Nemo mihi videtur pluris aestimare virtutem, nemo illi magis esse devotus, qu m qui boni viri famam perdidit, ne conscientiam proderet.

SENEC., *Epist.*, VIII.

ACTA PONTIFICIA

I.

CONSTITUTIO APOSTOLICA

de nova Ecclesiasticae hierarchiae in Anglia ordinatione.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Si qua est in universo orbe christiano ecclesia, quae peculiarem Apostolicae Sedis curam providentiamque mereatur, ea sane est Anglorum ecclesia ; quam quidem a Sancto Eleutherio felicibus apud Britannos initiis adauctam ac deinde a Gregorio Magno per apostolicos viros felicius constabilitam innumerabiles prope filii deinceps nobilitarunt vel vitae sanctimonia illustres, vel fortiter oppetita pro Christo morte praeclarissimi. Id Nos Nobiscum animo reputantes, qui sane non minus benevolentiae studium erga Anglorum ecclesiam fovemus, ecclesiasticam ibi hierarchiam, quae hodie, postquam restituta est, una tantum provincia continetur, melius componere statuimus atque illa addere quae in magnum animarum bonum reique catholicae incrementum facile cederent, nempe duas novas ecclesiasticas provincias constituere decrevimus.

Hisce itaque Nostris litteris novas ecclesiasticas provincias *Birmingamiensem* et *Liverpolitanam* constituimus. Tres propterea in posterum ecclesiasticae provinciae in Anglia erunt: *Westmonasteriensis,* cui suffragabuntur ecclesiae Northanthoniensis, Nottinghamensis, Portusmuthensis et Southwarcensis, prout antea ; *Birmingamiensis,* cui suffraganeae erunt ecclesiae Cliftoniensis, Menevensis, Neoportensis, Plymuthensis et Salopiensis ; *Liverpolitana* denique, quae suffraganeas habebit ecclesias Hagulstadensem - Novocastrensem, Loidensem, Medioburgensem et Salfordensem. Insuper Archiepiscopo *Westmonasteriensi* pro tempore existenti novae quaedam accedent ad regiminis actionisque unitatem servandam praerogativae, quae tribus hisce capitibus continentur, nempe : 1.° Praeses ipse erit perpetuus collationum episcopalium totius Angliae et Cambriae ; ob eamque rem ipsius erit conventus indicere eisque praeesse iuxta normas in Italia et alibi vigentes ; 2.° Primo gaudebit loco super aliis duobus Archiepiscopis nec non pallii et cathedrae usu atque praeferendae crucis privilegio in universa Anglia et Cambria ; 3.° denique totius Ordinis Episcoporum Angliae et Cambriae regionis personam ipse geret coram suprema civili potestate, semper tamen auditis omnibu[s] Episcopis, quorum maioris partis sententias sequ[i] debet. *Birmingamiensis* autem et *Liverpolitanu[s]* Archiepiscopi iisdem prorsus gaudebunt privilegii[s]

et iuribus, quibus in catholica ecclesia ceteri Metropolitani pollent. Speciali autem ex gratia atque in maioris Nostrae benevolentiae signum benigne indulgemus, ut his ipsis Nostris litteris, quibus novae provinciae eriguntur, Revmi. Eduardus Isley, hucusque Birmingamiensis Episcopus, et Thomas Whiteside hactenus Liverpolitanus Episcopus, earumdem sedium ad metropoliticum ius erectarum Archiepiscopi sint absque alia ulla Apostolicarum litterarum expeditione. Ad horum omnium autem executionem Rmum. Franciscum Bourne, hodie Archiepiscopum Westmonasteriensem, deputamus, qui adimpleti mandati sui postea testimonium et exemplar ad Sacram Congregationem Concistorialem transmittet.

Porro in hac nova Angliae Dioecesum constitutione quaedam alia pro opportunitate, seu prout experientia animarumque bonum suggesserit, ulterius statuenda Nobis reservavimus. Sed quae hisce litteris in praesens statuuntur, satis valere nunc ad rei catholicae in Anglia utilitatem atque incrementum censemus, bona spe confisi fore, ut quod heic humano peragitur ministerio, Deus Omnipotens perficiat ac solidet; atque inde fiat, ut in Anglia nobilissima sanctorum altrice vetera sanctitatis exempla felicius instaurentur.

Haec vero edicimus et sancimus, decernentes has Nostras litteras validas et efficaces semper esse ac fore, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis generalibus et specialibus, ceterisve quibusvis in contrarium facientibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo undecimo, V kalendas Novembres, Pontificatus Nostri anno nono.

A. Card. Agliardi
S. R. E. Cancellarius.

C. Card. De Lai
S. C. Consistorialis Secretarius.

II.

RUBRICAE

in recitatione Divini Officii et in Missarum celebratione servandae ad normam Constitutionis Apostolicae « Divino afflatu ».

Titulus I.

De ratione Divini Officii recitandi iuxta novum Psalterii ordinem.

1. In recitatione Divini Officii, iuxta Romanum Ritum, Psalmi quotidie sumendi sunt, ad singulas Horas canonicas, de occurrente hebdomadae die, prout distribuuntur in Psalterio noviter disposito; quod deinceps, loco veteris dispositionis, in novis Breviarii Romani editionibus vulgandum erit.

2. Excipiuntur tamen omnia Festa Domini eorumque integrae Octavae, Dominicae infra Octavas Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Domini, Vigilia Epiphaniae et Feria VI post Octavam Ascensionis, quando de eis persolvendum sit Officium; itemque Vigilia Nativitatis ad Laudes et ad reliquas Horas minores usque ad Nonam, et Vigilia Pentecostes; nec non omnia Festa Beatae Mariae Virginis, SS. Angelorum, S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph et SS. Apostolorum et Duplicia I et II classis, eorumque omnium integrae Octavae, si de eis fiat Officium, quod recitandum erit prout assignatur, vel in Breviario, vel in Proprio Dioecesis vel Instituti, hac lege tamen ut Psalmi ad Laudes Horas et Completorium semper sumendi sint ex Dominica, ut in novo Psalterio; ad Matutinum vero et ad Vesperas dicantur ut in Communi, nisi speciales Psalmi sint assignati. — Tribus autem ultimis diebus maioris hebdomadae, nil erit innovandum, sed Officium integre persolvendum erit, prout nunc habetur in Breviario, sumptis tamen ad Laudes Psalmis de Feria currenti, ut in novo Psalterio, excepto Cantico Sabbati Sancti, quod etiamnum est « *Ego dixi: In dimidio* ». Ad Completorium sumantur Psalmi de Dominica, uti in novo pariter Psalterio.

3. In quolibet alio Festo Duplici, etiam maiore, vel Semiduplici, vel Simplici, et in Feriis Tempore Paschali semper dicantur Psalmi, cum Antiphonis in omnibus Horis, et Versibus ad Matutinum, ut in Psalterio de occurrenti hebdomadae die; reliqua omnia, et Antiphonae ad *Magnificat* et *Benedictus,* ut in Proprio aut Communi. Quod si aliquod ex Festis huiusmodi proprias vel peculiariter assignatas habeat Antiphonas in aliqua Hora maiori, eas in eadem ipsa retineat cum suis Psalmis, prout habetur in Breviario: in ceteris Horis Psalmi et Antiphonae dicantur de Feria occurrente.

4. Lectiones ad Matutinum in I Nocturno semper legendae erunt de Scriptura occurrente, licet aliquando in Breviario Lectiones de Communi assignentur, nisi sit Festum Domini aut Festum cuiusvis ritus B. Mariae Virginis, vel Angelorum, vel S. Ioannis Baptistae, vel S. Ioseph, vel Apostolorum, aut Duplex I vel II classis, aut agatur de Festo, quod vel Lectiones habeat proprias, non vero de Communi, vel occurrat in Feriis Lectiones de Scriptura non habentibus, ideoque Lectiones de Communi necessario recipiat. In Festis vero, in quibus hucusque erant Lectiones de Communi, Responsoria vero propria, retineantur eaedem Lectiones cum propriis Responsoriis.

5. Porro sic erit persolvendum Officium in Festis Duplicibus et Semiduplicibus superius non exceptis:

Ad Matutinum Invitatorium, Hymnus, Lectiones II et III Nocturni ac Responsoria trium Nocturnorum propria, vel de Communi: Antiphonae vero, Psalmi et Versus trium Nocturnorum, nec non Lectiones I Nocturni de Feria occurrente.

Ad Laudes et ad Vesperas Antiphonae cum Psalmis de Feria; Capitulum, Hymnus, Versus et Antiphona ad *Benedictus* vel ad *Magnificat* cum Oratione aut ex Proprio, aut de Communi.

Ad Horas minores et Completorium Antiphonae cum Psalmis semper dicuntur de occurrente Feria. Ad Primam pro Lectione brevi legitur Capitulum Nonae ex Proprio, vel de Communi. Ad Tertiam, Sextam et Nonam Capitulum, Responsorium breve et Oratio pariter sumuntur vel ex Proprio, vel de Communi.

6. In Officio S. Mariae in Sabbato et in Festis Simplicibus sic Officium persolvendum est: ad Matutinum Invitatorium et Hymnus dicuntur de eodem Officio vel de iisdem Festis; Psalmi cum suis Antiphonis et Versu de Feria occurrente; I et II Lectio de Feria, cum Responsoriis propriis, vel de Communi; III vero Lectio de Officio vel Festo, duabus Lectionibus in unam iunctis, si quando duae pro

Festo habeantur: ad reliquas autem Horas omnia dicuntur, prouti supra, n. 5, de Festis Duplicibus expositum est.

In Feriis et in Festis Simplicibus Psalmi ad Matutinum, qui in novo Psalterio in tres Nocturnos dispositi inveniuntur, dicantur sine interruptione cum suis novem Antiphonis usque ad tertium Versum inclusive, omissis Versibus primo et secundo.

TITULUS II.

De Festorum praestantia.

1. Ut recte dignoscatur quale ex pluribus Officiis sit praestantius et proinde sive in occurrentia, sive in concurrentia, sive in ordine repositionis aut translationis pr.efe-rendum, sequentes praestantiae characteres considerandi sunt:

a) Ritus alti.r, nisi occurrat Dominica, vel Feria, vel Octava privilegiata, vel etiam quaelibet dies Octava iuxta Rubricas.

b) Ratio Primarii aut *Secundarii.*

c) Dignitas Personalis, hoc ordine servato: Festa Domini, B. Mariae Virginis, Angelorum, S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph, SS. Apostolorum et Evangelistarum.

d) Sollemnitas exter. a, scilicet si Festum sit feriatum, aut celebretur cum Octava.

2. In occurrentia, et in ordine repositionis aut translationis, alius quoque character considerandus est, nempe:

e) Proprietas Festorum. Dicitur Festum alicuius loci proprium, si agatur de Titulo Ecclesiae, de loci Patrono etiam secundario, de Sancto (in Martyrologio vel in eius appendice approbata descripto), cuius habetur corpus vel aliqua insignis et authentica reliquia, vel de Sancto, qui cum Ecclesia, vel loco, vel personarum coetu specialem habeat rationem. Igitur Festum quodvis istiusmodi proprium, ceteris paribus, praefertur Festo Universalis Ecclesiae. Excipiuntur tamen Dominicae, Feriae, Octavae et Vigiliae privilegiatae, nec non Festa primaria Duplicia I classis Universalis Ecclesiae, quae uniuscuiusque loci propria considerantur et sunt. Festum autem Universalis Ecclesiae, cuiusvis ritus, quia est praeceptivum, ceteris paribus, praeferri debet Festis aliquibus locis ex mero Indulto S. Sedis concessis, quae tamen propria, sensu quo supra, dici nequeunt,

TITULUS III.

De Festorum occurrentia accidentali eorumque translatione.

1. De Dominicis maioribus I classis, quodvis Festum in eis occurrat, semper faciendum est Officium: Dominicae vero II classis cedunt tantummodo Festis Duplicibus I classis, quo in casu de Dominica fit commemoratio in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa cum IX Lectione ad Matutinum.

2. De Dominicis minoribus, seu per annum, semper fieri debet Officium, nisi occurrat Festum quodcumque Domini, aut aliquod Duplex I vel II classis, aut dies Octava Festorum Domini, quo in casu in Officio Festi vel diei Octavae fit commemoratio Dominicae in utrisque Vesperis et Laudibus et Missa cum IX Lectione ad Matutinum. Si Dominica infra Octavam Nativitatis occurrat in Festo S. Thomae Ep. M. aut in Festo S. Silvestri P. C., fit Officium de ipsa Dominica cum commemoratione Festi occurrentis; quo in casu die 30 Decembris, in Officio diei infra Octavam, Lectiones I et II Nocturni sumuntur e Festo Nativitatis, cum Responsoriis Dominicae. Quoad Dominicam vero, quae occurrit a Festo Circumcisionis usque ad Epiphaniam, nihil innovetur.

3. Duplicia I et II classis, quae seu ab aliqua Dominica maiori, seu a nobiliori Officio impediuntur, transferenda sunt in proximiorem insequentem diem, quae libera sit ab alio Festo Duplici I · el II classis, vel ab Officiis huiusmodi Festa excludentibus; salvo t men privilegio a Rubricis concesso Festivitatibus Purificationis et Annuntiationis B. M. V., nec non Commemorationis sollemnis S. Ioseph.

4. Festa Duplicia maiora cuiusvis dignitatis et Duplicia minora Doctorum Ecclesiae non amplius transferri possunt, sed quando impediuntur, de eis fiat commemoratio, uti de aliis Duplicibus minoribus impeditis Rubricae disponunt (salvo quod numero sequenti statuitur de omittenda in Dominicis IX Lectione historica), nisi forte occurrant in Duplicibus I classis, in quibus nullius Officii agenda est commemoratio, nisi de occurrenti Dominica, vel de Feria, aut Octava privilegiata.

5. Porro si in Dominica maiori occurrat Officium Duplex maius aut minus, vel Semiduplex, vel Simplex, fiat de Dominica cum commemoratione Officii occurrentis in utrisque Vesperis (de Simplici tamen in primis Vesperis tantum) Laudibus et Missa, sine IX Lectione historica. Idem fiat in Dominicis minoribus, nisi in eis occurrat Festum quodcumque Domini, aut quodvis Duplex I vel II classis, aut dies Octava Festorum Domini, quo in casu, ut supra n. 2 dictum est, fiat de Festo, vel de Octava cum commemoratione et IX Lectione Dominicae.

6. Dies, in qua celebratur Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, excludit translationem cuiusvis Festi.

TITULUS IV.

De Festorum occurrentia perpetua eorumque repositione.

1. Festa omnia ritus Duplicis sive maioris sive minoris, aut Semiduplicis, si perpetuo impediantur, reponuntur in primam diem liberam, iuxta Rubricas.

2. Festa Duplicia I et II classis perpetuo impedita reponuntur, tamquam in sedem propriam, in primam diem liberam ab alio Festo Duplici I aut II classis, vel ab aliqua die Octava, vel ab Officiis huiusmodi Festa excludentibus, salvo privilegio Festivitatis Purificationis B. M. V. concesso.

3. Dominicae maiores excludunt assignationem perpetuam cuiusvis Festi Duplicis etiam I classis: Dominicae vero minores assignationem excludunt cuiuscumque Duplicis maioris aut minoris, nisi sit Festum Domini. Festum SS. Nominis Mariae perpetuo assignatur diei duodecimae mensis Septembris.

4. Dies II Novembris excludit tum Festa occurrentia quae non sint Duplicia I classis, tum Festa perpetuo reponenda cuiusvis rit s.

TITULUS V.

De concurrentia Festorum.

I. Dominicae maiores Vesperas habent integras in concurrentla cum quovis Festo, nisi sit ritus Duplicis I aut II classis: ideoque in primis Vesperis sumuntur Antiphonae cum Psalmis de Sabbato; in Adventu tamen dicuntur Antiphonae de Laudibus Dominicae cum iisdem Psalmis de Sabbato.

2. Dominicae minores cedunt Vesperas, tum Duplicibus I aut II classis, tum omnibus Festis Domini, tum diebus Octavis Festorum Domini: integras autem habent Vesperas in concursu cum aliis Festis, sumptis in I Vesperis Antiphonis et Psalmis de Sabbato.

3. Leges, quibus ordinantur Vesperae infra Octavam Nativitatis Domini, immutatae manent.

(*Ad proximum numerum*)

DIARIUM VATICANUM

(Mense Ianuario MCMXII).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia, Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Pontificiae Nobilium Ecclesiasticorum Academiae alumni; Carolina e regali domo Borbonica de Sicilia princeps foemina; Zamoyska comitissa una cum Ratzwill principe foemina eiusque filio; Iacobus Warwich, novus rector Anglici Collegii in urbe Olysippone; De Groppello ducissa; Consilium Maximum Societatis Catholicarum mulierum in Italia; Alfonsus Serlupi-Crescenzi, marchio; Camillus Rospigliosi, princeps Urbanus, eiusque familia; Stolberg comitissa, eiusque filia; Clary comitissa; Ruspoli princeps foemina cum Ioanne filio; Bruno Chaves doctor, Brasiliae legatus apud Apostolicam Sedem; Thomas Antici-Mattei, Urbanus princeps, cum uxore et liberis; Stanislaus Medolago Albani comes; Philippus Theodoli marchio; D'Erp dynasta, Belgarum administer cum omni potestate apud Apostolicam Sedem; Philppus Lancellotti, princeps Urbanus.

Pontificiae electiones.

Provisio Ecclesiarum. — Per decreta S. C. Consistorialis SS. D. N. Pius PP. X has quae sequuntur ecclesias de proprio pastore providit, scilicet: Cathedrali ecclesiae Sabariensi praefecit sacerdotem Ioannem e comitibus Mikes, dioec. Transylvanien., ibique parochum et archidiaconum foraneum ecclesiae civit. *Székrlyndvarhely*; cathedr. eccl. Armenopolitanae seu Szamos-Ujvariensis Rumenorum ritus Graeco-Catholici, revmum. Basilium Hossu, hactenus episç. Sugosiensem Rumenorum; cathedralibus ecclesiis Recinete si et Lauretanae revmum. Alfonsum Andreoli hactenus episc. Feretranum; cath. eccl. S. Ioannis de Cuyo sacer. Iosephum Americum Orzali, archidioec. Bonaërensis, parochum S. Michaëlis Arcangeli in civ. Bonaëren.; cath. eccl. Lojanae sacerd. Carolum Mariam de la Torre. archidioec. Quitensis, ibique canonicum theol gum ecclesiae metropolitanae.

Emi. viri Basilius Pompili inter iudices Supremi Apostolicae Signaturae Tribunalis, et Ioannes Baptista Lugari atque Gulielmus Van Rossum in Pontificium consilium biblicis studiis provehendis adleguntur.

— R. p. d. Alfonsus Andreoli, a dioecesi Feretrana ad Recanatensem seu Recinensem translatus, inter episçopos adsciscitur pontificio solio adstantes.

— R. d. Ioannes Baptista Rosa alter a secretis dicitur S. Congregationis Consistorialis.

— R. p. d. Thomas Boggiani, archiepiscopus titul. Edessen., legatus apostolicus mittitur in Mexicanam civitatem.

— Rmus. d. Raphael Scapinelli de Leguigno, a secretis S. C. Negotiorum Ecclesiae extraordinariorum, archiepiscopus Laodicen. et Apostolicus Nuntius ad Austrorum Hungarorumque imperium creatur.

Vita functi viri clariores.

Die XIX mens Ianuarii MCMXII, Vindobonae, **Alexander Bavona**, archiepiscopus tit. Pharsalen., Apostolicus Nuntius ad Austrorum Hungarorumque imperium, in oppido *Roccadicambio* Aquilanae archidioecesis natus d. XI mens Maii MDCCCLVI.

— d. XXIV, Romae, **Aloisius Serlupi-Crescenzi** marchio, Summi Pontificis equiso maior, in Urbe natus d. XXX mens. Septembris MDCCCXXX.

— d. XXVII, Romae, septuaginta et sex annos natus, **Iulius de Wagner** comes, legatus extraordinarius atque administer cum omni potestate Monoecen. principatus apud Apostolicam Sedem.

— d. XXIX, Romae, **Marcus Antonius Columna**, princeps Urbanus, Stator proximus a solio Pont. Max., Neapoli natus d. VIII mens. Aprilis MDCCCXLIV.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Indicis.

Per decretum d. XXII mens Ianuarii MCMXII damnata, proscripta atque in Indicem librorum prohibitorum relata sunt opera quae sequuntur:

L. DUCHESNE. *Histoire ancienne de l'Eglise.* — Paris.

ABBÉ DOLONNE. *Le Clergé contemporain et le Célibat.* — Paris, s. a.

LETTERS TO HIS HOLINESS *Pope Pius X By a Modernist.* — Chicago, 1910.

THE PRIEST. *A Tale of Modernism in New England.* By the author of *Letters to H. H. P. Pius X.* — Boston, 1911.

ADVENIAT REGNUM TUUM. 1. *Letture e Preghiere cristiane.* — 2. *Rituale del cristiano.* — 3. *L'anno cristiano.* — Roma, 1904-5.

VENANCIO GONZALES Y SANZ. *La bancarrotta del Protenstantismo; estudio histórico-sociologico-critico.* — Madrid, 1910.

L. CHOUILLY. *Carnet du petit Citoy n. Résumés d'instruction morale et civique.* — *Cours moyen et supérieur.* — Verdun, 1910.

TOMMASO GALLARATI SCOTTI. *[illegible]ria dell'amore sacro e dell'amore profano.* — Milano, 1911.

Per idem decretum notum fit ZENNER WIESMANN) W. KOCH et O. WECKER, AUG. HUMBERT, OTTOCARUM PROHASZKA et auctorem (P. A. S., operis inscripti *Catechismo di storia sacra*, decretis S. Congregationis, editis diebus 8 Maii et 5 Iunii 1911, quibus quidam libri ab eis conscripti notati et in Indicem librorum prohibitorum inserti sunt, laudabiliter se subiecisse.

ANNALES

Bellum inter Italos atque Turcas.

Bellum quod inter Italos atque Turcas in septemtrionali Africa geritur, discrimen, caducum licet, in Europa proximis diebus peperit. Itali enim dubitantes an per Gallicas naves in Tunetense territorium, indeque ad hostes clam subsidia mitterentur, onerarias naves duas, alteram *Carthaginem*, alteram *Manouba* nuncupatas, catascopis suis in altum continuerunt, easque Caralensem in portum deductas attente visitarunt; quum autem illic aëronavem, hîc Turcas viginti novem invenissent, machinam et homines tamquam belli praedam declararunt. Tum vero Gallorum ira exarsit, qui tot tantisque verbis praedicatae amicitiae imme-

mores, clamore atque minis omnibus Italos insecuti sunt. Vicit tamen, feliciter, prudens utriusque gubernii consilium; iuridica quaestio ad Hagense tribunal remittitur; aëronavis, fide data, eam in usum Turcarum nunquam cessuram, restituitur; traduntur pariter undetriginta captivi, in quibus Galli, Turcarum scientissimi, totidem medicos vel aegris inservientes expedite recognoscunt, iisque tutum omnino iter faciunt sese cum civibus suis proeliantibus coniungendi.

Ceterum Itali, lente quamquam, ob adversa temporum praesertim, assidue progrediuntur; in terris, Gargaresc oasi occupata, ad hostium continuos impetus victricibus armis propulsandos intendunt; in mari, nonnullis Turcarum navibus ad Konfuda demersis, fulmineis ballistis oppida ac munimenta Mahumetanorum per Erythreum mare oppugnant.

***

Eversae res in Sinis.

Populari gubernii ratione in Sinis pronunciata eique San-Jut-Sen doctore praeposito, hostilia brevi renovata sunt inter novarum rerum fautores atque milites regali familiae fidos, dum Yuan-Shi-Kai omnia experiri conatur, ut, specie saltem, singulare imperium servetur. Non faustis tamen auspiciis; provinciae enim Sinarum, quae proprie dicuntur, decem et septem numero, temporum inclinationibus adhaerent; in Mongolia « Buddah vivens » (hoc nomine religionis caput distinguitur) princeps nulli subiectus a civibus renunciatur; in Mandchouria denique Iaponici, ut in Thibetana regione Angli, maxime pollent. Ubinam igitur regalis antiqua progenies consistat?

Dum scribimus, per viam quae inter Pechinum et Hanckeu urbes intercedit, acriter pugnatur.

***

Varia.

Dum in Gallia senatores ad id delecti pactiones Franco-Hispanicas *de Mauritania* examini subiiciunt, in Riffiana provincia decertationes quotidie renovantur. Ad Kert flumen Hispani dicuntur trecentos milites suos aut caesos aut vulneratos vidisse, priusquam Mauros e castris submovere possent.

Anarchica *in Perside* rerum perturbatio adhuc perdurat; itaque facile intellectu est fore ut Russicum item Anglicumque imperium postulata sua de moderandis per se tum civili administratione tum publica pecunia in dies augeant, nullaque Persis futura sit salutis via.

Sub libertatis nomine (heu! quot criminibus obnoxium huiusmodi nomen) *in Lusitania* contra Episcopos atque presbyteros Catholicornm saevitur; sed interim plebs a laboribus ex condicto recedit, ad arma currit, ita ut obsidionis, prout vulgo dicunt, statum indicere oporteat. Quid vero? Gubernio iuvat harum seditionum incusare regis asseclas; imo regum. Notum est enim Brigantinae regiae stirpis ramos duos proximis hisce diebus Dover ad urbem simul convenisse, antiquisque positis inimicitiis, ad commune patriae bonum uno animo conspirandum iudicasse.

In Americis Novi-Mexici territorium cum Civitatibus nordicis Foederatis amice coniungitur.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Borussia** rationes acceptorum et expensarum perpenduntur.

In **Gallia**, obortis dissensionibus de parte nonnullis administris sibi sumenda circa foedus cum Germania de rebus in Africa gestis atque gerendis, administrorum collegium omne sese a munere abdicavit. Novo praeses Poincaré constitutus, cuius collegae sunt Briand, Bourgeois, Steeg, Millerand, Delcassé, Guist' hau, Klotz, Pams, Lebrun, Ioannes Dupuy, Ferdinandus David.

In **Germania** nova comitia habita, quae socialistarum factioni favorabilia maxime cesserunt.

In **Russia** de « socialibus » legibus disceptatur.

In **Suetia** regali oratione publici coetus sessiones resumptae, rogatioque legis nunciata de iure suffragii mulieribus quoque ita tribuendo, ut foeminis aliquot etiam magistratus adire liceat.

In **Turcarum imperio** Said ipsi munus administrorum collegii renovandi commissum, qui novos administros e « Iuvenum Turcarum » factione delegit. Deinde, per litteras Imperatoris senatui oblatas, popularium legatorum coetus dimissus.

PER ORBEM

Die III mens. Ianuarii MCMXII Vratislaviae septuaginta et septem annos natus obit Felix Dhan, Germanicus iurisperitus, ac simul historicus, poeta Milesiarumque fabularum auctor.

— d. VI ad Brixiam immane incendium Iani pagum fere omnino absumit.

— d. VII prope ferriviae stationem Bondy, octo millibus passuum ab urbe Lutetia Parisiorum sitam, curruum series vapore actorum, citato cursu superveniens, alteri occurrit, viatoribusque septem horribilem mortem, viginti autem vulnera adducit.

— d. VIII, Mons in Belgica, opifices fodinarum ad carbonem extrahendum, triginta millium numero, ex condicto ab opere recedunt.

— d. IX in vetere militari via ad Coloniam Agrippinam necropolis detegitur, in qua antiquitatis periti existimant milites caesos in Teutoburgensi proelio inter Varum et Arminium sepultos fuisse.

— d. X. Neo Eboraco in urbe aedes Societatis parsimoniae provehendae, cui nomen *Equitable*, improviso incendio diruuntur. Humanae victimae duodecim lugentur, quarum quinque ex impavida vigilum cohorte.

— d. XIV mersabilis bellica Italorum navis, cui nomen inditum *Argus*, Spetiae feliciter in mare immittitur.

— d. XV, Issy-les-Molineaux ad oppidum Galliae, aëronaves duae volitantes invicem urgentur; franguntur machinae, nautaeque Hanouville et Ruger procidentes vulnerantur.

— d. XVII Ianuense vetustum templum B. Virginis vulgo *della Guardia* ex improviso prolabitur secumque in ruinam trahit proximas aedes S. Stephani nonnullaque artis monumenta in iisdem asservata.

— d. XX Aberdeen, in Scotorum litore, vectoria navis frementibus undis in scopulos propulsa naufragium patitur. Viatores quinquaginta fluctibus heu! submerguntur.

— d. XXVI vehemens terrae motus in Graeciae provinciis atque insulis ingentia damna parit.

— d. XXVIII Romae cursum vitae placide absolvit Antonia Klitsche de La Grange, Milesiarum fabularum, quas ex historicis argumentis, iuxta Gualterii Sc tt rationem, praecipue condidit, autrix probabilis.

— d. XXIX Assuan iu urbe, sexaginta et unum annos natus, vita fungitur Alexander Duff, primus de Fife dux, Anglorum regis levir.

— d. XXX tumultus per Lusitaniam passim nunciantur, ab opificibus opera sua ex condicto deserentibus excitati.

LIBRORUM RECENSIO

Opera poetica Dantis (Divina Comoedia, Vita Nova et Cantus Lyrici) versibus germanicis reddita, adiecto e conspectu textu italico, auctore RICHARDO ZOOZMANN. (Vol. 4, in 12. Friburgi in Brisgovia, typis B. Herder, a. 1911, editio altera. — Contecta lino ven. marc. 20; pergamena, marc. 30).

Priorem huius operis editionem honorifice iam recensuit Commentarius noster, postquam a. MDCCCCVIII in lucem prodierat. Ad praesentem autem impressionem novae accedunt laudes, eaeque praeclarae, quas paucis innuere placet. Nam, etsi anterior editio absoluta videbatur ad unguem (quam ob causam brevi triennii intervallo divendita fuit), suam tamen auctor interpretationem iterum ex integro recognovit, nec paucis in locis ulterius limavit atque expolivit. Duriores nempe, qui subinde remanserant, emollivit verborum occursus; sententias aliquot, non ita accurate redditas, felicius expressit; quin etiam interpres eo usque fidem servavit, ut quae versuum desinentiae in prototypo femineae essent (uti aiunt) vel masculinae aut dactylicae, easdem ipse pari ratione concluderet. Nec desunt loci, etiam longiores, qui omnino fuerint retractati et refecti. Ita contigit, ut Aligherius, Zoozmannica veste indutus, ea propemodum maiestate et gratia incedat apud Germanos, qua fulget apud Italos in sua toga nativa. Qui felicissimus exitus debetur, non solum incredibili diligentiae clarissimi interpretis, v rum etiam admirabili scientiae, qua ille thesaurum praedivitem linguae germanicae penitus investigavit et penes se retinuit.

Alia huius editionis eximia laus est, quod, praeter generale praeloquium in Divinam Comoediam, variae praemittuntur adnotationes in Dantis Infernum, Purgatorium, Paradisum, Vitam Novam et Cantus Lyricos. Harum elucubrationum auctor est Constantinus Sauter, vir cum in aliis materiis perdoctus, tum in iis omnibus versatissimus, quae ad Dantem pertinent, cuius etiam *Convivium* egregie reddidit, germanice conversum. Quantam vero lucem memoratae praefationes cantibus Dantinis afferant, ille profecto experietur, qui eas vel cursim perlegerit.

Ipsa tandem voluminum facies suo decore legentes allicit Charta nitida est itemque firma; errores typographici desunt; operimentum, etsi simplex, elegantiam spirat. Uno verbo, opus hoc nobili sua origine dignissimum est, prelo inquam Herderiano.

FRANC. X. REUSS.

AENIGMATA

I.

Pars prior aspergit tellurem luce corusca,
Claudit saepe preces *altera* Christicolum.
Heu! *totum* restat miseris, Fortuna dolosa
Queis atroce manu cetera cuncta rapit.

II.

Nescio mutari: recte seu lecta retrorsum
Non cesso fauces urere saeva tuas.

F. P.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet Ioachim Antonelli Costaggini Milesiam fabulam, cui titulus:

ARRAE GORGONIAE.

Aenigmata an. XIV, n. X proposita his respondent:

1) **Nox, Nix, Nex, Nux.**
2) **Navis, Avis, Vis, Is,**

Ea rite soluta miserunt:

Lucius Rhaetns, *Bucarestino.* — Aug. Scriban, *Iassiis.* — P. C. Peltenburg, *Soeterwonde ad Lugdunum Batavorum.* — Lad. Lud. Podobinski, *Neo Sandecia.* — Alex. Fàsgtusz, *Szatmár.* — I. M. Mennier, *Corbiniaco.* — Fr. Baturewiez, *Zytomiria.* — St. Kempa, *Strosisca.* — Ioan. Galbiati; F. Arnori, *Mediolano.* — Ioan Sismondo, *Casale Montisferrati.* — Ad. Kozlowski, *Petricovia.* — St. Dantas, *Natal in Brasilia.* — P. Bernardins a Montienlo, *Aveano in Marsis.* — F. Ortiz, *Morelia.* — Fr. Salvatore, *Syracusis.* — Georg. Arehambeanlt, *Quebeco.* — I, Martins, *Philadelphia.* — Petrus Tergestinns. — Nie. Endrigi, *Salisburgo.* — Rich. Brondel, *Brugis.* — R. Richi, *Traianopoli.* — Raim. Silvan, *Londino.* — F. Ricci, *Florentia.* — Clem. Fiard, *Curia Rhetorum.* — Nic. Lagumina, *Panormo.* — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio.* — Barth. Ferraris, *Augusta Taurinorum.* — F. X. M., *Drepano.* — Paulinns a S. Iosepho, *Barcinone.* — Rich. Muller, *Berolino.* — Mart. Dunne, *Neo-Eboraco.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — Ant. Whiteside; Alb. Kain, *Dublino.* — Ant. Masia, *Terragona.* — Iac. Menendez, *Madrito.*

Sortitus est praemium:

GEOGIUS ARCHAMBEAULT,

ad quem missum est opus, cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHI
DE ORATORIBUS ROMANIS
ACROASIS

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina *Societatis Editricis Romanae.*

EUPLIUS

(15

Actio dramatica a I. B. Francesia versibus senariis exarata.

SCENA VI.

POPULARES CHRISTIANI *(adspicientes ad partem qua actus est Euplius).*

POP. I.

Accedit carnifex, praeparat gla ium!

POP. II.

Quod circa sacrum populi silentium!

POP. III.

Super stat ipse suggestu, vult alloqui.....
Urbis Praefectus, indignanter, prohibet...
Levat caput, manus, precatur tacitus.
Eius cruor fluat sanitas civium!...

POP. II.

Hic esto, Chri te, princeps et praesidium.
Omnesque cives adorent Te in posterum *(pausat).*

SCENA VII.

VOLUSIUS. *(Sedit moesto adspectu).*

Occidit placidus vir hic sanctissimus!
Amator pertinax recti propositi!
Qui l ips si Deus forte Christus foret?
Quid ni? Si t ntos viros potest gign re...
Oh! si mihi tandem lumen splendesceret!
Adhuc quod nitor veritatem pellere?
Ad te confugio contentus pectore,
Colo Te, veneror, Christe, Te fateor
Solum qui mundum redemisti sanguine.
(fl xis genibus adorat).
At ecce Maximus redit. Qua spe ie!
Hunc forte rodet conscientiae stimulus;
Iustum nam perculit tot modis pes imis.

SCENA VIII.

MAXIMUS,

(mutato vultu ingreditur) et DICTI. Deinde CALVISIANUS.

MAXIMUS.

Et ipse mortuus! Tamen qua laetitia!
Non ullus questus, nulla trepidatio!
Ut olim dicitur Christus ad Golgotham,
Meis ignoscens fervidus sceleribus,
Dicens: *Iesu, meo da veniam populo!*
Cur autem crucior? Quod nuper petii
Evenit tandem! Magna vis pecuniae
Velut flumen curr t quod naturaliter,
Meas in ulnas deveniet proxime.
Serpit sed terror qui per ossa gelidus?
Timor meorum qui me turbat criminum?
Novisti Christum! Reliquisti, perfide!
Quod nam discrimen Christi cum discipulo
Magistrum tradidit qui pro pecunia?
Erat tibi pater... Duxisti ad iudices...
Ut Iudas admodum magistrum tradidi!
Huius me turbat iu icium proximum...
Meo nullum datur perfugium sceleri,
Manent sed aeternae me po nae ad inferos.
O Calvisiane! Quae me dementia
Traxit ut comes essem tibi criminis?
Quid fecerim sentio! Flamma velut cruor
Per membra serpi, iecur lacerat, viscera,
Ad imos talos heu! sudore diffluo!
Suo me nemesio castigat fulmine! (1)

VOLUSIUS.

Vide qua morte periit! Rebellis, impius!
Venit suus comes, flagitii socius!

CALVISIANUS.

Quo vadam nescio. Videre videor
Occisi effigiem vagari ante oculos

(1) *Post haec, veluti fulmine tactus, stabit immobilis, dum ingreditur Calvisianus.*

Mihi turbatis comminarier vultibus.
Miser, quid egi? Ehu! quot in me umbreculae
Vagantur circum, me verbis territant.
Euplius adest prior! diffusus sanguine
Indutus at veste, corona candida...
Miser, quid egi? Servet quis incolumem?
Quid est? Hic Maximus percu'sus ful nine!
Luit poenam suo condi nam crimine.
Quis me salvet?

VOLUSIUS.

(Ad stantes versus).

Iesus Christus! si crederes. (1)
Ei sit virtus, decus, honor per saecula!...
Sum Christianus! Christum veneror et colo,
Quem nobis Euplius fassus est sanguine!

OMNES *(Alternatim).*

Regnet Deus, cunctis dominetur gentibus,
Dedit qui martyri triumphi gloriam!

LICENTIA. (2)

Iam sanctus Euplius corona cingitur,
Acceptus inter caelestium gloriam.
Sanctus recreatur *vero volumine*,
Aeternis aureis descripto litteris.
Luit quoque poenam quaesitam scelere
Infelix Maximus! Colunt et Catani
Iesum! Volusius fratres et pauperes
Suis solatur verbis et divitiis.
Ridet muneribus divinis Catana,
Extollit laudibus meritis martyrem,
Fuit qui semen Christiani germinis.
Nostri actitarunt qui latinam fabulam,
Expromtam a libris dedit quos historia,
Et totis nervis, qua par est mod stia,
Agi vobis volunt, spectatores, gratias,
Multi qui meritis estis et numero!
Si in actitando forte nos peccavimus,
Docti cognoscite, comes ignosci .
Si delectavimus, plausum date.
Deus vos conservet semper incolumes!

FINIS.

(1) *Calvisianus adstat aliquantisper anceps et postea maxima poena confectus introgreditur.*

(2) Erit etiam qui PROLOGUS.

PROXIMA " VOCIS URBIS ,, APPENDIX

Ioannes Baptista Francesia, qua facundia pollet, novam scenicam actionem ad nos misit, appendicis modo in " Voce Urbis ,, vulgandam, quam inscripsit

AD PILATUM

cuiusque personae (peculiare id, imo in re Latina unicum) a solis mulieribus geruntur.

Antequam vero eius editionem aggrediamur, pluribus sociis morem gerentes, qui frustra iamiam requisiverant, iterum vulgabimus Sienkiewicii fabulam, cui titulus

ANTHEA
SIVE
EAMUS AD IPSUM.

Eam, prouti certe lectores recordantur qui ab incunabulis nobiscum fuere, pro nobis venustissime, quemadmodum solebat, latine reddidit ***Petrus Angelinius***, magister ille desideratissimus, paucis tantum abhinc mensibus e vivis ereptus.

Ann. XV. ROMAE, Mense Martio MCMXII Num. III.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

PIO X PONT. MAX.

IN SOLEMNI COMMEMORATIONE SANCTI IOSEPH

A. MDCCCCXII

Martius vernat, recolitque nomen
grande Iosephi, DECIMO PIORUM
inditum, sacro simul ut Lavacro
prodiit, infans.

Ver redux longum, PIE, Te per aevum
sospitem cernat! Sileat, novenne
qui Tibi regnum fore dixit; annos
exige Petri!

Gaudiis ac Te cumulet supernis
qui Deus novit, vel acerbiores
inter aerumnas, recreare laeto
pectora sensu.

Nuper arrisit Tibi lux serena,
quo die lectâ licuit phalange
purpuratorum viduata Patrum
scamna replere.

Iamque laetandi nova surgit hora:
sedecim, postquam Labarum refulsit,
acta sunt Orbi memoranda claris
saecula gestis.

Acriter Romam sibi vindicabant
Caesares bini: Crucis ille Christi
cultor accedit; colit hic deorum
numina vana.

Ille, Gallorum veniens ab oris,
voce caelesti monitus, triumphis
advolat certis, Crucis explicato
auspice signo.

Herculis clavam Iovis atque fulmen
invocans, alter bovis obtuetur
exta, felicem paritura, teste ha-
ruspice, pugnam.

Pugna mox fervet, volitatque primum
spissa telorum crepitansque grando;
tum micant enses, truciorque saevit
cominus ira.

Milvium sentis trepidare pontem,
quo ruunt densi pedites, equorum
quo ruunt turmae; rubet a profuso
sanguine Tibris.

Hostis at frustra Labarum lacessit;
nilque, Maxenti, tibi profuerunt
impii ritus, nihil et cohortum
copia maior.

Fortior quivis cecidit tuorum;
terga verterunt reliqui; fugamque
ipse moliris, periturus inter
fluminis undas.

Crux ave victrix! Helenaeque fili,
dic Io festum! tibi iam triumphos
Urbs parat laetans, memorem Deique
unius Arcum. (1).

Scribe (quo finem capiat cruentus
in Crucem Christi furor imperantum)
scribe Decretum, sua Christianis
iura daturum.

Pontifex at Tu, PIE, vive felix,
vive securus, Cruce tectus almâ!
Crux stat et stabit, labefactus etsi
corruat Orbis.

FRANC. XAV. REUSS.

(1) Inscriptio, a S. P. Q. R. arcui triumphali insculpta declarat, vicisse Constantinum *instinctu Divinitatis.* Fuerunt qui dicerent, nulla tamen nixi auctoritate, binas illas voces insertas fuisse posterius, quum prius legeretur *Diis faventibus,* vel aliquid simile. Hos tamen errasse, manifeste apparuit anno 1863, quum, curante Napoleone III, hu'us inscriptionis, applicato molli gypso, expressa fuit accuratissima effigies. Tunc enim de mutata aliquando formula ne minimum quidem deprehensum est vestigium. Satis autem fuit Constantino, ne Senatum adhuc paganum offenderet, mentio generica *Divinitatis,* exclusa deorum pluralitate. Eo enim tempore, christiani ab ethnicis cultores Dei, i e. unius Dei, appellari solebant. (Cfr. MARUCCHI. *Eléments d'archéologie chrétienne,* Rome 1905, pag. 68-69).

RELIGIONIS CONCEPTUS (1)

Altius Angelicus Praeceptor circa religionis conceptum. Iuxta mentem illius, religio:

a) est virtus quaedam. — In virtutis enim conceptu tum bonitas operantis, tum bonitas operis includuntur: utrumque vero in religione ipsa invenitur. Invenitur bonitas operantis, quia dum homo per religionem Deum colit, in semetipso omnique ex parte fit bonus, idest bene ordinatus relate ad Deum, respectu intellectus qui Deum tamquam primum *Principium* recognoscit; respectu voluntatis quae Deo tamquam *Fini* ultimo adhaeret; respectu partis sensibilis, quia per religionem ipsam totus homo, non sola hominis pars, Deo uti superiori subditur. Invenitur bonitas operis, quia dum per religionem Deus colitur, ei quod ipsi debitum est redditur, et hoc quum iustitia quaedam sit, bonum opus est. « Reddere, - inquit Angelicus - (2) debitum alicui habet rationem boni; quia per hoc quod aliquis alteri debitum reddit, constituitur in proportione convenienti, respectu ipsius, quasi convenienter ordinatus ad ipsum. Ordo autem ad rationem boni pertinet ».

b) Est virtus specialis, — idest ab aliis distincta, quia in religione specialis datur bonitas, quum honor specialis Deo propter excellentiam suam specialem tribuatur. « Deo, - sunt verba Angelici - (3), competit singularis excellentia, in quantum omnia in infinitum transcendit secundum omnimodum excessum. Unde ei debetur specialis honor ».

c) Est virtus moralis. — In virtute enim religionis habetur cultus, qui est « materia et obiectum religionis »; habetur Deus « cui cultus exhibetur. Affertur autem Deo debitus cultus, in quantum actus quidam, quibus Deus colitur, in Dei reverentiam fiunt: puta sacrificiorum oblationes.. Unde manifestum est quod Deus non comparatur ad virtutem religionis sicut materia, sed sicut finis. Et ideo religio non est virtus theologica, cuius obiectum est ultimus finis, sed est virtus moralis, cuius est esse circa ea quae sunt ad finem ». (1)

d) Inter ceteras virtutes morales praeminet, et habet rursus interiores actus quasi principales, exteriores vero actus quasi secundarios, et ad interiores actus ordinatos. — Praeminet quia «Religio magis de propinquo accedit ad Deum quam aliae virtutes morales, in quantum operatur ea quae directe et immediate ordinantur in honorem divinum ». Habet duplicem actum quia « per hoc quod Deum reveremur et honoramus, mens nostra ei subiicitur... Mens autem humana indiget, ad hoc quod coniungatur Deo, sensibilium manuductione, quia invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, ut Apostolus dicit (*Rom.* 1, 20). Et ideo in divino cultu necesse est aliquibus corporalibus uti, ut eis quasi signis quibusdam mens hominis excitetur ad spirituales actus quibus Deo coniungitur». (2)

***

Propter dicta atque ex dictis, concludere fas est, in Religionis conceptu *finem* inveniri qui quidem finis Deus

(1) Cfr. num. sup.
(2) 2-2ae 81, 2.
(3) Ib. a. 5.

(1) 2-2ae p. 81, 6.
(2) Ib. a. 7.

est, cui reverentia exhibetur et in quem actiones utriusque cultus, interni nempe et externi, ordinantur. Invenitur *obiectum* eiusdem religionis, idest cultus, quia actiones interni ac externi cultus ipsius religionis virtutis propriae sunt. Inveniuntur actiones tum *immediatae,* tum *mediatae* religionis: primae sunt quas religio elicit, et per quas « homo ordinatur ad solum Deum », sicut sacrificare, adorare; secundae sunt quas religio « mediantibus virtutibus quibus imperat » producit, ordinans eas ad divinam reverentiam, uti visitare pupillos aliaque misericordiae opera. Habetur actio intellectus, quum per religionem Deus uti primum hominis principium cognoscatur, quumque religio ipsa veritatum speculativarum collectionem contineat; et rursus quum inter religionis actus, oratio sit quae propria intellectus est. Habetur actus voluntatis; quia devotio, quae actus religionis est, ad voluntatem ipsam pertinet. Habetur actio sensuum externorum, quum in religione totalis hominis subiectio Deo sit manifestanda, interiores tamen actiones tum intellectus tum voluntatis praeminent in religione inter actiones alias, uti anima superior est corpore.

Errant, qui vel in solis actionibus internis, vel in solis externis, vel in sola actione voluntatis, vel in sola actione intellectus, totam religionem consistere asserunt; homo siquidem, pro quo est religio, neque sola anima est neque solum corpus, sed anima et corpus simul; neque ipsa religio res solius intellectus, vel res solius voluntatis est, sed utriusque simul, quum in religione veritatum collectio, atque in finem tendentia reperiantur. Propterea in S. Thomae conceptu religio definienda est: Virtus moralis qua homo, tum per actiones intellectus, tum per actiones voluntatis, tum per actiones externorum sensuum debitum cultum, debitamque reverentiam Deo exhibet.

REGINALDUS FEI O. P.

DISPUTATIONES PHILOSOPHICAE

MODERNISTAM INTER ET THOMISTAM (1)

Qua ratione amor finis possit esse simul et naturalis et liber, penitius inquiritur.

MODERNISTA. — Ergo, te iudice, inter amicos carissime, amor finis potest esse naturalis essentialiter et liber obiective, nisi male intellexerim. Quod assertum fusius a te explanari, propter difficultatem simul et gravitatem peto, si libuerit.

THOMISTA. — Ita sit ut petis, carissime. Id tamen obiter praenotatum volo, hanc doctrinam a me explanatam non esse phantasiae partum, siquidem experimentis conscientiae nititur, ubi quis actus proprios analysi subiecerit. Plures quippe de cognitionum nostrorum certitudine dubitant, inter quos omnes praeminent Kantistae et Modernistae, eo quod proprios actus insufficienter perspiciunt.

(1) Cfr. num. sup.

Contendo igitur directum amorem finis non esse quidem sic liberum quod subdatur immediate et sui ratione libero rationis imperio; sed sic esse liberum quod possit impediri indirecte, ubi scilicet per voluntatem interrumpi aut suspendi potest actus cognitionis, unde et suspendi et interrumpi actus amoris. Quod perpetuo asserit Angelicus, contendens voluntatem a nullo obiecto necessitari ad exercitium, quia homo potest de quocumque obiecto non cogitare. Haud secus ubi profitetur voluntatem necessario amare beatitudinem in communi, hoc ita explicat intelligendum, nempe esse quantum ad determinationem actus, non autem quantum ad exercitium actus, quum possit aliquis non velle nunc cogitare de beatitudine, quia etiam ipsi actus intellectus et voluntatis particulares sunt. (1)

Hoc adde voluntatem circa determinatum obiectum posse acto suo uti quum voluerit: usus quippe passivus non est liber nisi extrinsece, quum et aliarum a voluntate potentiarum esse possit: unde liber non est nisi obiective et imperative, seu ex libera voluntate causatus.

Quod et aliis terminis reddere possum, hoc dicens, nempe voluntatem, stante apprehensione practica ultimi finis, non posse suspendere omnem sui actum, seu nullum actum eligere: sed posse apprehensionem ipsam practicam suspendere, et huiusmodi apprehensione suspensa, suspendere et omnem sui actum seu amorem circa ultimum finem. Unde voluntas ultimum finem amat necessitate suppositionis, supposita nempe ultimi finis apprehensione practica. Amor igitur boni non est liber intrinsece, sed necessarius: est autem liber obiective quantum ad exercitium. Ubi nempe ultimus finis per apprehensionem practicam fuerit praesens, in eum voluntas necessario tendit; sed vero ipsamet praesentia interrumpi potest per apprehensionis interruptionem: unde et interrumpi ipse amor poterit.

Imo addendum est voluntatem agere ad apprehensionem boni cuiuscumque boni, et in aliquem boni amorem necessario prodire, cum hac sane differentia, quod sicut intellectus est indifferens ad apposita iudicia, circa obiecta non necessaria, ita voluntas est indifferens ad actus amoris hos vel illos, tales aut tales. Supposita quippe apprehensione boni alicuius, voluntas in amoris actum aliquem necessario exit: non tamen ad actum amoris specificati, quia potest tale vel tale exinde amare bonum. Ex quo statim fluit rectum illum amorem fore qui dum in actum propter amorem boni in communi exit, bonum particulare ex iudicio eligat priori bono conforme.

M. — Nonne tamen certum est, etiam manente apprehensione finis ultimi, suspendi posse actum amoris in illum, ut putant nonnulli etiam ex Thomistis theologi?

T. — Errant tamen illi pauci ita opinati.

(1) *Mal.* q. 6.

Nullus sane ex sincerioribus sancti Thomae discipulis fuit qui docuerit voluntatem ad praesentiam obiecti cogniti se posse negative habere simpliciter : dum omnes e contra profitentur eamdem necessario in actum suum exire, siquidem voluntas non exercet vitam nisi operando, non autem ab omni operatione cessando : vitam vero praesente obiecto exercere debet, quum sit ad agendum. Quapropter voluntas, quocumque obiecto proposito, vel approbat, vel reprobat, vel per actum positivum illud considerare dimittit et cessat.

Ad obiecti praesentiam natura sua fertur necessario in bonum, ut ex illius amore de amore obiecti particularis decernat, et istud vel approbet vel reprobet, vel amorem suspendat apprehensione suspensa.

Voluntas, inquam, in quocumque obiecto vult finem seu bonum, atque ex istius amore operatur; neque hunc amorem reprobare potest, neque manente finis apprehensione ab agendo cessare, unde non potest suspendere, nisi ab apprehensione cessando.

Et praeterea, voluntas in bono particulari, hoc bonum in se vel vult, vel reprobat, vel dimittit, amorem boni in communi retinendo, neque, ubi iudicium practicum dictat hic et nunc unum prae aliis esse eligendum, voluntas non potest amorem istius reprobare aut suspendere, nisi mutetur prius iudicium. Neque hoc erit contra libertatem, siquidem libertas non est potentia componendi opposita ex eodem iudicio, sed potentia admittendi opposita ex iudiciis oppositis.

Istud itaque retineatur omnino, videlicet voluntatem sic esse liberam ad exercitium actus, et ad velle finem, quod tamen in sensu composito, et supposita obiecti apprehensione ex natura sua est determinata et necessitata ad aliquem boni amorem, imo ad aliquam electionem indifferenter et vage, ita ut non possit collective omnem actum suspendere. Unde passim pronuntiant doctores hominem esse sine aliquo amore non posse. Potentia quippe ex natura propria ad operandum ordinatur, et, ubi non impedita non operaretur, ipsamet potentia cessaret, vel saltem propria et connaturali perfectione in se et ex se destitueretur. Quin imo sequeretur nec libertatem, nec voluntatem datas fuisse ad operandum : quod absurdum plane est.

Quapropter tenendum est voluntatem, ubi non erit impedita, ita liberam ad exercitium esse quod hoc vel aliud velle poterit, non tamen ita liberam ad nihil operandum. Unde passim Doctores, imprimis Angelicus, asserunt voluntatem semper aliquid velle praesente obiecto.

Neque obest si voluntas vel malum eligat : etsi enim malum in se contrarietur beatitudini, attamen secundum aestimationem operantis non contrariatur.

M. — Nonne tamen hoc inde sequitur quod homo, ubi beatitudinem in communi necessario amet, Deum similiter amet necessario, ubi ipsi constiterit solum Deum esse in quo reperitur beatitudo?

T. — Etsi tamen reapse homo amet necessario bonum in communi, non amat necessario bonum in particulari. Hic autem in terris Deus nobis ut bonum particulare apparet, et tale habetur ex iudicio rationis : quin potius ex alio iudicio rationis Deus dimitti, imo et odio haberi hic et nunc potest.

M. — Sed aliunde, nonne omnis amor boni in particulari supponit in ipso bono aliquid deficiens, unde amor prorsus liber dicendus sit?

T. — Res ipsa sic se habet, siquidem et nos asserimus hanc libertatem obiectivam, quod tamen nihil impedit quominus insimul nonnihil amoris necessarii simul admittendum sit. En sancti Thomae doctrinam: « Bonum quod est obiectum voluntatis est in rebus, et ideo oportet quod motus voluntatis terminetur ad rem extra animam existentem. Quamvis autem res, prout est in anima, possit considerari secundum rationem communem, praetermissa ratione particulari, res tamen extra animam non potest esse secundum communem rationem, nisi cum additione propriae rationis; et ideo oportet, quantumcumque voluntas feratur in bonum, quod feratur in aliquod bonum determinatum; et similiter, quantumcumque feratur in summum bonum, oportet quod feratur in summum bonum, huius vel illius rationis. Quamvis autem ex naturali inclinatione voluntas habeat ut in beatitudinem feratur secundum communem rationem, tamen quod feratur in beatitudinem talem vel talem, hoc non est ex inclinatione naturae, sed per discretionem rationis, quae adinvenit in hoc vel in illo summum bonum hominis constare; et ideo quandocumque aliquis beatitudinem appetit, actualiter coniungitur ibi appetitus naturalis et appetitus rationalis ». (1)

M. — Experientia tamen testatur, plerumque nos plura inchoare ex solo amore honesti, quin attendamus ad felicitatem: unde falsum apparet primum actum esse naturalem.

T. — In duobus deficit illa exceptio. In hoc imprimis, quod inde supponatur hominem aliquid velle posse non amando propriam perfectionem, et felicitatem etiam in ipso amore amicitiae : quod falsum esse diximus et patet.

Iterum deficit quia non distinguit inter amorem ultimi finis secundum substantiam et secundum modum. Finis enim secundum substantiam percipi potest tum confuse, tum formaliter, quum tamen in propria natura non mutetur. Ergo, inquam, contendo hominem agere propter finem, seu perfectionem, seu felicitatem, non quidem clare et formaliter conceptam, sed confuse solum perceptam. Sed de hisce alias.

I. I. B.

(1) IV. *Sent.*, Dist. 49, q. 1. a. 3, ad 3am.

ANTHEA

Novam Vocis Urbis *Appendicem ex fabula* H. Sienkiewicz *Poloni :*

EAMUS AD IPSUM

vid. in pag. 48.

Stili lapidarii elementa[1]

LITTERAE INSCRIPTIONUM SINGULARIUM
ET VOCABULA DECURTATA

Innumerae sunt literae, quae in veteribus inscriptionibus habentur; quibus etiam « Siglorum » nomen attributum est. Sunt etiam vocabula decurtata. Ex his nonnulla tantum seligemus, ea scilicet quae inscriptionibus nostris maxime convenisse videantur, et quorum veram certamque significationem teneamus.

§. I. — *Inscriptionum sacrarum.*

A. L. V. S. Animo libens votum solvit.
S. P. P. Sua pecunia posuit.
C. S. Cum Suis.
D. Dedit.
D. D. Donum dedit.
D. D. L. M. Donum dedit libens merito.
D. D. A. L. Donum dedit animo libens.
D. L. D. L. D. D. D. Donum libens dedit loco dato decreto Decurionum.
D. P. S. De pecunia sua.
D. S. D. D. De suo donum dedit.
D. S. P. De suo posuit.
Ex Arg. R. V. P. S. P. Ex Argenti rudis quinque pondo sua pecunia.
Ex Auri P. III. = et Arg. P. CCVII. = Ex auri pondo tribus et sextante; et argenti pondo ducentis sex et sextante.
Ex Vot. Pos. L. L. M. Ex voto posuit laetus libens merito.
Ex Vot. L. M. Ex voto libens merito.
In H. D. D. In honorem domus divinae.
L. D. D. D. Locus datus decreto Decurionum.
L. D. P. Locus datus publice.
L. L. M. Laetus libens merito.
L. L. P. D. Laetus libens posuit donum.
L. P. D. Loco publice dato.
P. S. D. N. M. Aur. Pro salute domini nostri Marci Aurelii.
Q. I. S. S. Quae infra scripta sunt.
Q. S. P. P. S. Qui sacris publicis praesto sunt.
S. P. F. C. Sua pecunia faciundum curavit.
S. P. C. Sua pecunia curaverunt.
V. T. F. I. Votum testamento fieri iussit.
V. S. L. A. Votum solvit libens animo.
V. S. D. D. Voto suscepto donum dedit.
V. S. F. Voto suscepto fecit.
V. S. L. L. M. Votum solvit laetus libens merito.
V. V. Votum vovit.
V. S. L. A. Votum solverunt libentes animo.
XV. Vir. Sac. Fac. Quindecimvir sacris faciundis.

(1) Cfr. num. sup. anni XIIum.

§. II. — *Inscriptionum honorariarum.*

A. A. A. F. F. Auro argento aeri flando feriundo.
Abn. Abnepos — *Adn.* Adnepos.
Aed. Pot. Aedilicia potestate.
A. Ra. Mil. Fru. A rationibus militaris frumenti.
Aq. Praet. Urbis. Aquilifer Praetoris Urbis.
Bf. Prae. Beneficiarius Praetoris.
Class. Pr. Classis Praetoria.
Coh. I. B. ∞ Eq. Cohortis primae Britonum milliarii equitatus.
C. A. F. M. Copia Augusta felix Mediolanum.
Corr. Flam. Corrector Flaminiae.
Cur. P. P. Curator Pecuniae Publicae.
Cur. R. P. Curator Rei Publicae.
Dec. Eq. Sing. Imp. N. Decurio Equitum Singularium Imperatoris nostri.
Dupl. Duplarius.
Fr. D. Frumenti dandi.
H. V. Honore usus, vel usi.
H. A. I. R. Honore accepto impensam remisit.
Imm. II. Hon. IIII. Immunis iterum honoratus quartum,
Inl. Inlustris.
H. V. S. R. Honore usus sumptum remisit.
I. D. aut *Iur. Dic.* Iuri dicundo.
L. P. D. D. D. Locus publice datus decreto Decurionum.
Mag. Col. Magister Collegii.
Mag. Quinq. Coll. Fabr. Sig. Magister quinquennalis collegii Fabrorum Signariorum.
N. Natione.
N. Nepos.
O. H. In R. S. F. Omnibus honoribus in Republica sua functus.
P. P. Pater Patriae.
P. P. Pecunia Publica.
Pr. Pr. Praefectus Praetorio.
Pr. P. Pro Praetore.
Praef. Vig. Praefectus Vigilum.
Proc. F. C. Procurator Fisci Caesaris.
Q. Alim. Quaestor alimentorum.
Q. Prov. Quaestor Provinciae.
St. XXXV. Stipendariorum trigintaquinque.
Tab. XX. Tabularius Vicesimae.
V. C. Vir clarissimus.
Vet. Aug. Veteranus Augusti.
Vice S. I. C. Vice sua Iudex cognitionum.
VV. CC. Viri Clarissimi.
XX. Haer. Vicesima haereditatum.
XL. G. Quadragesima Galliarum.

§. III. — *Epitaphiorum.*

Acie. Desid. Acie desideratus.
Amico B. M. F. Amico bene merenti fecit.
A. O. F. C. Amico optimo faciundum curavit.
A. Cub. A Cubiculo.

Ab. Epist. Lat. Ab Epistolis Latinis.
A Lib. À libellis.
B. M. Bene merenti.
B. Q. Bene quiescat.
B. D. S. M. Bene de se merito.
Com. S. Commilitoni suo.
D. Domo, dies-passim.
D. M. A. Dolus malus abest, vel abesto.
D. S. B. M. Cum Lacr. P. De se bene merenti cum lacrimis posuit.
F. I. D. P. S. Fieri iussit de pecunia sua.
D. S. P. De suo posuit.
H. A. O. F. C. Haeres amico optimo faciundum curavit.
H. E. T. F. C. Haeredes eius testamento faciundum curaverunt.
H. M. A. H. N. P. Hoc monumentum ad haeredes non pertinet.
H. M. D. M. A. Huic monumento dolus malus abest.
H. M. Ext. N. Rec. Hoc monumentum externos non recipit.
H. M. H. N. S. Hoc monumentum haeredes non sequitur.
H. M. H. Ex. N. S. Hoc monumentum Haeredem externum non sequitur.
H. M. S. D. M. Concessum est. Hoc monumento sine dolo malo concessum est.
H. C. E. Hîc conditus est.
H. S. E. Hîc situs est.
H. S. S. Hîc siti sunt.
Inf. Aer. P. R. Inferat Aerario Populi Romani.
In Fr. P. In fronte pedes.
In Lat. In latum.
Lat. P. XX. Latum pedes viginti.
L. Q. V. P. XVI. Latum quaqua versus pedes sexdecim, vel quadratos pedes.
Mil. Miles, aut militavit.
M. P. Monumentum posuit.
N. vel *Nat.* Natione, vel natus.
O. H. S. S. Ossa hîc sita sunt.
O. P. Q. Ossa placide quiescant.
O. T. B. Q. Ossa tua bene quiescant.
P. P. Pro parte.
P. M. Plus minus.
Q. Q. V. P. L. Quaqua versus pedes quinquaginta.
Q. V. A. Qui vixit annos.
Ret. P. XXX. Retro pedes triginta.
Sibi, et S. P. Q. E. Sibi, et suis posterisque eorum.
T. F. Testamento fiat.
T. F. I. Testamento fieri iussit.
T. P. I. Testamento poni iussit.
V. Vixit, vivus, vivit.
V. F. Vivus fecit.
V. P. Vivus posuit.
V. V. V. Vale, vale, vale.

(Ad proximum numerum).

QUADAM ANIMI INFLAMMATIONE OPUS EST
IN ARTIBUS INGENUIS EDOCENDIS

Qui colis ingenuas artes, praestare memento
Pervigiles curas officiique decus.

Si languet virtus animi, si deficit ardor,
Tristi saxosam semine spargis humum.

Si cupis ingentes doctrina educere fructus,
Praeceptis studeas ut bene pectus alant.

Inter sese una sociatae nexibus artes
Ingenium firmant exhilarantque animum.

Hinc iuvenes alti carpunt sublimia sensu,
Viribus atque aucti splendida facta ferunt.

Hinc illos tentat formae violenta cupido,
Allicit et verum flammiferis radiis.

His studiis freti, tamquam munimine, bella
Errorum fortes sic superare queunt.

Eia age te totum donaque voveque, magister,
Et stimulos ardens ingere amoris eis.

Quid veterum cultu melius? quid purius arte?
Doctrinas illas vincere quidne potest?

Quid maiestatem, splendorem exaequat Homeri?
Quid Flacci effingit consequiturque iocos?

Nonne hic procedit cultus de fonte perenni?
Nonne hic doctrinae prosilit inde late?

Multa queunt animo tristi oblectamina ferri,
E studiis quisquis commoda multa trahit.

Si maeres, ingensque sedet tibi pectore luctus,
Perlege scriptores, saepe revolve manu.

Insperata simul veniunt tibi gaudia, mulcent
Quae cor suspensum moestitiamque fugant.

Audi, praeceptor: nunquam te taedeat artes
Coram discipulis concelebrare tuis.

Affice sed sensu doctrinas, affice vita:
Vivifica priscum tempus, et ipse iuvas.

Regula multa nocet, plerumque fatigat alumnos:
Tu potius monstra dulce quid inde fluat.

Quid maneat vero, quid spiret docta vetustas,
Quo fructu viridans sit, meminisse decet.

Hoc tantum poteris iuvenes recreare docendi
More, probra et studiis pellere dira procul.

Consentiae, Kal. Ian. a. MCMXII.

M. GALDI.

LUDI PUERORUM APUD ITALOS

Repagula, vulgo *Trincea*

Est in more positum apud aliquot Italos genus quoddam ludorum, quod belle rem militarem refert. Hoc tamen variis nominibus adpellitatur: sed suam semper originis effigiem in fronte retinere videtur. Namque passim italice *trincea* dicitur, nunc quoque *barra,* quae latino sermone recte interpretari possumus vel aggerem, vel repagula, vel denique saeptum. Omnia autem haec tria vocabula, uti cuique perspicuum est, in idem facile vertunt.

Hic ludus eo quod maxime exhilaret iuventutem nostram, multumque eius artus lacertosque exerceat, cuique apprime adprobatur. Duae sunt admodum acies. Quum autem nunc acerrimum bellum exardescat Italorum adversus Turcas, et ubique gentium in Italia *furor arma ministret,* haud raro accidit, ut altera pars Italorum nomen in honoris gloriam sibi vindicare praesumat, altera vero quasi in ignominiam aegerrime Turca nuncupari cogatur.

Primum vero dimicantes utriusque certaminis sorte sunt eligendi. Hinc inde duo ludorum principes, qui plerumque prae ceteris primas in cursu referre consueverunt, vel digitis micando, vel par impar ludendo, socios aptiores sibi adiungere student. Omnes enim pugnatores, quoad fieri poterit, virtute pares, bini bini adsunt sortes experientes, utrum inter Italos sint pulcrius adnumerandi, an potius inter Turcas. Vide quam a teneris nostri de more belli assuescunt!

Viribus ita pariter sorte distributis, binae acies ordinatim saepta sua petunt, ibique e regione in suo loco stant, signum proximae luctae magnis arrectisque animis exspectantes. Tunc demum duo principes in medium alacres progressi, ut olim apud Romanos feciales, nobili incessu, manibusque simul consertis, elata voce dant certaminis initium, exclamantes: « Ad arma! »

Sic incipit pugna. Ut in veris iustisque pugnis fieri consuevit, adsunt qui hostes ad decertandum provocant, ut ex suis aggeribus in mediam aciem progrediantur, et qui, arrepta occasione, clamoribus eos lacessant. Verum et in hoc parvo certaminis simulacro, primum timidiores exeunt, quique minus cursu valent, et modo quum periculum adest, quum lis in acie fervescit, tunc ferociores adparent, qui arte et pedibus praestantiam suam in adversarios alacriter expromant. Tunc vero dicendum: *Caeco pulvere campus miscetur!* Qui pugnantium globus! Quae animorum sollicitudo, quum, mira alternante vice, alii alios raptim velociterque succedentes urgent.

Et unusquisque pro viribus industriam suam, periclitatur. « Pugnat ad exemplum primi, minor ordine, pili! »

Sed quorsum haec, et quae est pugnandi ratio?

Paucis absolvam. Quum quis in aciem provocans ingreditur, cavere debet ne eum alter offendat, qui ex aggere, quem optime metam quoque vocaveris, posterior recessit. Unusquisque enim in eum unice decertare poterit, qui priore tempore in aciem venerit. Hunc si tu vel leviter manu tetigeris, tuus evadet captivus. Verum saepe saepius fit, ut alius ex improviso astute vel abscondite citra exspectationem adversus te procedat, qui te ipsum paulo ante progressum pugna meliorem praeoccupet. Quod quidem vel inter hostes cruentis in pugnis evenit, sicque fortuna ferre consuevit.

Qui ita captus est, illico e certamine, velut vulnere confossus, secedit, atque in locum se confert, ubi apud hostes designata est custodia captivorum, ibique veluti in otio inglorioso sistit, usque dum a suis in libertatem vindicetur, vel ab alio suae partis substituatur. Quod quidem magnum erit dedecus. Huc in posterum frequentiores pugnantes tendunt, animoque pedibusque concurrunt, ut suos tandem liberent. Quot in mediis conatibus felicissime pro captivis liberandis succedunt! Quam studiose rapideque caeptum saepe iter recurrunt, ut aliis validiores efficiantur! Sic pugna acrior fit, atque certantium densior apud captivorum custodia: hinc ut pro viribus defendant et tueantur; inde ut in libertatem vindicent. Quum unus post alterum est in acie captus, et quum forte duo admodum principes evaserint, hinc optime cum Vergilio dixeris:

Et certamen erit Corydon cum Tyrside magnum!

Si enim casu hic vel ille princeps inter pugnandum captus sit, tunc ab alio consulte atque suo ingenio substituitur. Dedecus est et maxime intolerandum, principem in custodiam detrudi!

Tunc quum res ad ipsos pervenit, quod de Achillis certamine cum Hectore clarissimis luminibus ab Homero describitur, succedit ob oculos tuos. Adsunt enim duo omnium peritissimi in cursu, et in ipsis dolis parandis ac detegendis. Illuc nunc ire adnuit quum reapse alio adgreditur: hic ocior aura laudatur, ille astutia maxime spectabilis, et quod sit paratior fugas tegere, et praelia belli disponere. Ad metam nunc ipse fingit aliquando redire, quasi si vires resumere vellet; at tunc audacior recurrit atque ad captivorum custodiam maiori animo adcurrit. Et omnes hinc inde voce, clamoribus, socium suum ad victoriam incitare, animosque adiungere, et currentibus calcaria addere.

In his enim duobus omnis omnium spes et gloria inest, laudumque arrecta cupido.

Si quis forte vel dum acrius in altera parte pugnatur, vel rectissime, nullis impedientibus ad captivos pervenerit eosque liberaverit, facillime suis victoriam referet. Tunc hi possunt ad pugnam instaurandam redire, et hilares inter omnium plausum, veluti agmine facto, fortissime in adversarios impetum facient, quos vexabunt et ad incitas redigent. Pars quae decem in acie socios perdidit neque in libertatem vindicavit, inferior

decidit. Quae numerum complet, praesertim si viribus omnibus animisque virescit, victrix proclamatur. Tunc magna in cavaedio ex spectatoribus exoritur adclamatio iis, qui adversarios domuerunt atque supergressi sunt, et manifesta properant signa laetitiae gerentes. Sic Romani olim, bellandi studiis immanes et feri, nil nisi militiam spectabant atque a mollioribus artibus aberant.

Utinam nepotes ex tot calamitatibus vel inter ludos duram militiam experiantur, et possint tandem emergere, atque ad spem futurae amplitudinis adsurgere !

SUBALPINUS.

PII VII PONT. MAX.

DUPLEX PER REGIONEM NIVERNENSEM TRANSITUS

Occupant Nivernates in Gallia centrali territorium, quod, ante inventas ferrivias, percurrebant viatores qui, ex Italia profecti et Lugdunum praetergressi, Lutetiam Parisiorum recta petere vellent. Hac autem via usus est Romanus Pontifex Pius VII in duplici suo itinere Gallico : primum quidem, quum sub finem anni MDCCCIV triumphali cum pompa deductus est Parisios, ubi coronam imperatoriam Napoleoni I imponeret; iterumque post septennium, quum ab ingrato imperatore e custodia Savonensi Fontem Bellaqueum *(Fontainebleau)* captivus traheretur.

Utrumque Pontificis iter non pauci descripserunt auctores, quos inter eminet Cardinalis Pacca. Iter tamen Nivernense nemo tam copiose illustravit, quam sacerdos Nivernas I. M. Meunier, litterarum doctor, qui hoc super argumento librum edidit, postquam diligentissime civilia et ecclesiastica exploraverat archiva, et seniores regionis interrogarat, qui res gestas aut vidissent ipsi, aut a testibus ocularibus narrata audivissent. (1)

Universum Pontificis iter, ut, ote ampliter ab aliis enarratum, auctor breviter absolvit; transitum vero Nivernensem copiose describit et testimoniis illustrat.

***

Die igitur II Novembris a. MDCCCIV, Pius VII, annos tum natus LXII, postquam in Basilica S. Petri diu oraverat, hora nona antemeridiana per portam Angelicam ex Urbe profectus est. Aderat secus viam, usque ad tertium fere milliarium, immensa Romanorum multitudo, quae sibi benedictionem apostolicam exorabat atque augusto viatori prosperum iter adprecabatur. Comites erant Pontifici sex Cardinales, aliique frequentes numero Antistites et sacerdotes ; item complures ex optimatibus Urbis, inter quos Sacchetti marchio, totius ordinandi itineris administer. His accedebant medicus, chirurgus et famuli quindecim.

Viatorum rhedae, ne confusio oriretur, tripartitae procedebant ; nec eodem die manipuli omnes ex una ad alteram stationem vehebantur, ne forte locus deesset universis in eadem mansione pernoctantibus. Sic Pontifex Italiam pertransivit, paullisper moratus Florentiae, Pistorii et Mutinae ; declinata vero urbe Bononia, quam, Sedi Apostolicae iamdiu raptam, Napoleo detinebat. In ipsa Italia obvios habuit Pontifex tres legatos ab imperatore missos, quorum unus Cardinalis Cambaceres, alter d'Aboville senator, tertius magister caeremoniarum Salmatoris. Die XIX Novembris, Pius VII, superatis Alpibus, Lugdunum advenit, ubi inter festas populi acclamationes a Cardinali archiepiscopo Fesch magnifice fuit exceptus. Hic tamen luctum expertus est, erepto e vivis comite purpurato Cardinali Stephano Borgia.

Capto Lugduni vix otio unius diei, Pius VII versus regionem Nivernensem contendit. Huius territorii praefectus singulis oppidorum et vicorum magistris, per quorum fines Papa esset transiturus, litteras miserat, ab auctore descriptas. Iussi erant memorati magistratus obviam ire Pontifici cum suis consiliariis et militia nationali, idque curare, ut praesto essent in omni statione tot equi, sive rhedarii sive sellarii, quot opus essent; equorum autem numerus erat fere centum. Statim ut Pontifex apparebat, populus, qui ex tota vicinia accurrerat, benedictionem Vicarii Christi implorabat, et sacerdotes ac magistratus eidem certatim gratulabantur. Interea e templis sacra resonabant aera et tormenta bellica tonabant.

In singulis quoque vicis urbibusque, hic fere tenor erat mandatorum, quae magistratus ediderant:

« Ut quisque civium ante suam domum viam everreret, utque publicus purgamentorum collector sordes omnes asportaret ; ut lignorum strues, tumuli arenae, sterquilinia, carri et genus omne impedimentorum a viis amoverentur ; ut, quoad Pontifex maneret, labor omnis servilis omitteretur ; ut sub noctem aedificia publica et privatorum domus atque officinae accensis luminibus ornarentur ; ut in diversoriis benigne exciperentur advenae Pontificem opperientes; ut post horam nonam vespertinam, caupo nullus potum cibumve cuiquam ministraret aut cantare quemquam sineret ; ut tandem, quo tempore Pontifex eiusque comitatus quietem nocturnam caperet, excubiae vicinas observarent vias, nec currum ullum aut rhedam illac transire et strepitum edere permitterent ».

Ceteri eventus triumphalis huius itineris omnibus noti sunt : adventus Pontificis in urbem Fontainebleau die XXV Novembris ; coronatio Napoleonis die II Decembris, et post quadrimestrem Parisiensem moram reditus Pii VII in suam Sedem Romanam die XIV Maii.

***

At iam sequamur, duce Meunier, alterum Pii VII iter gallicum, a priore eheu ! quam diversum !

(1) *Les Passages du Pape Pie VII dans la Nièvre, 1804-1812 par l'abbé* J. M. MEUNIER.

Inde ab anno MDCCCIX, superbus et beneficiorum immemor Napoleo Pium VII captivum abduxerat Savonam, disperso hac et illac sacro Cardinalium Collegio. Quum tamen urbs illa maritima incursionibus Anglorum pateret, sub noctem diei IX Iunii a. MDCCCXII, iussus est septuagenarius Pontifex in interiorem Galliam transferri; idque clam omnino, ne resciens populus captivum liberaret, et incredibili celeritate, qua factum est ut venerandus senex in maximum vitae discrimen coniectus fuerit. Hanc ob causam aegroto Pontifici, in hospitio Cenisii Montis, praeter medicum comitem accitus quoque chirurgus adiungi debuit. Ceterum nihil immutatum fuit in praecipiti illa itinerum velocitate. (1) Equi mutabantur extra loca habitata, urbesque et pagi raptim percurrebantur, ne quisquam Captivum salutare aut etiam agnoscere posset. Cui tamen, variis in locis agnito, signa protinus exhibita fuerunt religiosae pietatis et observantiae.

His enarratis, auctor peculiarem eventum describit, cuius testes ipsius fuerunt maiores, avus nempe et abavia. Haud longe ab urbe Nevers, Lutetiam versus, pagus iacet nomine Tronsanges, cuius pars est Barbeloup, locus solitarius, ubi, sub principium saeculi XIX, tres solae existebant habitationes. Ex his una adnexam habebat officinam ferrariam, alia cauponariam tabernam, ibique viatoribus, publico curru utentibus, praesto esse solebant equi recentes, lassatis ex itinere subrogandi. Fabro ferrario nomen erat Colin, apud quem artem discebat scriptoris nostri avus, puer tum annorum duodecim. Uxor autem fabri, paulo post viduata, viduo nuptura erat patri tirunculi nostri ferrarii.

Huc igitur die XIX mens. Iunii MDCCCXII, hora post meridiem fere tertia, sub ferventissimo aestu, tres citato cursu properabant rhedae viatoriae, quarum prima amplior ceteris, sex vehebatur equis. Quae quum ad officinam ferrariam pervenissent, illico constiterunt, propterea quod unus ex equis esset calceandus. Ilicet domo exierunt faber cum suo tirone, et uxor quoque, strepitu curruum et feminina curiositate attracta. E tertio tum curru aliquot viri militaris ordinis desilierunt; eorumque dux, insignia gerens legionis, ut aiunt, honorariae, quum ad currum maiorem accessisset, eiusdem ostium clave aperuit. Inde prodierunt vir saecularis et duo sacerdotes, quorum alter senex macilentusque admodum et viribus prope destitutus. E secunda rheda alii descenderunt viri ad eumdem comitatum pertinentes.



Columna ad oppidum ***Tronsanges*** **erecta in memoriam Pii VII P. M.**

Senex autem ille Pius VII erat, veste talari nigra indutus, nullisque Romani Pontificis (sic enim iusserat Napoleo) insignibus ornatus; sacerdos alter erat archiepiscopus titularis Edessensis, Rmus. Bertazzoli; virorum laicorum unus erat archiater pontificius, nomine Porta; alter chirurgus Claraz, itineris comes a discessu ex hospitio Montis Cenisii; tertius et quartus, famuli Pontificii Hilarius et Vincentius. Custodes autem venerandi Captivi chiliarcus erat Lagorse cum duobus centurionibus.

Quum in eo loco solitario equi mutandi essent, spatium quietis Pontifici concessum est trium fere horae quadrantum. Quanta autem defatigatio septuagenarii viatoris fuerit, ex hoc coniici potest, quod illi nunc primum licuit e rheda descendere post quatriduanum iter, noctu diuque sine intermissione confectum. Quum sol ardentius ferveret, Pontifex cum archiepiscopo, duobusque medicis et utroque famulo sub vicina consedit eaque annosa ceraso, cuius baccae iam maturescebant. Unus e famulis scyphum lactis et duo ova pro suo domino petierat a fabro; cuius uxor, quae non secus ac ceteri dignitatem venerandi senis ignorabat, at suspicabatur eum fore virum conspicuum, vicinam arcessivit cauponariam, utpote quae leges urbani moris melius calleret. Allatum ergo est frugale prandiolum, adstantibus fabro Colin cum sua uxore et tirone Petro

(1) Haec velocitas tanta fuit, ut intra viginti quatuor horas superatum fuerit spatium centum chilometrorum; quantum nempe intercedit inter hospitium Montis Cenisii urbemque Chambéry.

Meunier ac muliere cauponaria. Sumpta refectione, venerabilis senex puerum accedere iussit, a quo gallice percontatus est quot annorum esset. - « Duodecim », - respondit ille. Cui senex: - « En tibi duodecim nummos ex aere, quot nempe annos exegisti: habe eos uti mnemosynon Papae hac transeuntis ». Statim vero ut Papae nomen audierunt, puer ipse (scriptoris nempe avus) itemque faber cum uxore Carolina et muliere cauponaria ad venerandi senis pedes se proiecerunt, eius benedictione inter lacrimas implorata. Quibus omnibus Pontifex effuse benedixit; simulque uxori fabri libellas quatuordecim remisit, his verbis: « Quod Christi Vicario fecisti, id Deus tibi retribuet ».

Paulo post, adiunctis equis recentibus, tres rhedae quae suos vectores iterum exceperant, cerneres iter suum celerrime prosequi. Interea testes nuntium festinabant deportati Pontificis per loca vicina deferre. Carolina autem, quae postea, mortuo primo marito, avia facta est narratoris, unam ex libellis argenteis, quae Pii VII effigiem ferebat, collo suspensam, quandiu vixit, veluti sacram reliquiam gestavit.

***

Quinque decennia et amplius effluxerant, ex quo Pius VII sub historica ceraso loci Barbeloup acquieverat, atque arbor illa, longe lateque cognita, vetustate tandem perierat. Ne igitur memorandi eventus memoria intercideret, magister vici Tronsanges aliique cives statuerunt in eodem loco columnam marmoream erigere. Huic columnae, quae alta est quinque fere metra unoque constat lapide, imposita sunt arma pontificalia, tiara nempe et apostolicae claves cum cruce, affabre omnia sculpta; eidem vero supposita est basis altitudinis duorum metrorum, in qua binae leguntur inscriptiones, altera latina, gallica altera eumdem tamen sensum referentes. Prior ita sonat:

HIC
DIE XIX IUNII MDCCCXII
PIUS VII P. M.
PEREGRINUS ET AEGROTANS
MODICO LACTE REFICIEBATUR.

Aream circa columnam ferrei sepiunt clathri non inelegantes. Columnam ipsam, solemni auctam benedictione, inauguravit die XIX mens. Iunii MDCCCLXVII, episcopus Nivernensis Augustinus Forcade, uti ibidem inscriptum legitur. Idemque Praesul, decantato psalmo *Quare fremuerunt gentes* coram frequentissimo populo eloquentissimam concionem habuit in haec Isaiae prophetae verba: *Et venient ad te, curvi, filii eorum qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum* (Is. LX, 14). Peracta sacra caeremonia, episcopus Petrum Meunier, scriptoris abavum illiusque filios et nepotes, qui frequentes aderant, ad se accivit, iisque declaravit, paratum se esse, si quis iunior ex eorum familia ad statum ecclesiasticum vocatum se crederet, ipsius educationem suscipere et expensas ferre studiorum omnium. Inter familiae adolescentes, qui praesentes aderant, ad statum ecclesiasticum nemo quidem vocationem hanc persensit; sors tamen haec scriptori nostro contigit, qui tunc quinquennis domi remanserat, quemque mox alii pueri, ut res innotuit, nomine parochi salutare coeperunt, quo ille titulo non parum gloriabatur. Ac paulo post, quum episcopus Nivernensis Romam ad sacra limina venisset, et Pio IX omnia narrasset de itinere Nivernensi eius Praedecessoris deque erecta columna et promissione facta, Pontifex, animo commotus, impensas educandi clerici sibi ipsi voluit servatas, assignata pensione ex stipe S. Petri in dioecesi Nivernensi colligenda. Sic alumnus ille voti compos fuit sacerdotio initiatus anno MDCCCLXXXVII. Tanta quidem liberalitate Pius IX remuneratus est scyphum lactis, peregrino Antecessori olim ministratum!

F. R.

ACTA PONTIFICIA

RUBRICAE

in recitatione Divini Officii et in Missarum celebratione servandae ad normam Constitutionis Apostolicae « Divino afflatu ».

(Cfr. num. sup.)

TITULUS VI.
De Commemorationibus.

1. In Duplicibus I classis non fiat commemoratio de praecedenti, nisi fuerit aut Dominica quaevis, etiam per annum, aut Duplex I vel II classis, aut dies Octava alicuius Festi Domini primarii, aut dies infra Octavam privilegiatam, aut Feria maior. In occurrentia fiat tantum commemoratio de Dominica quacumque, de Octava privilegiata et de Feria maiori. De sequenti vero officio (etiam ad modum Simplicis redacto) fiat semper commemoratio, minime autem de die infra Octavam non privilegiatam aut de Simplici.

2. In Duplicibus II classis de praecedenti Officio semper fieri debet commemoratio, nisi fuerit de aliquo Festo Semiduplici, vel de die infra Octavam non privilegiatam. In occurrentia fit commemoratio de quavis Dominica, de quolibet Duplici vel Semiduplici ad modum Simplicis redacto, de Octava privilegiata, de Feria maiori et de Vigilia: de Simplici vero fit tantum in Laudibus et in Missis privatis. De sequenti autem Officio quolibet, etiam Simplici vel ad modum Simplicis redacto, fit semper commemoratio, ac etiam de die infra Octavam, si in crastino Officium de ea agendum sit; et tunc cum Antiphona et Versiculo e I Vesperis Festis.

3. Licet Festa Domini eorumque Octavae privilegio gaudeant ut in occurrentia praevaleant Dominicis minoribus, nihilominus, quando plures fieri debeant commemorationes (cauto quod in Vesperis semper fiat prima commemoratio de Officio concurrenti, cuiusvis ritus et dignitatis), tam in Vesperis, quam in Laudibus et Missa hic ordo servetur: 1.° de Dominica qualibet; 2.° de die infra Octavam Epiphaniae aut Corporis Christi; 3.° de die Octava; 4.° de Duplici maiore; 5.° de Duplici minore; 6.° de Semiduplici; 7.° de die infra Octavam communem; 8.° de Feria VI post Octavam Ascensionis; 9.° de Feria maiori; 10.° de Vigilia; 11.° de Simplici.

TITULUS VII.

De conclusione propria Hymnorum et Versu proprio ad Primam, de Suffragiis Sanctorum, de Precibus, de Symbolo Athanasiano et de tertia oratione in Missa.

1. Quando eadem die occurrunt plura Officia, quae propriam habeant conclusionem Hymnorum vel proprium Versum ad Primam, conclusio et Versus dicantur, quae propria sunt Officii, quod ea die recitatur.

2. Deinceps, quando facienda erunt Suffragia Sanctorum, unum tantum fiet Suffragium, iuxta formulam propositam in Ordinario novi Psalterii.

3. Symbolum Athanasianum additur ad Primam in Festo SS. Trinitatis et in Dominicis tantummodo post Epiphaniam et post Pentecosten, quando de eis persolvendum est Officium salva exceptione, de qua n. sequenti.

4. Quando in Dominica fit commemoratio de aliquo Officio Duplici, vel de die Octava, vel de die infra Octavam, emittuntur Suffragium, Preces, Symbolum *Quicumque* et tertia Oratio in Missa.

TITULUS VIII.

De Officiis votivis deque aliis Officiis addititiis.

1. Cum per hanc novam Psalterii dispositionem causae cessaverint Indulti Generalis d. d. 5 Iulii 1883 p o Officiis votivis, haec ipsa Officia, et alia similia ex particularibus indultis concessa, tolluntur omnino et sublata declarantur.

2. Cessat pariter obligatio recitandi in Choro, diebus a Rubricis hucusque vigentibus praescripiis, Officium parvum B. Mariae Virginis, Officium Defunctorum, nec non Psalmos Graduales ac Poenitentiales. Capitula vero, quae ad ista Officia addititia ex peculiari constitutione aut legato tenentur, a Sancta Sede eorum commutationem impetrabunt.

3. In Festo S. Marci et in Triduo Rogationum integrum manet onus recitandi Litanias Sanctorum, etiam extra Chorum.

TITULUS IX.

De Festis Dedicationis ac Tituli Ecclesiae et de Patronis.

1. Festum Dedicationis cuiuslibet Ecclesiae est semper primarium, et Festum Domini.

2. Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis et Festum Titulare eiusdem celebranda sunt sub ritu Duplici I classis cum Octava per totam Dioecesim ab universo Clero saeculari et etiam regulari Kalendarium Dioecesanum adhibente : a Regularibus vero utriusque sexus in eadem Dioecesi commorantibus ac proprium Kalendarium habentibus, pariter sub ritu duplici I classis, absque tamen Octava.

3. Quum Sacrosancta Lateranensis Archibasilica omnium Ecclesiarum Urbis et Orbis sit mater et caput, tum ipsius Dedicationis Anniversarium, tum Festum Transfigurationis Domini, quod, praeter magnam Resurrectionis Dominicae sollemnitatem, tamquam Titulare ab ipsa recoli solet, ab universo Clero tam saeculari quam regulari, etiam ab illis qui peculiarem ritum sequuntur, sub ritu Duplici II classis deinceps celebrabitur.

4. Festum Patroni principalis Oppidi, vel Civitatis, vel Dioecesis, vel Provinciae, vel Nationis, Clerus saecularis, et regularis ibi degens et Kalendarium Dioecesanum sequens sub ritu Duplici I classis cum Octava celebrabit: Regulares vero ibidem commorantes et Kalendarium proprium habentes, idem Festum, quamvis feriatum numquam fuerit, eodem ritu celebrabunt. absque tamen Octava.

TITULUS X.

De Missis in Dominicis et Feriis deque Missis pro Defunctis.

1. In Dominicis. etiam minoribus, quodcumque Festum occurrat, dummodo non sit Festum Domini, vel eius dies Octava, aut Duplex I vel II classis, Missa semper dicenda erit de Dominica cum commemoratione festi. Quod si festum commemorandum sit Duplex, tunc omittenda est III Oratio.

2. In Feriis Quadragesimae, Quatuor Temporum, II Rogationum, et in Vigiliis, si occurrat fieri Officium alicuius Festi Duplicis (non tamen I vel II classis) aut Semiduplicis, Missae privatae dici poterunt ad libitum, vel de Festo cum commemoratione ultimoque Evangelio Feriae aut Vigiliae, vel de Feria aut Vigilia cum commemoratione Festi: prohibentur tamen Missae votivae privatae, aut privatae pro Defunctis : quae item prohibentur in Feria, in qua anticipanda vel reponenda est Missa Dominicae. In Quadragesima vero Missae privatae Defunctorum celebrari tantum poterunt prima die cuiuscumque hebdomadae libera in Kalendario Ecclesiae, in qua Missa celebratur.

3. Si alicubi aliquod Festum impeditum a Dominica minore, celebratur ex voto, vel cum populi concursu (cuius rei iudex erit Ordinarius), Missae de eodem festo impedito celebrari poterunt, dummodo una Missa de Dominica ne omittatur. Quoties extra ordinem Officii cantetur vel legatur aliqua Missa, si facienda sit commemoratio aut Dominicae, aut Feriae, aut Vigiliae, semper de hisce etiam Evangelium in fine legatur.

4. Ad Missam Dominicae etiam minoris, cum commemoratione Festi Duplicis tum maioris tum minoris ac diei infra Octavam quomodolibet celebrandam, retinetur color proprius Dominicae, cum Praefatione SSmae Trinitatis, nisi adsit propria Temporis, vel Octavae alicuius Festi Domini.

5. Leges pro Missis Defunctorum in cantu, immutatae manent. Missae vero lectae permittuntur in Duplicibus tantummodo in die obitus, aut pro die obitus, dummodo ne sit Festum de praecepto, aut Duplex I vel II classis, vel Feria excludens Duplicia I classis. Quoad vero Missas lectas Defunctorum dicendas diebus ritus Semiduplicis aut Simplicis, in posterum numquam celebrari poterunt in Feriis n. 2 enumeratis, salva tamen exceptione ibidem admissa. Licebit tamen in huiusmodi Missis de Feria orationem addi pro Defunctis, pro quibus Sacrificium applicatur, paenultimo loco, prout permittit Rubrica Missalis. Cum autem ut applicari possint Indulgentiae Altaris privilegiati, Missae Defunctorum debuerint hucusque in nigris celebrari, Summus Pontifex easdem indulgentias in posterum benigne concedit, licet Missa dicatur de Feria, cum oratione pro Defunctis. In reliquis autem Feriis per annum n. 2 non exceptis, nec non in Semiduplicibus, infra Octavas non privilegiatas et in Simplicibus, Missae Defunctorum sicut et aliae Missae votivae dici poterunt iuxta Rubricas.

TITULUS XI.

De Collectis in Missis.

Quod ad Collectas ab Ordinariis locorum imperatas attinet, deinceps prohibentur (nisi sint pro re gravi praescriptae) non tantum in Vigiliis Nativitatis et Pentecostes et in Duplicibus I classis, sed etiam in Duplicibus II classis, in Dominicis Maioribus, infra Octavas privilegiatas, et quandocumque in Missa dicendae sint plus quam tres Orationes a Rubrica eo die praescriptae.

TITULUS XII.

De Missis Conventualibus.

In Ecclesiis, in quibus adest obligatio Chori, una tantum Missa cum assistentia Choralium semper celebretur; et quidem de Officio diei, nisi aliter Rubricae disponant; aliae Missae, quae hucusque cum praedicta assistentia celebrabantur, in posterum extra Chorum legantur, post propriam Horam Canonicam; excipiuntur tamen ab hac regula Missae in Litaniis maioribus et minoribus, et Missae in Festo Nativitatis Domini. Excipiuntur pariter Missae in anniversariis Creationis et Coronationis Summi Pontificis, Electionis et Consecrationis seu Translationis Episcopi, nec non in anniversario ultimi Episcopi defuncti, et omnium Episcoporum aut Canonicorum; omnesque Missae ex fundatione.

TITULUS XIII.

De Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum.

1. In Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, omissis Officio et Missa diei currentis, fit tantum Officium cum Missa pro Defunctis, prout in Appendice novi Psalterii praescribitur.

2. Si die 2 Novembris occurrat Dominica vel aliquod Duplex I classis, Commemoratio Defunctorum celebrabitur die proxime sequenti, similiter non impedita; in qua, si forte occurrat Duplex II classis, hoc transfertur iuxta regulam traditam Tit. III n. 3.

PRAESCRIPTIONES TEMPORARIAE.

I. Kalendaria uniuscuiusque Dioeceseos, aut Ordinis seu Congregationis Breviario Romano utentium, pro anno 1913, ad Regulas supra traditas omnino redigenda sunt.

II. Diebus Dominicis quibus in Kalendariis proximi anni 1912 inscribuntur, sub ritu Duplici maiori vel minori, Festa Sanctorum, vel Angelorum, vel etiam B. Mariae Virginis, vel dies Octava, quae non sit Festorum Domini, tum Officium in privata recitatione, tum Missae lectae erunt ad libitum, vel prout notatur in Kalendario anni 1912, vel de Dominica cum commemoratione duplicis maioris aut minoris. In Feriis quoque, de quibus Tit. X n. 2, Missae privatae celebrari poterunt, ut ibi adnotatur.

III. Quod Tit. XIII harum Rubricarum dispositum est quoad Commemorationem Omnium Fidelium Defunctorum, inde ab anno 1912, in usum omnino deducendum est.

IV. Usque dum nova correctio Breviarii et Missalis Romani, a Sanctissimo Domino Nostro decreta, vulgetur:

a) Kalendaria perpetua Sacrae Rituum Congregationi reformanda et approbanda deferri non debent;

b) De Festorum augendo ritu, vel de Festis novis invehendis nulla fiat postulatio;

c) Festa particularia, sive B. Mariae Virginis, sive Sanctorum aut Beatorum, ritus Duplicis maioris aut minoris, Dominicis diebus assignata, locorum Ordinarii seu Superiores Regularium, aut in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa commemoranda praescribant; aut in aliam diem, validis S. R. C. oblatis argumentis, trasferenda curent; aut potius omittant.

d) Nulla interim facta correctione Rubricarum, Regulae superius traditae in novis Breviariis et Missalibus post Rubricas Generales inserantur, omissis S. R. C. Decretis, quae hucusque in principio Breviarii inserta inveniuntur;

e) In futuris Breviarii editionibus mutentur, ob novam Psalterii reformationem, sequentes Antiphonae in Laudibus:

In Dominica Sexagesima:

Ant. 5. In excelsis * laudate Deum.

In Dominica III Quadragesimae:

Ant. 3. Adhaesit anima mea * post te, Deus meus.

In Dominica IV Quadragesimae:

Ant. 3. Me suscepit * dextera tua, Domine.

In Feria IV Maioris Hebdomadae:

Ant. 3. Tu autem, Domine * scis omne consilium eorum adversum me in mortem.

Art. 5. Fac, Domine, * iudicium iniuriam patientibus: et vias peccatorum disperde (1).

(1) Quum ob reductionem Festorum ad tramitem *Motu proprio de Diebus Festis* et Decretorum S. Rit. Congreg. d. XXIV et XXVIII mens. Iulii MCMXI, attenta etiam Constitutione Apostolica *Divino afflatu*, ne oriretur confusio, necesse esset nonnullas speciales Breviarii et Missalis rubricas novis dispositionibus aptari, S. Rit. Congr., — firmis manentibus quae decreta sunt in hisce Praescriptionibus temporariis n. IV, — per decr. Urbis et Orbis, editum die XXIII mens. Ianuarii MCMXII, easdem vulgavit, praecipiens ut in novis Breviarii et Missalis editionibus imprimendis insererentur.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Consistoriali.

Decretum circa relationem super Modernismo a locorum Ordinariis S. Sedi exhibendam.

Dubitantes nonnulli Sacrorum Antistites, num ipsi duplicem teneantur relationem super Modernismo Apostolicae Sedi exhibere, id est alteram quolibet triennio, a constitutione *Pascendi dominici gregis* die VIII Septembris MDCCCCVII et a Motu proprio *Sacrorum Antistitum* die I Septembris MDCCCCX praescriptam; alteram vero singulis quinquenniis una cum relatione de stato suae dioecesis iuxta huius S. C. decretum *A remotissima Ecclesiae aetate* diei XXXI Decembris MDCCCCIX, rem S. Sedi subiecerunt dirimendam. Quum autem subsignatus Cardinalis Secretarius id SSmo. Dno. N. Pio PP. X retulisset, hic, ad omnem animi anxietatem ac dubitationem tollendam, declarare et, quatenus opus sit, statuere dignatus est, locorum Ordinarios, quo anno relationem de statu suae ecclesiae peragunt, simul satisfacere posse obbligationi quae ex supra memoratis constitutione *Pascendi dominici gregis* et Motu proprio *Sacrorum Antistitum* exoritur, atque idcirco relevari ab onere exhibendi triennalem relationem super Modernismo ibidem statutam; idque per praesens decretum S. C. Consist. constitui et promulgari iussit; contrariis non obstantibus quibusvis. — Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. C. d. XXX mens. Ianuarii an. MCMXII. — C. Card. de Lai, Episc. Sabinen; *Secretarius.* — Scipio Tecchi, *Adsessor.*

Ex Congregatione Indicis.

Per decretum d. I mens. Februarii MCMXII damnatum, proscriptum atque in Indicem librorum prohibitorum relatum est opus, quod inscribitur;

MARIO PALMARINI, *Quando non morremo.* — Romanzo eroico. — Milano 1911.

— R. d. L. Duchesne, cuius opus *Histoire ancienne de l'Eglise* notatum et in Indicem librorum prohibitorum insertum est decr. d. XXII mens. Ianuarii MCMXII, laudabiliter se subiecit.

Ex Congregatione Sacrorum Rituum.

Litterae circulares circa Missas de Requie pro defunctis in bello Tripolitano.

Quum saepe saepius a S. Rit. Congr. exquirantur facultates celebrandi Missam de Requie pro defunctis in bello Tripolitano Dominicis aliisque festis de praecepto, in quibus haberi potest maior fidelium frequentia; Sacra eadem Congregatio monet Rmos. locorum Ordinarios quod SS. D. N. Pius PP. X hisce precibus ac votis cleri plebisque fidelis clementissime deferens, quum sancta et salubris sit pro defunctis exoratio, quae etiam afflictos moerore propinquos erigit, benigna dispensatione a regulis liturgicis indulta, permittere dignatus est, ut tum Dominicis, non tamen privilegiatis primae classis, tum aliis festis de praecepto, quae non sint duplicia primae vel secundae classis, una Missa de Requie cum cantu et subsequenti Absolutione ad tumulum, in Ecclesiis seu Oratoriis publicis iuxta prudens respectivi Ordinarii iudicium, celebrari valeat; servatis de cetero Rubricis. Mandat autem ac praecipit Sanctitas Sua, ut in eiusmodi funeribus, etsi fiant diebus a ritu permissis, nemo, cuiuscumque sit dignitatis, sermones aut funebres orationes, in quibusvis Ecclesiis seu Oratoriis habere praesumat. — Dat. d. III mens. Februarii MCMXII.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Februario MCMXII).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui, sui quisque muneris gratia, Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Franciscus et Iacobus e marchionibus Serlupi-Crescenzi; Du Paty marchio; Philippus Lancellotti, princeps Urbanus; Donagrière de Matternik-Winnerburg princeps foemina; Giustiniani-Bandini, Urbanus princeps, eiusque familia; Clemens, Aloisius, Franciscus et Ioannes e marchionibus Sacchetti; Fridericus De Solms, princeps; Clemens Geyr, dynasta; De Bardi marchio: De Faval marchio; Carafa de Andria comes, eiusque uxor; Sanctae Severinae dux; Radziwill princeps foemina eiusque filia; Flavius Durazzo, marchio eiusque familia; Waresquil comes eiusque uxor; Otho-zu-Oettingen, princeps; peregrinorum manus ex dioecesi Atrebatensi.

Pontificiae electiones.

Provisio Ecclesiarum. — Per decreta S. Congregationis Consistorialis SS. D. N. Pius PP. X has quae sequuntur ecclesias de proprio pastore providit, scilicet: Titulari ecclesiae episcopali Thebanae praefecit rmum. Vincentium Pisani, iam episcopum Anglonensem et Tursiensem; cathedralibus ecclesiis Melphiensi et Rapollensi sac. Albertum Costa, dioec. Burgi S. Domnini, ibidem vicarium generalem et canonicum ecclesiae cathedralis; tit. eccl. archiep. Edessenae rmum. Thomam Pium Boggiani, hactenus episc. Adriensem; tit. eccl. archiep. Anazarbensi rmum. Claudium Iosephum Gonzalves Ponce de Leão, hactenus archiepiscopum Portalegrensem in Brasilia; metropolitanae eccl. Senonensi rmum. Ioannem Victorem Aemilium Chesnelong, hactenus episc. Valentinensem; tit. eccl. ep. Thermensi sac. Ioseph Métreau, civitatis Burdigalensis, ibique archipresbyterum eccl. S. Michaëlis Archangeli, quem constituit auxiliarem rmi. Renati Francisci Renou, archiep. Turonensis; cath. eccl. Richmondiensi rmum. Dionysium O' Connell, hactenus episc. tit. eccl. Sebastensis; cath. eccl. Cheyennensi sac. Patritium Aloisium Mac Govern, dioec. Omahensis, ibique rectorem eccl. cathedr.; cathedr. eccl. Guayaquilensi rmum. Ioannem Mariam Riera, hactenus episc. Portus Veteris, atque cum indulto retinendi administrationem eiusdem dioecesis Portus Veteris ad S. Sedis nutum; tit. eccl. Sebastensi sac. Adulphum David, dioec. Montis Pessulani, ibique vicarium generalem, quem constituit auxiliarem Emi. ac Rmi. Dni. Cardinalis Francisci Mariae Anatolii de Rovérie de Cabrières, episcopi Montis Pessulani; cathedr. eccl. Pastopolitanae sac. Leonidam Modina, canonicum eccl. metr. Bogotensis in Columbia; tit. eccl. archiep. Laodicensi rmum. Raphaëlem Scapinelli de Léguigno, iam Secretarium S. Congnis. pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis; cath. eccl. Desmoinensi sac. Augustinum Dowling, dioec. Providentiensis ibique rectorem eccl. cathedr.; tit. eccl. archiep. Melitenensi rmum. Ioannem Bonzano, rectorem Collegii Urbani de Propaganda Fide; cath. eccl. Valentinensi sac. Emmanuelem Mariam Ioseph Martin de Gibergues, archidioec. Parisiensis, Superiorem missionariorum eiusdem dioecesis; cath. eccl. Campecorensi sac. Vincentium Castellanos, secretarium rmi. archiepisc. De Durango.

Brevi autem Apostolico r. p. Franciscus Aguirre ex Ordine Praedicatorum, episc. tit. Botryensis et Vicarius Apostolicps Fokiensis in Sinis nominatus est.

Nominatio Praefectorum Apostolicorum. — Decreto S. Congregationis de Propaganda Fide nominati sunt: r. d. Petrus Maria Kernivinen, e seminario Lugdunensi pro Missionibus Africae, Praefectus Apostolicus de Korogo, in Littore Eburneo; r. p. Reginaldus Van Schoote ex Ordine Praedicatorum, Praefectus Apostolicus de Uellé Orientali in Congo Belgico.

— Emi. Purpurati Patres Diomedes Falconio, Ludovicus Billot et Gulielmus van Rossum inter iudices S. Congregationis de Propaganda Fide pro negotiis Ritus Orientalis adleguntur.

— R. p. d. Ioannes Bonzano. archiep. tit. Melitenen., Delegatus Apostolicus mittitur ad Civitates Foederatas Americae Septemtrionalis.

— Rmus. d. Orestes Giorgi inter Consultores S. Congregationis Consistorialis, et rmus. d. Salvator Talamo inter Consultores S. C. Studiorum adnumerantur.

— Rmus. d. Pius Papi alter a Secretis dicitur S. Congregationis Sacramentorum pro derogationibus matrimonialibus.

— Franciscus Serlupi-Crescenzi, Equiso maior; et Clemens Sacchetti Procurator a supellectili Sacri Palatii renunciantur.

— Rmus. d. Ioannes M. Zonghi ad regendam pro tempore Pontificiam Academiam Nobilium Ecclesiasticorum deputatur.

Vita functi viri clariores.

Die III mens. Februarii, Romae septuaginta et sex annos natus **Urbanus Sacchetti**, marchio, Procurator a supellectili Sacr. Palat.

— die VI, in Urbe pariter, excmus. vir **Franciscus Sogaro**, archiep. tit. Amiden., Lonigo in oppido Vicentinae dioec. natus die XXXI mens. Decembr. MDCCCXXXIX; episc. tit. Trapezolitan. electus d. X mens. Iulii MDCCCLXXXV, promotus d. XVIII mens. Augusti MDCCCXCIV; Pontificiae Academiae Nobilium Ecclesiasticorum Praeses.

ANNALES

Novae Sinensis reipublicae fata.

Quum Sinarum Imperatrix-vidua reipublicae institutioni tandem consensisset, iam res in illa civitate compositae videbantur, eoque magis quod, suadente Yuan-Shi-Kai principe, novarum rerum fautores ad privilegia et honores regali familiae regiaeque aulae administris relinquenda inclinarent, sede iis Ie-Holt in oppido ad Pechinum diviteque patrimonio constitutis. Huiusmodi quietis auspiciis popularis civitas est promulgata, eius vexillum, apud exteras quoque ubique gentium Sinensium legationes elatum, et, veluti vinculorum aut servitutis signum contritum, caudilla ex capite civis cuiusque pendens, abradi iussa! Ecce autem ex improviso Mandchenses milites, qui in urbe capite stipendia faciunt, ex condicto rebelles fiunt, districtisque gladiis ferro ignique omnia, quibus occurrunt, atrociter vastant. Quid inde? Europaearum nationum, earum praesertim, quarum cives plures in Sinis commercii causa aut alia ratione morantur, interventus praedicatur, quem talem fore speramus, ut novis rerum complexionibus nullum praebeat aditum.

In Perside.

Persico gubernio inter tot discrimina involuto, normae ab Anglis cum Russis consociatis propositae sunt, iuxta quas horum populorum aerarium Persidis necessitatibus erit subventurum. Quae quidem quum recusari haud potuerint, id efficient, hinc ut intra fines tum Anglici tum Russici influxus nulla proinde fiat suprema Persici giminis potestas; inde ut Mohamed Ali ille throno depulsus, sub umbra populi in libertatem vindicandi, novos recuperandi regni conatus sit facile capturus.

Bellum inter Italos atque Turcas.

Post aliquot fere indutiarum dies, in quibus supremo belli duci licuit in Italiam redire ut praesens de rerum statu gubernium certiorem faceret, ac tum Dernae, tum Bengasi atque Tobruk reiecti ab Italis sunt Turcarum Arabumque nonnulli oppugnationis nisus, nostri, ferreis etiam axibus strata via, quam curruum series vapore actorum iam conficit, terminos locorum occupatorum ad Margheb colles usque protulerunt, quibus acerrimo certamine dextramque conserentes potiti sunt. Classis interim in mari vigilat; quumque Turcicas naves duas, alteram ballistariam, ad vibrandas torpedines alteram, Beyruth in littore comperisset, utramque, frustra deditione imposita, demersit.

Denique, postremis hisce diebus, voces de pace agitantur; cuius componendae auctorem dictitant Sazonofium, collegii Russorum administrorum praesidem, eidem accedentibus Anglo, Germanico, Austrorum Gallorumque gubernio. At dictitant etiam nobilibus huiusmodi conatibus Turcas obsistere, praesertim ob vecordem pervicaciam Iuvenum Turcarum factionis, in quam, si incoeptus in vanum cesserit, Europae nationibus illud prophetae repetere iure licebit: « Curavimus Babylonem; non est sanata; derelinquamus eam! ».

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Anglia** popularium legatorum coetus sessiones resumptae regali oratione, in qua optimae rationes cum ceteris Europae nationibus, Indiarumque pacificus status commemorantur, rogationesque legum discutiendarum nunciantur.

In **Austria** ut de Aehrenthal comiti vita functo in exterarum rerum administrationem succederet, electus est Berchtold comes, praedecessoris sui fidus amicus, ne dicatur discipulus, ac Burian dynastae, aerarii praefecturam abdicanti Von Bilinski doctor suffectus.

In **Bavaria** novum administrorum collegium creatum, praeside Hertling, e Catholicorum partibus.

In **Brasilia** exteris negotiis praeposito, Rio Branco dynastae, et ipsi vita functo, succedit Laurus Muller.

In **Gallia** apud publicum coetum legibus ferendis de comitiorum ratione innovanda fuse disputatum; apud Senatum autem pactio cum Germania de Africanis rebus rata habita.

In **Germania** novi popularium legatorum coetus sessionibus Caesaris oratione inchoatis, rationes acceptorum et expensarum ad examen revocatae. Cancellarius, opportuna occasione arrepta, de amicitiae vinculis cum Anglia arctioribus his diebus effectis sermonem habuit.

In **Italia**, unanimi tum publici coetus, tum Senatus consensu et plausu, regali decreto quo Libyca provincia regno adnectebatur vis legis attributa. Lex deinde de monopolio civitatis ad vitam civium pecunia tutandam approbata.

In **Russia** per opportunas leges fisci tutelae provisum, provincialia consilia pro Siberia quoque instituta, avulsio denique Chelm provinciae a Poloniae Russicae administratione gubernio denegata.

In **Serbia** administrorum collegium, praeside Milovanovitch, munere se abdicavit; rex vero fidentiam suam eidem confirmans, in officio retinuit.

PER ORBEM

Die II mens. Februarii MCMXI ad Wight insulam mergibilis quaedam navis ex Anglica classi, dum scopi exercitationibus intendit, in ballistariam navem *Hazard* occursat ac disrumpitur. Classiarii omnes misere vitam amittunt.

— d. IV, Lutetiae Parisiorum, Franciscus Reichelt, sartor, paenulam a se inventam ad casus aviatorum protegendos experiri volens, eadem indutus a turri Eiffel desilit, at suae temeritatis poenam vita luit.

— d. V Montis Politiani in oppido repentino morbo absumitur Caesar Nerazzini, Italorum administer cum omni potestate, vir civilis rei satis peritus, quemadmodum ostendit in negotiationibus, quas an. MDCCCLXXXVI ad pacem inter Italos atque Aethiopes componendam iniit atque absolvit.

— d. VI loricata Hispanorum navis, cui *Hispania* nomen, El Ferrol in litore, coram Iberorum rege ac regina, feliciter in mare immittitur.

Ad Calabrum oppidum Monasterace, antiqua Caulonia urbs detegitur.

— d. VIII terrificae inundationes ex Lusitania et Hispania nunciantur.

— d. X De Paranagua marchio, Geographicae Brasiliensis Societatis praeses, vir multarum litterarum, Rivi Ianuarii in urbe moritur.

— d. XI eadem in urbe, sexaginta et septem annos natus, naturae concedit Iosephus Maria de Silva Paranhos, de Rio Branco dynasta, unus ex clarissimis civilibus viris, qui Brasiliense imperium ac deinde Brasiliensem rempublicam sunt moderati. Nunc exteris suae civitatis negotiis praefectus erat.

— d. XIII, S. Remi Italico in oppido, ex improvisa cuiusdam viae ruina, puerorum globus, discipulorum more deambulans, in praerupta decidit. Tirunculorum quinque mortui, quindecim autem graviter vulnerati inde extrahuntur.

d. XVIII Vindobonae, septimum supra quinquagesimum aetatis annum agens, supremum diem obit Aloisius de Aehrenthal comes, politicus ille excellentissimus, qui Bosniacam et Chulmianam provincias sine ulla sanguinis effusione Austriae, patriae suae, acquisivit.

— d. XXI Ranierius, magnus Austrorum Dux, eiusque uxor Maria, adstante Caesare imperialique domo, nuptias, quas adamantinas vocant, feliciter Vindobonae celebrant.

— d. XXII Houston, in urbe septemtrionalis Americae, septem domorum insulae, per longitudinem passuum mille, furente incendio absumuntur.

— d. XXV aedes propriae Pontificii Instituti Biblici sollemni ritu in Urbe inaugurantur.

— d. XXVI Gulielmus Alexander de Nassau Walram, Luxemburgi Magnus Dux, vita fungitur. Natus erat Biebrich in urbe die XXII mens. Aprilis MDCCCLII. Masculina prole carente, Maria Adelais filia natu maxima, duodevigesimum agens annum, ei in solio succedit.

AENIGMATA

I.

Rite lego: in silvis praestat, perstatque vigore.
Si lego retrorsum, virginis ora tegit.

II.

Quinque notas tantum quaeres, mi lector, et istis
Callidus interpres nomina bina dabis.
Primum nomen habes in messe, et cernis in illo
Nomen inesse rei, quae bona cuncta parit.

DIGAMMA.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet PETRI ANGELINI opus, cui titulus:

DE POETIS ET NUMERIS LATINIS.

Aenigmata an. XIV, n. XII proposita his respondent:

1) **Caetes**; 2) **Hara-Ara**

Ea rite soluta miserunt:

I. M. Meunier, *Corbiniaco*. — Ioan. Galbiati, *Mediolano*. — F. Ortiz, *Morelia*. — Iac. Menendez, *Madrito*. — Ant. Masia, *Terragona*. — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone*. — F. X. M. ,*Drepano*. — Fr. Salvatore, *Syracusis*. — Clem. Fiard, *Curia Rhetorum*. — Rich. Muller, *Berolino*. — Petrus Tergestin s - Georg. Archambeault, *Quebeco*. — Mart. Dunne, *Neo-Eboraco*. — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum*. — Rich. Brondel, *Brugis*. — Nic. Endrigi, *Salisburgo*. — Raim Silvan, *Londino*.

Sortitus est praemium:

ANTONIUS MASIA,

ad quem missum est opus, cui titulus:

DIE CHRISTI NATALI PRAEVIA

(Ad exemplar carminis Bohemici C. I. ERBEN, quod inscribitur *Stedry Den* latine scripsit Fr. PALATA).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina *Societatis Editricis Romanae*.

ANTHEA (1

(Ex fabula H. SIENKIEWICZ Poloni: *Eamus ad Ipsum*).

C. Septimus Cinna, patricius Romanus, emeritis stipendiis inter legiones, quum esset etiam tum integra aetate, Romam reversus est otii fruendi causa vitaeque per luxum ac voluptates agendae, quibus, ut tunc erant tempora, circumfluere divitibus liceret. Ei nulla deorum opinio erat: philosophiam pro nihilo habebat, bonum, virtutem vacua verba putabat, quibus nulla esset subiecta sententia. Quumque id unum sibi proposuisset, curare se molliter et iucundissime vivere, aetae ex arbitrio aetatis admirationem iniecit aliquandiu civibus, donec, dissipata re familiari, nihil sibi relictum sensit nisi gaudii lassitudinem rerumque omnium satietatem. Huc accessit animi aegritudo maxima, qualem expertus fuerat antea nunquam. Nam praedives, et, ut iis temporibus, voluptuarius, deliciis omnibus diffluxerat ille quidem, gloriae militaris cupiditatem expleverat, depulso periculo gestiens; idem eum suae aetatis philosophis valde coniunctus facile intelligebat, quos intra fines humanae vis mentis contineretur; artem, poesim admiratione et cultu fuerat prosequutus; in quo denique vita consisteret, quid eadem polliceri posset apprime tenebat. Nihilominus in iis omnibus persequendis magnum aliquid neglexisse sibi videbatur, nec quid illud esset diu cogitanti apparebat.

Postquam animus cum re concidit, Alexandriam profectus est proconsul, itinere nusquam cura vacuo usque Brundusium speque cito deiectus, quam conceperat, fore ut novis rebus videndis iungendisque amicitiis tandem aliquando posset mente consistere. Frustra etiam tentavit intermissam Urbis consuetudinem revocare, seque ingurgitare in voluptates, quibus animum a molestia avocaret. Denique ad ultimam perductus tristitiam, de eripienda sibi lucis usura cogitare coepit; iamque rei certum constituerat modum, quum singularis quaedam in somnis obiecta species a diro cum consilio deterruit. Sibi enim visus est cymba amnem traiicere et in opposita ripa cernere quasi servae figuram labore fractae ipsum praestolantis; eandem audire, data reverenter salute, dicentem, se ipsius esse molestiam; processisse ut obviam occurreret. — Tum primum expavit qui ad nullos casus antea extimuerat, simulque intellexit, si de altera vita cogitare sibi non liceret sine moestitia, hanc etiam post fata comitem futuram.

His pressus augustiis extremum consilium cepit percontandi philosophos, qui in Serapeo versarentur, si quam forte medicinam afferrent; sed qui difficilem extricaret nodum tolerandi ab ipso doloris exstitit nemo.

Erat eo tempore sapientium facile princeps in civitate Timon Atheniensis, vir nobilis atque, ut habebatur, omni doctrina eruditus institutisque philosophorum abundans. Is, miti ingenio ac peracuto, multis ab annis Alexandriae degebat, mysteriis Aegyptiorum cognoscendis intentus. Quem ut Cinna comperit longe alium a ceteris esse philosophis, angustis iis atque ieiunis, brevi sibi cum arctissimo familiaritatis vinculo adiunxit. Insidebat in animo senis forma quaedam eximia humanae vitae ad praecepta rationis componendae, eratque doctrina cum dicendi copia et suavitate coniuncta. Quibus de rebus etsi magna esset admiratio adolescentis, stupor tamen longe maior iniiciebatur ore senis ad ingentem tristitiam composito. Itaque saepe in eo fuit ut ex ipso quaereret causam moeroris, suumque animum aperiret.

Forte vespere quodam, quum, remotis arbitris, uterque in peristylio constitisset in mare porrecto, apprehensa manu senis, adolescens acerbitatis suae virus evomuit, atque:

— Hoc inquit — vitae taedium mihi causa fuit consulendi philosophos. Te fortuna obiecit meae interpretem vitae; qui nisi meipsum mihi revelaveris, spem omnem ademeris, parem huic officio praestando quemquam futurum.

Cui Timon, diu aequor intuitus imminente luna splendescens:

— Notastine — inquit — avium huc a nigris septemtrionibus commigrantium agmina? Quid hiemantes in Aegypto quaerant ignoras?

— Nempe lucem et calorem.

— Hominis quoque mens expetit lucem, quam sola gignit veri inquisitio atque investigatio; ab eodemque calor quaeritur, qui est idem atque amor. Sed inter homines et aves hoc maxime interest, quod his iter ad felicitatem cognitum est atque paratum; illis agitur vita perpetuis curis et anxia dubitatione tristissima.

— Ita plane. Verum quid causae est cur tranquillae vitae degendae viam homines nullam inveniant?

— Quandiu pictas in deos altis stetit fixa radicibus, animorum quietus et placatus status erat. Postquam vero, deorum opinione sublata, religioni, quasi lucernae humore defectae, philosophiam suffecerunt, nulla pars relicta est vitae beatae. Plerique enim, ut scis, philosophorum greges, quum Romae, tum Athenis, nihil cognosci, nihil sciri posse contendunt, omnemque veritatem in profundo esse demersam; quos equidem non expetitae tranquillitatis, sed maximae perturbationis esse auctores existimo. Ita fit ut, protensis manibus, per anfractus obscurissimos tentemus egressum.

— Neque adhuc invenisti?

— Mihi quidem tentata res est; non tamen ausu feliciore quam tuo. Nam quum animi securitatem tu in corporis voluptatibus, ego in cogitatione quaererem, caliginem in qua versamur neuter discussit. Nec te solum angi putandum est, sed in te aegrotare animam mundi. Quam multo abhinc tempore opinionem de diis immortalibus abiecisti?

(Ad proximum numerum).

P. Angelini.

Ann. XV. ROMAE, Mense Aprili MCMXII Num. IV.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

"VOX URBIS,, AD PEDES PII X PONT. MAX.

Quintodecimo kal. April., in vigilia diei nominalis Pii X. Pont. Max., is qui Commentarium nostrum moderatur, coram SSmo. privatim admissus, fasciculum *Vocis Urbis* illis diebus editum offerebat, una cum Scriptorum Sociorumque ominibus, per carmen Francisci Xav. Reuss ibidem expressis.

Summus autem Pontifex, qua fuit et est erga nos benevolentia, labores nostros pro Latina re laudibus iterum iterumque extulit, ut in incoeptis forti erectoque animo persisteremus incitavit, suaeque gratiae novum testimonium, Sociis omnibus atque Lectoribus peculiarem Benedictionem peramanter impertire dignatus est.

Quod bonum singulis, felix faustumque sict!

De Evangelii S. Ioannis historica veritate

Circa saeculi XVIII finem, de historica veritate Evangelii S. Ioannis dubium ortum est; Protestantiumque quorumdam mens fuit, S. Ioannis Evangelium vel a quodam philosophiae platonicae assecla, vel a quodam christiano Antiochiae existente, vel a quodam S. Ioannis discipulo fuisse conscriptum.

Insurgente vero Modernismi haeresi, iuxta nonnullos S. Ioannis Evangelium compositio quaedam mythica est, non a discipulo, neque a Christi amico conscripta, sed a poeta quodam, altissima praedito phantasia, excogitata; vel compositio quaedam idealis est ex Synopticorum narrationibus efformata; vel partim ab Apostolo, vel partim a discipulo eius, vel a solo discipulo scripta.

Ultimis temporibus, in vulgus editus est Liber Salomonis Reinach, cui titulus « *Orpheus* », in quo praeter multa contra Ecclesiam Ecclesiaeque dogmata doctrinasque ex malevolo dicta animo, asseritur « quartum Evangelium, a S. Ioanne nuncupatum, cuiusdam Iudaei Hellenici, a Philone Alexandrino inspirati atque Evangeliorum Synopticorum notitiam habentis, opus esse. Est scriptor ille non iam historicus, sed mysticus quidam, atque *Narrationes* Ioannis non sunt proprie historia, sed mystica Evangelii contemplatio; sermones, in eius evangelio contenti, sunt meditationes theologicae circa mysterium salutis, historica veritate destitutae». (1)

Relicto solido Traditionis ecclesiasticae argumento (S. Irenaei, Clementis Alexandrini, Theophili Antiocheni, Codicis Muratoriani) utpote omnibus noto, Evangelii S. Ioannis « historicitatem » variis ex argumentis vindicare nobis in animo est.

(1) *Orpheus — Histoire générale des Religions, chap.* VIII. — *Les origines chrét.* 17, 6°.

***

Evangelii S. Ioannis historica veritas apparet :

I. — *Ex factis quibusdam.* — *a)* Quartum Evangelium characteribus ita individualibus praeditum est, ut ad Synopticorum differentiam, nequeat a traditione quadam populari ubique diffusa originem ducere. — *b)* Secundi saeculi initio in auctorum ecclesiasticorum scriptis stylus ac S. Ioannis mens expressa inveniuntur; ex. gr. « nasci ex carne, — venire in carne, — esse de terra, — renasci, intrare in regnum caelorum ». Quae omnia quarti Evangelii existentiam cognitionemque praesupponunt. — *c)* Ex verbis ipsis eiusdem quarti Evangelii. Nam in cap. XIX, 35 legitur : « Et qui vidit, testimonium perhibuit » ; et in cap. XXI, 24: « Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his et scripsit haec » ; quae duo, scriptorem quarti Evangelii testem fuisse ocularem satis indicant. — *d)* Ex eiusdem quarti Evangelii testimoniis. Nam in cap. I, 40, legitur : « Unus ex duobus qui audierant a Ioanne... » et (XIII, 23) : « Erat ergo recumbens unus ex discipulis eius in sinu Iesu quem diligebat Iesus... ». Item (XVIII, 15) : « Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, et alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici... » ; (XIX, 26) : « Cum vidisset ergo Iesus matrem, et discipulum stantem, quem diligebat... » ; (XXI, 20) : « Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui et recubuit in coena super pectus eius ». Addatur factum dissensionum inter negantes quarti Evangelii apostolicam originem et histocitatem existentium. Critici siquidem negantes, dum de negatione historicitatis agitur, unanimes inveniuntur, sed discordes sunt, dum agitur de interno examine S. Ioannis Evangelii, necnon de testimonio quod Evangelista sibi ipsi tribuit : ita ut quod unus criticus « scientifice » adstruit, alius « scientifice » destruat, atque verba Alberti Ritschl ad litteram verificentur : « Facilius est admittere, quam reiicere Evangelii S. Ioannis genuinitatem ».

II. — *Ex Commissionis Biblicae responsis.* — Siquidem, quaesitum fuit primo : « Utrum ex constanti, universali ac solemni Ecclesiae traditione iam a saeculo II° decurrente, prout maxime eruitur : *a)* ex S.S. Patrum, scriptorum ecclesiasticorum imo etiam haereticorum testimoniis et allusionibus, quae, quum ab Apostolorum discipulis vel primis successoribus derivasse oportuerit, necessario nexu cum ipsa libri origine cohaerent; *b)* ex recepto semper et ubique nomine auctoris quarti Evangelii in canone et catalogis sacrorum librorum ; *c)* ex eorumdem Librorum vetustissimis manuscriptis codicibus, et in varia idiomata versionibus ; *d)* ex publico usu liturgico inde ab Ecclesiae primordiis toto orbe obtinente ; - praescindendo ab argumento theologico, tam solido argumento historico demonstretur *Ioannem Apostolum* et non alium quarti Evangelii auctorem *esse agnoscendum,* ut rationes a criticis in oppositum adductae hanc traditionem nullatenus infirment ? Responsum est : *Affirmative* ».

Quaesitum fuit secundo : « Utrum etiam rationes internae quae eruuntur ex textu quarti Evangelii seiunctim considerato, ex scribentis testimonio et Evangelii ipsius cum I^a Epistola Ioannis Apostoli manifesta cognatione, censendae sint confirmare *traditionem quae eidem Apostolo quartum Evangelium indubitanter attribuit ?* — Et utrum *difficultates* quae ex collatione ipsius Evangelii cum aliis tribus desumuntur, habita prae oculis diversitate temporis, scopi et auditorum pro quibus vel contra quos auctor scripsit, *solvi rationabiliter possint,* prout S.S. Patres et exegetae catholici passim praestiterunt ? Responsum fuit : *Affirmative* ad utramque partem ».

Quaesitum fuit tertio : « Utrum, non obstante praxi, quae a primis temporibus in universa Ecclesia constantissime viguit, arguendi ex quarto Evangelio tamquam *ex documento proprie historico,* considerata nihilominus indole peculiari eiusdem Evangelii, et intentione auctoris manifesta illustrandi et vindicandi Christi divinitatem ex ipsis factis et sermonibus Domini, dici possit *facta narrata in quarto Evangelio esse totaliter vel ex parte conficta* ad hoc ut sint *allegoriae* vel *symbola doctrinalia, sermones vero Domini* non proprie et vere esse ipsius Domini sermones, sed *compositiones theologicas scriptoris,* licet in ore Domini positas ? Responsum fuit: *Negative* ».

III. — *Ex criticorum auctoritate.* — Plurimi ex criticis (Drummont, (1) Walher, Polidori, Ceriani) contra historicitatem quarti Evangelii negantes scripserunt. Conclusiones duorum inter recentiores criticos afferre libet. Et primo clarissimi doctoris Lepin. (2) Qui adhibitis recentioris criticae mediis, sub triplici respectu, idest, in ordine ad tempus, ad locum et personam, S. Ioannis Evangelium considerat, atque sequentia statuit :

a) Circa tempus. — Omnes critices investigationes hinc a quinquaginta annis, plene confirmant fidem Traditionis relate ad tempus in quo S. Ioannis Evangelium compositum fuisse asseritur.

b) Circa locum. — Duo scientia critices definitive obtinuit : primum est, quod quartum Evangelium, iam a secundi saeculi initio exstabat, nihilque impedit, quominus, prouti primitiva traditio exigit, ad primi saeculi finem pertineat. Secundum est, quod ratione originis quartum Evangelium iure ad Ecclesiam Asiae Minoris pertinet, et verius ad regionem Ephesinam, cui a primitiva traditione tributum est.

c) Circa personam. — Ex una parte, gravissimae difficultates, quae Apostoli Ioannis mansioni in Asia

(1) *An Inquiry into the Character and Autorship of the Fourth Gospel,* 1904. — AD. HARNACKS *Wesen d. Christ. für die christliche Gemeinde geprüft,* 1901. — *L'autore del quarto vangelo rivendicato.* Roma. Civ. Catt. 1903. — *Scuola cattolica,* Milano, 1903-1904. — Cf. R. MARIANO *(Rass. Naz.* Dic. 1900, 2 p. 413), « *L'esclusione dell'Evangelio di Giovanni storicamente infondata* ».

(2) *L'origine du quatrième Evangile.* Paris, 1907.

obiiciuntur, vel ad silentii argumentum, de quo difficulter iudicium profertur, vel ad testimonia dubia, uti Papiae testimonium relate ad Ioannis martyrium; vel ad incertissimas coniecturas, absque solido pro re nostra valore, uti coniectura cuiusdam Ioannis simplicis presbyteri, vel coniectura de duobus Philippis a Polycrate confusis, reducendae sunt. Ex alia parte multa habemus quae Traditionis sententiam manifeste corroborant. Ita ex. gr. identitatis factum inter Ioannem Ephesinum et Ioannem Apostolum, quacumque contradictione remota, in iisdem Ecclesiis Asiae Minoris et praecipue in Ephesina Ecclesia tempore Polycratis, S. Irenaeis, Montanistarum necnon tempore S. Iustini conversionis, affirmatum. Idemque factum per testimonium directum S. Polycarpi, sive Romae coram Aniceto, sive Smyrnis coram Irenaeo, tum per Florinum, tum per alios Asiaticos statuitur.

Supra omnia vero impossibile est, penes testes omnimode independentes, atque primordiis maxime vicinos, deceptionem tam vulgarem supponere. Huiusmodi testes sunt Polycrates Ephesinus atque ii qui eum circumdabant, S. Irenaeus, omnesque cum quibus communicavit, S. Iustinus duplici cum traditione, romana nempe atque ephesina, quas representat. Quisquis omnia haec diligenti subiicit examini, cogitur fateri, Ioannis mansionem in Ephesina Ecclesia esse factum certe admittendum. Obscuritates partiales adesse possunt; attamen umbrae huiusmodi, valere nequeunt contra lucem, quae simul omni ex parte circa principale quaestionis punctum emanat. Sententia de mansione S. Ioannis Ephesi, tam certa Lepin doctori visa est, ut aperte fateatur non esse a longe tempus in quo a criticis vera independentia praeditis, mansio haec recognoscenda sit. (1)

Secundo repetendae sunt conclusiones revmi d. Batiffol (2): *a)* Tuto retinendum est, quartum Evangelium S. Ioanni Apostolo iure tribui. Assertum enim huiusmodi ecclesiasticae Traditionis, tum per magni momenti testimonia (S. Irenaei, Clementis Alexandrini, Theophili Antiocheni et Codicis Muratoriani), tum per internae critices motiva circa eiusdem Evangelii comprobatur. *b)* Narrationes sermonesque quarti Evangelii fictiones non esse, quia theoria de Symbolismo, in qua assertio praedicta innititur, omni destituitur solido fundamento, neque amplius criticis ipsis arridet. (2)

***

Dum vero Modernistae opponunt: « Si Christus loquutus est et egit, sicut iuxta Evangeliorum Synopticorum narrationes loquitur et agit, non potuit loqui et agere sicut loquitur et agit iuxta S. Ioannis narrationes, quia in primis sensibilis est Christi magnitudo, quamvis signis circumdata humilibus, vitaque illius, uti cetera omnia, naturali modo explicatur, dum e contra in S. Ioannis Evangelio, Christus prodigia operatur, magnam ingerit admirationem, doctrinaque quam tradit, altitudine sua omnes stupefacit, a nullo homine intelligi potest, ac Persona transcendens est, diversimode respondetur »; Angelicus doctor (1) diversitatem existentem inter Christum Synopticorum et Christum a S. Ioanne descriptum explicat per diversitatem *materiae* quarti Evangelii ac aliorum Evangeliorum. En eius verba: « Colligitur materia huius Evangelii; quia quum Evangelistae alii tractent principaliter mysteria humanitatis Christi, Ioannes specialiter et praecipue divinitatem Christi in Evangelio suo insinuat... nec tamen praetermisit mysteria humanitatis; quod ideo factum est, quia postquam alii Evangelistae sua Evangelia scripserunt, insurrexerunt haereses circa divinitatem Christi: quae erant, quod Christus erat purus homo, sicut Ebion et Cerinthus falso opinantur. Et ideo Ioannes Evangelista, qui veritatem Verbi ab ipso fonte divini pectoris hauserat, ad preces fidelium, Evangelium istud conscripsit, in quo doctrinam de Christi divinitate nobis tradidit, et omnes haereses confutavit... Ioannes designatur per aquilam: et hoc, quia quum alii tres Evangelistae circa ea quae Christus in carne est operatus, occupati, designantur per animalia quae gradiuntur in terra, scilicet per hominem, vitulum et leonem; Ioannes vero supra nubila infirmitatis humanae velut aquila volans, lucem incommutabilis veritatis, acutissimis atque firmissimis oculis cordis intuetur, atque ipsam Deitatem Domini nostri Iesu Christi, qua Patri aequalis est, intendens, eam in suo Evangelio, quantum inter homines sufficere credidit, studuit praecipue commendare ».

Sed etiam per diversitatem scopi, necnon per diversitatem modi quo Evangelistae Evangelium ab ipsis conceptum scripserunt, explicatur oppositio praefata. Nam S. Matthaei scopus in Evangelio suo conscribendo videtur fuisse, oeconomiam salutis explicare, ad divinae Providentiae iustificationem, dum populus Iudaicus reiiciebatur et gentes ad Christi fidem vocabantur. Iuxta vero S. Marci Evangelium, quia Christus mirabilia operans, daemonibus, discipulis, et ab eo sanatis praecipit ne aliquid dicant, silentiumque imponit, satis apparet mentem Evangelistae fuisse Iesum Christum non uti Iudaeorum Messiam sed alio sub adspectu describere, lectoribusque tradere. Hinc S. Marci scribentis scopus fuit: *a)* Personam Salvatoris, qui tamquam simplex regni praedicator ad populum Iudaicum venerat eidem populo abscondere. (Marc. I, 24, 25, I, 43; III, 11-12). — *b)* Eiusdem personae revelationem ad solam discipulorum notitiam restringere. (Marc. VIII, 30). — *c)* Revelationem hanc tempore opportuno aliis manifestam facere. (Marc. IX, 8). Diversus quoque fuit in Evangelio scribendo S. Lucae scopus ac S. Matthaei et S. Marci. Dum pro S. Matthaeo et Marco, Evangelium nonnisi regni Dei praedicatio est, facta a Christo

(1) Cf. cap. II, §. I, p. 59; 7, §. II, p. 71; cap. III, §. II, 163.
(2) *Orpheus et l'Evangile. — Les Evangiles* (10 Avril 1910. VI).

(3) *Prologus in Evangel. Ioannis.*

a baptismate usque ad mortem eorumdemque Evangelia nonnisi huius praedicationis historia sunt; pro S. Luca Evangelium est salus, quam Messias morte sua intercedente pro aliis acquisivit, cuius resurrectio est argumentum quod mors illa tanquam sacrificium expiatorium efficaxque apud Deum accepta fuit. Salus haec ab omnibus hominibus possideri potest, dummodo ad eamdem per poenitentiam se praeparent. S. Ioannis denique scopus in conscribendo Evangelio fuit, Iesu Christi divinitatem contra insurgentes haereses defendere novisque solidare argumentis. Existente propterea huiusmodi scopi diversitate necnon diversa Evangelii conceptione penes Evangelistas, nihil mirum, si differentia quaedam inter personam Christi a Synopticis descriptam, et personam Christi descriptam ab Ioanne existat. (1)

Quidam scriptores denique differentiam praedictam explicant per hoc, quod Evangelistae Synoptici facta vitae Christi referunt in eorum obiectiva atque historica traditione, verbaque Christi referunt prouti a Christo prolata fuere; dum e contra Ioannes Christi doctrinam tradit, prouti doctrina haec, vitali ac intelligibili modo in mente eius, post longum praedicationis meditationisque exercitium existebat. Qui S. Ioannis Evangelii historicitatem impugnant, norma a Pio X sapienter damnata moventur, quae norma « tandem aliquando in mere subiectivam recidit » et iuxta quam, uti pulchre Pontifex ait, « est geminus Christus, realis alter, alter qui nunquam reapse fuit sed ad fidem pertinet; alter qui certo loco certaque vixit aetate, alter qui solummodo in piis commentationibus fidei reperitur: eiusmodi, exempli causa, est Christus, quem Ioannis Evangelium exhibet: quod utique, aiunt, totum quantum est commentatio est ». (2)

***

Propter dicta apparet, quam sapienter, iure meritoque, Pius Papa X damnaverit propositionem decimam sextam Modernismi, quae ita sonat *(Syllab.)*: « Narrationes Ioannis non sunt proprie historia, sed mystica Evangelii contemplatio; sermones in eius Evangelio contenti, sunt meditationes theologicae circa mysterium salutis historica veritate destitutae ».

Reginaldus M. Fei O. P.

(1) Cf. Fei, *Propaed. ad s. Theol. De Evangeliis* art. 3.
(2) Epist. Pii P. X *Pascendi*, 8 Sept. 1907.

. . . . . . *Absentem qui rodit amicum,*
Qui non defendit, alio culpante, solutos,
Qui captat risus hominum famamque dicacis,
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit, hic niger est, hunc tu, Romane, caveto.

Horat., *Satyr.* I, 4.

HUMANIORES LITTERAS
PIETATI IN DEUM PLURIMUM CONFERRE (1)

Ut inde oratio proficiscatur unde tota tractatio deducitur, haec de qua loquimur pietas, a sapientibus haberi debet omnigenarum virtutum regina seu mater, quae omnibus antecellit, et quasi comites aut administras ceteras, ut sibi auxilientur, adducit. Quid enim prudentia, quae, ut ait Tullius, in perspicientia veri solertiaque versatur, nisi cum pietate copuletur, et Deum ipsum, primam summamque veritatem, respiciat? quid fortitudo in exantlandis laboribus ut ad virtutem pergatur, nisi ad Deum ferat, in cuius obsequium bellum fortes voluptatibus indicant, quae mediocres homines transversos agunt? Iure igitur Homerus poëtarum princeps, quamquam verae pietatis nescius, totius narrationis fundamentum in eo posuit, quod Atrides Apollinem, Deorum sanctissimum, despexisset; idemque Maro quum opus aggressus est, ut aliquid Iliade maius nasceretur, insignem pietate virum ab initio se celebraturum admonuit, totoque carmine pium Aeneam appellavit, ut legentium animos maxima in eum benevolentia devinciret.

Quod si tanti faciendam pietatem putaverunt viri sapientia poëticaque facultate praestantissimi, quamquam vix illius umbram cernere valuissent; quid de hac nostra dicemus, quae sublimibus fulta veritatibus, homines ad sublimia excogitanda ac sectanda adducit, efficitque ut illi rebus vel integre, vel fortiter gestis, inter vitiorum foeditatem, quocumque locorum hodie irrumpentem, ad gloriam virtutis via grassentur? Sed externus honor, quo haec virtutum magistra refulget, haud tantus est, ut ad eius comparationem tot essent adeundi labores. Huc vero accedit quod ea sola nobis caelorum aeternas domos reserat, nos ad Deum evehit, ut animus noster incorruptus, egregiorum facinorum fama honestatus, beata immortalitate fruatur, divino illo sanguine nobis comparata, qui homines expiavit atque in mala proruentes erexit. Quod quum prae aliis optimum maximumque sit, ut id adipiscamur, summa vi opera danda est: omnia sunt obstacula auferenda, omne, quamvis insuperabile impedimentorum genus, superandum. Pereant profecto, si ad aeternae laureae victoriam opus sit, pereant artes ingeniique inventa: pereant altiorum scientiarum disciplinae, si homini summum bonum invideant; pereant denique litterae ipsae humaniores, si ita sint mortalibus adversae, ut eos longius a suprema felicitate propellant.

(1) Dum magis magisque in dies cultum et humanitatem a Deo stulti homines, vel in scholis inferioris ordinis, detrahere conantur, iuverit nobis, qui ea acerrime tueri gloriamur, clarissimi illius Mauri Ricci, Latinarum Italicarumque litterarum decoris, magistri quondam nostri suavissimi, non sine quodam religionis sensu vocem revocare, qui hoc maximi mo, menti argumentum non semel in suis operibus pertractavit. Quas paginas hodie referimus, inter eius scripta invenimus, quae, ut meminerint fortasse lectores, ipse abhinc annos duodecim, iam prope mortem adductus, moderatori nostro, Iosepho Fornari, tradidit in *Voce Urbis* quandocumque vulganda.

Sed nullam (sic placitum Deo) harum disciplinarum perire necesse est : stent utique universae ac floreant; novis quotidie incrementis auctae, utiliores scientiae, vaporantis aquae vi, pennas non homini datas hominibus addant, tenuique filo ignotus spiritus per terrarum vastitatem supra subtusque pelagi fluctus, gentibus ab orbe divisis verba ferat. Stent bonae litterae, quae tum magniloqua vehementique oratione mortalium pectora commoveant, tum lyra vel tibia viros atque heroas sumant celebrare. Stent atque, ut Tullii verbis utar, nostram adolescentiam alant, senectutem oblectent, nobiscum peregrinentur, rusticentur, quippe quae non solum cum sancta pietate merito coniunguntur, verum etiam illam in nostris cordibus servatam augent, dulcissimaque aspergunt voluptate, atque ad eam quam etiam atque etiam pertingere metam avemus nos, ut in beatitatis portum, adducunt.

Quid enim volunt, quorsum eae spectant, quibus obsequimur, humanae litterae, quasque bellissimum ceterorum studiorum ornamentum praedicamus ? Hue profecto intendunt, ut hominum mentes, quum ad eas accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae, excolantur, ac naturae ipsius habitum, prope belluarum, expellentes, ad vera agnoscenda ac sentienda potiores evadant. Hue intendunt, ut dulcedine seu solutae sive ligatae orationis, nostris auribus emollitis, mitibus sensibus assuescamus, ponamusque, ut princeps poëtarum ait, corda ferocia, rudesque mores exuamus, quos cum hominum ingeniis ubique natura copulavit. Quid igitur si nostrae mentes perpolitae ad veritates adipiscendas magis acuantur, eruntne ad sanctissima nostrae religionis documenta obtusiores ? si sensus mitiores induemus, si rerum creatarum magnificentia melius perspecta, humanumque genus dulciori amore prosequuti, ita erimus affecti, ut naturae admirabiles prospectus, ut excelsas cogitationes et egregia facinora cum animo reputemus, nihilne ad debita erga homines officia, ad inopum miserationem, quae christianae doctrinae veluti fundamenta habentur, proficiemus ? Scilicet intellectus, qui neque humanarum veritatum neque inventorum excellentiam percipiat, ad Deum recte colendum facilius feretur ! scilicet animus, quem bene factorum pulcritudo lateat, cuius evulgandae litterarum est praecipuum munus, ad benefacta promptius impelletur ! Unde fieret mentis socordiam, morumque incultum pietati prodesse, atque eo magis ad illam perveniri, quo magis hebeti corde imbecilloque animo quisquam se praeditum ostenderet. Hanc scio sententiam esse quorumdam impiorum hominum, qui ad inertiam et corporis voluptates, veluti pecora, pessum dati, ut iuvenes in virtutis via remorentur, pietatem decere inclamant foeminis puerisque, non viris, quippe vel infirmi intellectus, vel angusti animi luculentissimum argumentum. Ignorant videlicet hi adolescentium perditores, quot doctrina rebusque sanctissime gestis celebrandos viros haec pietas ediderit, qui nisi historias honestarent, eae utique nihil pene insigne, praeter insignia flagitia, posterorum memoriae mandarent. Nisi vero mente captum Dionysium, illud Areopagi lumen, habeamus, vel Augustinum, qui de rebus scriptu difficillimis sapientissime disseruit, vel Thomam Aquinatem, cuius omnimoda sapientia philosophi omnes magis in dies obstupescunt, vel innumeros alios, quorum si nomina tantum recenseremus, longissime oratio nostra vagaretur.

Quae quum ita sint, videte, num pietatem cui omni ope studere oportet, nisi ita stulti simus ut vitam immortalem pro nihilo habeamus, possint liberalia haec studia nostra vel penitus destruere, vel saltem quam minimum debilitare. Quid vero si non modo ea virtuti illi praeclarae non adversari, verum etiam maxime favere atque inservire contendam ? Namque si recte investigemus quomodo huiusmodi pietatis sensus atque haec Dei colendi cupido in mortalium cordibus exoriatur atque efflorescat, quae ad sancta facinora nos advocat, profecto inveniemus sacrarum veritatum contemplatione ortam, vehementi earum comprehensione incalescere. Quanto itaque facultatum acumine litterariis laboribus exercitus intellectus, mortalia despiciens, sublimi volatu ad ea contemplanda erigetur, quae hinc fulgentissimum splendorem emittentia, inde perobscuris tenebris involuta, *dogmata* appellantur ? Quarum veritatum pulcritudinem tantam magistri agnoscunt, ut ne maximi quidem veteris philosophiae doctores, sive Academici, seu Stoici quam longissime sint suspicati. Praeterea ad animos bene a natura informatos commovendos, nil potius est quam eae sacrarum historiarum narrationes, quae a pientissimis viris in lucem editae, nobis vel facta commemorant Dei humanum morem induentis, vel eorum, qui maximos labores divino nutu suscipientes, religionis statuendae habiti sunt auctores. At qui melius eloquentiam vel poëticen didicerit, ad ea secum cogitanda melius erit affectus, divinique Filii e caelo descendentis amorem, quaecumque pessima perpatientis in summo monte tolerantiam, ac memorabilem occubitum, humanique generis in libertatem vindicati auctam dignitatem, optime noscet ac merito existimabit. Dummodo perridiculis argumentis adducti easdem facultates, quae litterarum pulcritudinem percipiunt, ad pulcherrima tantum nostrarum religionum intelligenda impotes futuras non reputemus. Sed si monumentorum rationem habere velimus, quae per cunctas Italiae regiones, immo per universum terrarum orbem, scriptis commissa, picta ac sculpta, vel architectonico magisterio extructa exstant, quibus, rerum mole solum animadversa, imperitissimi etiam fidem adiungunt ; nunquam his fallacibus opinionibus acquiescemus. Quis enim, nisi prorsus sensum pudoremve abiecerit, disserere erit ausus de pietatis contra litteras repugnantia, quum neminem lateat quot litteratissimi viri suis operibus, atque iis operibus, quibus humanum genus possit sumere superbiam quaesitam meritis, huius scilicet pietatis egregiam virtutem resque praeclare gestas argumentum dederint ? quis

nostrûm inficiabitur, hanc quam volumus pietatem innumeras tabulas aeternis, ut ita dicam, coloribus depictas, figuras aere mirabiliter delineatas, multaque aedificia, ob quorum excellentiam Italiae decus adhuc exteris gentibus lucet, peperisse? Perpendite, quaeso, paullisper divina Aligherii carmina: quibus perlectis, obiiciat aliquis pietatem a Christi veritatibus excitatam litteris contradicere, quum ipsae litterae sibi praecipue pietatis miracula canenda assumant. Videte vel primas syllabas vindicatae Solymae; noscetis illico quot stimulos haec pietas adiecerit Torquato, pia bellatorum arma celebraturo. Si Philippus ille Brunelleschius concamerati templi tholum, trecentorum artificum undecumque convenientium unus quasi ludens ad caelum sustulit, pietati (1) debet, quae audaciam animo, robur ingenio addidit: altissimum enim opus aggrediebatur Caelitum Reginam sibi affuturam confidens. Si Raphaël, quo tantum Italia patria superbit, humanas formas in iugo Palaestinae celeberrimo divinitus immutatas depinxit, Deique maiestatem et splendorem, admirantibus hominibus, in terram adduxit; pietati debet, quae maximis eius coeptis adspiravit. Si Michaël, ut cum poeta loquar, divinus magis quam terrenus Angelus habendus, novo artis conatu effecit, ut cum Horatio vere diceremus, pictoribus esse potestatem quidlibet audendi; pietati debet, cuius divino spiritu assidue afflatus eo magnitudinis processit, quam nemo eatenus excogitaverat. Si denique ille Ligurum audentissimus, Christophorus, cui robur et aes triplex circa pectus fuisse videtur, fragilem ratem truci pelago commisit, et multa per aequora processit, regionesque ab orbe cognito remotas Europae patefecit, pietati debet magnaeque cupidini verum Deum in barbara loca inferendi, ut saepe ipse testatus est, Christique sepulcrum ab impiorum manibus in libertatem vindicandi. Quare quum pietatis sensus atque exercitatio egregium sit hominum ornamentum, maximeque apud omnes auctores reverendum; quum litterae ipsae humaniores, quibus dediti sumus, homines poliendo atque ad humanitatem vocando mirum in modum hanc virtutem foveant; quum mortalium mentibus vim atque alas pene suppeditent, ut sanctissimae religionis arcanas veritates diligant, et, quantum homini fas est, cognoscant, quod viri rebus gestis atque editis scriptis praeclarissimi confirmant; quum denique litterae ex hoc pietatis splendore maxima luce refulserint, illi invicem auxiliantes, ita ut neque ullum fere litterarum nostrarum monumentum absque pietate, neque pietas aliqua apud homines insignis sine litteris prodierit, quid dubitamus de earum bono et mutua utilitate?...

MAURUS RICCI, *Sch. Piar.*

(1) Iuvat hic referre verba a Philippo Brunelleschio habita in concione: «*Ricordandomi che questo è Tempio sacrato a Dio e alla Vergine, mi confido che facendosi in memoria sua, non mancherà d' infondere il sapere dove non sia, e aggiugnere le forze e la sapienza e l' ingegno a chi sarà autor di tal cosa*».

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Delphinum natare doces.

In eos competit, qui monere quempiam conantur in ea re, in qua quum ipse sit exercitatissimus, nihil eget doctore. Nam delphinus in natando pernicissimi impetus est, ita, ut non modo superet omne natatilium genus velocitate, verum etiam terrestrium animantium, auctore Aeliano (lib. XII). Quin et naves transilire eum dicebant atque, contento spiritu, teli in morem eiaculari. — Item: *Aquilam volare doces*; quod enim delphinus inter pisces, id aquila inter volucres.

EX BATAVIA

De certamine poetico Hoeufftiano an. MCMXI.

Accepimus, et libenter edimus:

Die XI mens. Martii MCMXII in conventu Ordinis Litterarii Academiae Regiae Disciplinarum Neerlandicae relatum fuit de XXXII carminibus, quae Amstelodamum missa fuerant, ut de praemio an. MCMXI certarent. Horum aureo praemio dignum iudicatum est carmen inscriptum *Thallusa,* cuius auctor apparuit IOANNES PASCOLI Bononiensis. Praeterea sumptibus Academiae in lucem edentur novem carmina praestantissima, si poetae *ante kalendas Iunias* veniam dederint schedulas aperiendi. Sunt autem his titulis: *Solatiolum, Venator, Lydia, Eunus, Villa Syronis, Plotinus, Strages infantium Bethlehemitarum, Tupac Amaru, Ad Rhenum fluvium.*

AMSTELODAMI, die XII mens. Mart. MCMXII.

H. T. KARSTEN,
Acad. Reg. h. t. ab actis.

Immoderate agere haud videmur Batavis hisce litteris addentes, ex carminibus peculiari laude ornatis duo, *Plotinum* nempe et *Stragem infantium Bethlehemitarum,* alterum, Francisco Sofia Alessio, alterum Francisco Xav. Reuss, sociis nostris clarissimis, deberi; quibus novo hoc honore auctis ex animo gratulamur.

V. U.

Alienis abstineto, quo tutius vestrasque opes teneatis..... Iniusta lucra ne existimetis auctura esse divitias, sed periculum allatura.

ISOCRATES, *Orat. ad Nicodem.*

Hominibus prodesse natura iubet..... Ubicumque homo est, illi beneficio locus est.

SENEC., *De vita beata,* XXIV.

STRAGES INFANTIUM BETHLEHEMITARUM

(Carmen in certamine poetico Amstelodamensi a. MCMXI magna laude ornatum)

Immensus implet compita Bethlehae
domosque luctus; stridula personant
lamenta Rachelis, tenelli
cui gladio periere nati.

« I - sic tyrannus iusserat efferus -
i, lictor, et quos Bethleha bimulos
aut iuniores cumque lactat
filiolos, age, trade leto.

« Vagitibus, vos, ne moveamini
infantulorum, neve ululatibus
matrum; virorum si quis obstet,
huic iugulum fodiatur ense.

« Mactate; nulli parcite parvulo,
is ne supersit, qui sibi vindicat
regale nomen, meque pulso,
Davidici di dema regni ».

O stulta saevi regis iniquitas!
sospes, tot inter funera, regius
evadit Infans, quo potiri
nec potuere doli, nec arma.

Sicariorum ferbuit interim
opus cruentum. Pars tenet aedium
obsessa, nudatis machaeris,
limina, ne fugiant necandi.

Irrumpit intro pars, et atrociter
« Afferte - clamant - quotquot ab ubere
pendent puelli, queis bibendum
purpureum dabimus cruorem ».

Quis eiulatus possit et irritas
preces et iras dicere coniugum?
materna dum quem stringit ulna,
vi rapitur, laniandus, infans;

dum, crine passo, strata cadavera
matres reportant, queis sua gaudia
exstincta nunc: iucundus Isac,
pulcher Amos, lepidusque Iacob.

Huic guttur; illi pectus et ilia
transfixa ferro; tempora tertio
allisa cunis, omne donec
immaduit cerebro cubile.

Si forte carum tuta receperit
latêbra pupum, vimque satellitum
iam gaudet elusisse mater;
vociferans puer ecce mammam,

mammam reclamat, seque reconditum
hosti revelat: candida victima,
lictoris arridere visa
fulgidulo roseoque cultro.

Salvete, vulsos quotquot ab ubere
immisit astris Bethleha martyres,
imbellis aetas quos triumphi
non vetuit decus emereri!

Salvete nobis, Lilia roscida,
quae, vere primo nata, nec aestibus
afflata pravis, Rex supernus
transtulit aethereos in hortos!

Cohors triumphans, protege filios
ab hoste nostros; pelle tyrannidem,
Herodianâ duriorem,
quae genus omne premit scholarum.

Novus tyrannus non puerilia
in membra saevit; mentibus insitam
(Baptismatis caeleste munus)
nititur heu! abolere vitam.

Ornet, rogamus, casta puertia
parvos alumnos! qui iuvenescere
seramque discant ad senectam
vivere Christiadae, morique.

FRANC. XAV. REUSS.

Stili lapidarii elementa[1]

LITTERAE INSCRIPTIONUM SINGULARIUM ET VOCABULA DECURTATA.

§. IV. — *Inscriptionum historicarum.*

A. M. XX. Anno miliario vigesimo.
A. P. V. C. Anno post Urbem conditam.
Apell. E. Appellatus est.
Coact. Abdic. Coactus abdicare.
D. S. S. De Senatus sententia.
D. S. P. F. C. De sua pecunia faciundum curavit.
Ex S. C. Fin. Pomerii termin. Ex senatus consulto fines Pomerii terminaverunt.
In E. L. F. E. In Eius locum factus est.
In M. M. E. In Magistratu mortuus est.
In Sing. H. In singulos homines.
Leg. Legavit.
In Mag. decis. est. In Magistratu decisus est.
L. F. Lustrum fecit.
M. P. XV. Millia passuum quindecim.
N. Nummo, vel nummos.
Ob. Hon. Ob honorem.
P. S. F. Pecunia sua fecit.
Prox. Cipp. Pep. CLXVI. S. Proximo Cippo Pedes centum sexaginta sex semis.
R. G. C. Rei gerundae causa.
R. R. Ruderibus reiectis, vel recta regione.
Vit. Facti Abd. Vitio facti abdicaverunt.

§. V. — *Elogiorum.*

Id. Febr. Idus Februariae.
Mag. Eq. Magister equitum.
Ord. Comens. Ordo Comensis.
P. Praetor.
Praetor. Praetorum.
Q. Quaestor.
S. F. Sacris faciundis.
V. C. Vir Clarissimus.

§. VI. — *Constitutionum publicarum.*

A. A. S. E. V. Alter Ambove si eis videbitur.
B. F. Bonum factum.
D. E. R. I. C. De ea re ita censuerunt.
D. E. R. Q. F. P. D. E. R. I. C. De ea re quid fieri placeat, de ea re ita censuerunt.
E. H. L. N. R. Eius hac lege nihil rogatur.
E. R. P. E. V. E Re publica esse videbitur.
Ex. H. L. Ex hac lege.
In V. R. P. Ve. V. R. In Urbe Roma, propiusve Urbem Romam.
I. V. E. E. R. F. S. V. C. Ita ut eis e Republica, fideve sua videbitur censere.
Quae S. S. S. Quae supra scripta sunt.
Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C. Quod de ea re fieri placuerit, de ea re ita censuerunt.
V. F. Verba fecit.

(1) Cfr. num. sup.

V. D. P. R. L. P. Ut, vel unde de plano recte legi possit.
D. E. R. Q. F. P. D. E. R. I. C. De ea re quid fieri placeret de ea re ita censuerunt.

Haec sunt exempla siglorum, quae in veterum titulis frequentius occurrunt; alia tamen sigla ad veterum normam recte quis induxerit quum nomina, appellationesque usurpari opus fuerit, quae cuique vel levi indicio nota fiant, ut si quis scribat:
Ant. F. Antonii Filius
Hor. F. Horatii Filius.
Similia his sunt:
S. E. R. Sanctae Ecclesiae Romanae.
V. E. Vir Eminentissimus.
Episc. Episcopus.
Presb. Presbyter.

Et alia huiusmodi, quae primis praescripta literis, nemo quid designent ignorat. In nummis etiam saepe occurrunt inscriptionum notae a ceteris diversae, quas apud Morcellium, lib. III, part. I, cap. IX, reperies. Sunt etiam ibidem plures notae, quae vel assem et uncias designant, vel alia quae nos brevitatis gratia omittimus. Inter has celeberrima veteribus Christianis usitatissima nota, qua Christi nomen duabus graecis literis significabant, quae nominis eiusdem initium sunt X P, queis addita non raro alpha et omega, quibus Christum Deum aeternum fatebantur. Hae vero literae multiplici, ac varia ratione coniungebantur.

Ex his Constantinianum monogramma est, in quo linea recta iuncta literae P una fit cum altera. Vide sis, quid de Constantino hac super re enarret vetus auctor operis de moribus persequutorum; quod etiam inlustravit egregio commentario vir doctissimus Petrus Lazzari. Nec aliae desunt Christianorum veterum notae, quibus epitaphia nostra ornari possint. Symbola Graeci dixere, quae maiores nostri in annulis etiam suis incidi curabant. Signa vero, ait Clemens Alexandrinus in *Paedagogo*, (lib. III, c. 2) nobis sint columbae, aut piscis, aut navis quae in caelum feratur, aut lyra musica, qua Polycrates usus est, aut anchora nautica, quam Seleucus caelabat: et si piscator effictus fuerit, Apostoli memineris, et puerorum, qui ex aqua educuntur. Haec vero, quae Clemens in christianis annulis probabat, in tumulis etiam efficta videas. Anchoram saepissime reperies, cuius figurae usus ad spem significandam antiquior Seleuco est. Palma etiam in sepulcris frequens, quam non unis Martyribus appositam Fabrettus, et Odericus ostenderunt. Vestigia denique, et pedes sepulcris insculpta aliquando occurrunt, quae Lapius quasi anathemata quaedam fuisse putat Deo sacrata pro ea bene absoluta peregrinatione, qua peregrinamur a Domino. Hasce ad libitum, Christianae professionis notas delineandas curare poteris vel sub ipsum epitaphium, vel ad latera. Excipe Christi monogramma, quod rectius initio incidetur.

FINIS.

MOYSIS GESTA AB ALEXANDRO BOTTICELLI PICTA



In Xystino illo Vaticani sacello, in eo artis miraculo quod conventum pictorum maxime per orbem XV saeculo illustrium non immerito dixeris, Alexandri Philippi, vulgo *Botticelli,* murales tabulae non ultima obtinent; artificis, inquam, figurarum suavitate singularique subtilitate perinsignis, cui immo Pontifex picturarum omnium argumenta atque distributionem commiserat. Is autem Moysis historiam sibi delegit, cuius facta nonnulla, in unum a Botticellio collecta, sub oculis lectorum nostrorum hodie ponimus.

Spectant haec ad Moysis vitae partem, quam in *Exodi* II et III legimus ad tabulaeque intelligentiam brevi repetimus.

Quum scilicet Moyses iam adolevisset, fratres suos invisurus venit, nactusque ea occasione Aegyptium inclementer Hebraeum quemdam habentem, rei indignitate commotus, sedulo prius, an ab aliquo observaretur, circumspiciens, in Aegyptium insiliens, occidit, atque cadaver in sabulo occuluit. Mane alterius diei, duos Hebraeos mutuo iurgantes audiens, alterum ex illis admonuit, ne fratrem percuteret. Quum ille respondisset, nihil se cum ipso rei habere, illique homicidii crimen exprobrasset, Moyses eam rem proditam intelligens, sibi plurimum metuit.

Et iure; quum Pharao, ea caede intellecta, virum ad supplicium quaereret. Secessit ergo Moyses in Madianitidem, regionem trans Mare rubrum, in Arabia Petraea, ad montem Sinai. Quum eo pervenisset, iuxta puteum sedebat, quo forte accidit ut filiae Iethro, Sacerdotis Madian, adaquandis gregibus accederent. Impletis iam ab illis aqua canalibus in usum gregis, pastores supervenerunt, ut mulieres abigerent; sed Moyses, earum patrocinio suscepto, iniuriam propulsavit, simulque gregibus adaquandis operam suam contulit. — Acceptum ab extraneo viro beneficium puellae, domum reduces, patri renunciarunt, a quo statim Moyses accitus, eo contubernio gratuito aliquandiu usus est; deinde firmam stabilemque moram iureiurando pollicitus, Sephoram, Iethro filiam, coniugem duxit, a qua duos habuit filios, Gersam et Eliezer. Quum autem Moyses pascendis Iethro ovibus occuparetur, in deserti interiora penetrans, ad Horeb usque olim pervenit: ubi rubum ardentem, intactis tamen vepribus, conspicatus, primo obstupescens haerere, deinde propius accedere, oculis causam rei exploraturus. Sed audita continuo Domini vox de medio rubi, ne accederet; quin et praecipientis, denudatis pedibus locum sanctum maiore reverentia contingeret. Adiecit vox, se esse Deum patris Moysis,

Abrahami, Isaaci et Iacobi, qui, auditis Hebraeorum sub Aegyptiis fatiscentium clamoribus, illis relevandis in libertatemque afferendis transferendisque in terram lacte et melle manantem, in regionem nempe Chananaeorum, descenderet: totum autem opus educendi e captivitate populi, atque de libertate cum Pharaone agendi, ipsi Moysi se committere. — Moyses, qui maxima quam deceret reverentia ac humilitate Dominum loquentem auscultaverat, ut sibi cum Pharaone agendum audivit, munus detrectabat; sed Dominus opem illi suam pollicitus est, virgamqne dedit, ingentium prodigiorum instrumentum futuram. — Ita factum est ut Moyses in Aegyptum iter cum uxore et filiis susceperit.

Haec a Botticellio revocata; quo autem ingenioso artificio, ipse videas, candide lector; quem profecto non effugiet in Moysis imagine Christi effigiem, nec equidem fortuito, fuisse semper a pictore adumbratam.

LUDI PUERORUM APUD ITALOS

De folli, gummi brasiliano confecto, vulgo *foot-ball.*

Hic mos ludendi ad nos ex Anglia venit. Et primum quidem in privatis tantummodo gymnasticorum certaminibus factitatum fuisse videtur: atque haud ita multo post omnibus fuit adprobatum. Namque vix apud Italos lex lata est, qua pueri qui scholas prioris ordinis frequentant, ad ea quoque corporis exercitia tenerentur, quae ad valetudinem optime tuendam spectant, quum hoc ludorum genus omnes fere iuvenes pervasit. Tunc brevi tempore, veluti ex umbratili disciplina, e scholarum septis egressus, hic ludus omnes Italicae sobolis animos tenet atque exagitat. Placet enim ob vivacem omnium membrorum virtutem, ob varios quoque exercitiorum habitus et repentinos iocantium tumultus.

Nos, qui ad mediam fere aetatem pervenimus, quid de hoc nuperrimo ludo apud nos invecto dicemus?

Venio ad rem.

Quid sibi vult maxima illa iuvenum confusio? Quid illa perpetua clamitantium perturbatio ac propemodum amentia, quae parvo post tempore « corpora turbineo invenilia vortice mersit? » Accipe breviter abdita huiusce ludi consilia.

In primis scito totam praesentem luctantium virtutem in ipsa pedum fortitudine inniti. — Cur miraris? Cur hisce auditis te subridentem video? Audi quid sit in posterum.

Acies est omnium latissima, ut in ludis gymnicis esse solet. Hinc inde luctantes viribus pedibusque valentes stant ludere parati. Plerumque et veste liberiore utuntur annulisque contexta: pileolo caput ex more nautarum tegunt, lana fuco medicata passim confecto. Et ut nautae omnes laeti audacesque adparent, et ipsi pueri ex toto corde laetitiam victoriae sentire videntur. Tunc magnum in acie silentium, et ludorum initium cupidius omnes exspectant.

Qui ludi princeps iure constituitur, in medium progressus suis adversariisque circumdatus dat pugnae signum.

In manibus ei est follis haud ita exiguus, gummi illa compositus, quam nuperrime nobis Brasilia tellus largitur. Mirum sane quibus iam usibus ipsa, labentibus annis, serviet! Nunc mollis currit, nunc rigida stat, nunc quoque ferro auroque durior ad hominum nutum summopere se fingit atque accommodat. Quot operarii hac sapienter utuntur! Quid in posterum? Optime dicendum: « Sunt alii quos ipse via sibi repperit usus! »

Et quamvis ingens sit et vix ambabus manibus contineatur, levis tamen et volucer per liquidum vehit, quum primum pedibus percutitur.

Hic ipse follis ea est natura, ut sic perculsus facile in aërem sese tollat, et mox, quum humi ceciderit, velocior magisque agilis in altum resultet. Tunc qui sunt ad follem repellendum proximi exsultant atque clamitant, eo maxime studio ut alii aliis superiores evadant.

Duae enim sunt acies; quarum altera ad laevam partem contendit, ad dexteram altera. Heic est utraque meta, quae vulgo dicitur « porta », brevis omnino atque signaculis interclusa. Ad harum custodiam strenuissimus quisque vigilat. Per hanc enim portam certandum est enixe, ut aliquando adversariorum potentia atque astutia transeat follis, qui pedibus perculsus huc illuc mittitur. Nihil nunc auditur per aërem quam vehemens follis percussio; nihil quam luctantium pedumque motus.

Quot circum ludentium voces! Quot crepitantis follis acriter percussi rumores! Qui nunc per aërem volitat, nunc per humum humillime serpit, nunc terram radit, nunc demum liberrime veluti inter corpora vadit. Et rumor immensus per aures circumfunditur, ut saepe « piniferum caput et vento pulsatur et imbri ».

Quisnam victoriam referet? Pars illa, quae arte quinquies vel sexies ex composito extra portam rectissime follem impellere potuit; haec triumphi honorem aget.

Nec tamen ita facilem obtinet. Namque quum lis diu anceps fuerit atque ambigua, apud portam vis omnium fortior colligitur; illic sunt qui pellunt, sunt qui audaces repulsant.

Sed quum tandem ad ultimum ventum est, tunc omnes conatus illuc vertuntur, ne quis adversariorum follem possit ultra portam ad victoriam impellere. — Et vel in ludis hoc opus, hic labor est!

Si Virgilius cecinit:

..... *Troianis cum multo gloria venit Sanguine.....*

et ego, hoc novissimum verbum, parce detortum, nostris luctantibus cum *multo sudore* optime aptandum esse putabo.

Maxima enim gloria adscribitur adversarios superasse.

SUBALPINUS.

COLLOQUIA LATINA

Obsequia scholastica invicem praestita (1).

Baptista. — Quid actum est in schola postquam abieram domum?

Andreas. — Interpretatus est magister epistolas Ciceronis; deinceps dictavit argumentum scriptionis hodie vertendum.

B. — Quando autem reddendum?

A. — Perendie mane.

B. — Iamne vertisti?

A. — Nondum etiam omnino, sed bonam partem.

B. — Dicta mihi, quaeso, vernaculum.

A. — Quaere tibi alium qui dictet; nunc ego tibi non possum operam dare.

B. — Cur non?

A. — Est mihi aliud negotium, idque necessarium.

B — Nolo te urgere, sed commoda saltem mihi tua adversaria.

A. — Accipe, utere, ut libet; modo ne abutare.

B. — Ne verearis.

A. — Serione scribis, an tu nugas agis, Vincenti?

Vincentius. — Equidem scribo serio; sed quorsum id rogas?

A. — Fuit quum elegantius scriberes. En literas! Aeque scite gallus gallinaceus scalperet unguibus.

V. — Deest mihi calamus accommodus: da mihi, obsecro, stylum novum.

A. — Non sic dantur mihi.

V. — Nolo mihi dono des, sed commodato.

A. — Sunt mihi duo tantum.

V. — Unum mihi commoda per amicitiam nostram.

A. — Amicorum omnia sunt communia. — En tibi stylum novum, imo et cum longo et firmo caule.

V. — Reddam tibi statim quum scripturam descripsero.

A. — Nolo mihi reddas.

V. — Quid igitur faciam?

A. — Quidquid voles; a me enim tibi dono datur.

V. — Gratiam habeo maximam.

Marcellus. — Quaeso, Paule, ut appares mihi haematitem hanc.

Paulus. — Scalprum non habeo.

M. — Petam mutuum a Livino.

P. — Vade.

M. — Livine, da mihi mutuum tantisper scalpellum tuum.

Livinus. — Scilicet ut magister eripiat, si te utentem deprehenderit.

M. — Utar clanculum sub pallio.

L. — Habe tibi; tamen tuo periculo.

M. — Omne in me periculum transfero.

L. — Hac lege a me auferes ut si praeceptor te spoliet, persolvas pretium.

M. — Omnino hac lege. En scalpellum.

P. — Heu quam obtusum!

M. — Age, expedi, priusquam magister veniat.

P. — Utrum amas scribere cuspide rotundiuscula an acuta?

M. — Attempera ad nutum tuum.

P. — Ego acutiore uti soleo.

M. — Habeo alteram aculeata cuspide; para nunc mucrone crassiore.

P. — Incommodum alienam semper operam emendicare; addisce ipse artem parandi.

M. — Tentavi frequenter: oleum et operam perdidi.

Claudius. — Quis commodabit mihi dimidiatum chartae folium? Obsecro te, Dominice.

Dominicus. — Habeo folium unicum; sed ego ipse egeo.

C. — Tibi alterum dimidium serva; dimidium alterum sufficiet mihi.

D. — Revelle ex codice tuo compacto chartam vacuam.

C. — Non fecero; inde sensim compactio dissolvitur et liber membratim discerpitur.

D. — Sufficitne tibi hoc frustulum?

C. — Hei! non capiet sex versus; ex meis praesertim.

D. — Scribe in utraque folii facie, et duc versus densiores: quid necesse habes tam magna interstitia relinquere?

C. — Egone id facio? Vix intervallum est ullum; nam literae sese utrinque attingunt. Eh vero! quid tu non instruis? Nolim scribere ad exemplar tuum. En, ut pravos ducis versus!

D. — Scribe seorsum, et tace.

Fortunatus. — Estne tibi bonum atramentum, Henrice?

Henricus. — Cur id rogas?

F. — Ut mihi des aliquantulum de superfluo.

H. — Nunquam non tibi aliquid desit! Dic, quid est scholasticus sine calamo et atramento?

F. — Quod miles sine clypeo et gladio, fateor; sed in posterum instructus veniam. Nunc dato mihi pauxillum in praesentem usum.

H. — Sed atramentum meum ad instar limi crassum est; haeret in summa theca, nec defluit.

F. — Diluas aceto.

H. — Nunc est mihi acetum ad manum?

F. — Cedo, ibo ad antliam: instillabo guttas aliquot aquae.

H. Periculum est ne charta perfluat.

F. — Quid refert? Non scribimus aeternitati.

H. — Vah! Nimium infudisti. Vide, quaeso, quam dilutum: est aquae instar.

F. — Quale, quale, erit mihi usui; infunde.

H. — Porrige atramentarii cornu apertum.

F. — Infunde plusculum.

H. — Deprime istud gossypium calamo; alioquin redundabit atque effluet.

F. — Satis! Quaenam est haec profusio! Plus dedisti mihi, quam tibi retinueris. Ago tibi gratias; referam quum et tu egebis.

H. — Utere commodo tuo.

Gustavus. — Nemo ne arenam habet ad manum?

Richardus. — Habeo, sed perparum.

G. — Oro te, scripturam meam consperge modico

(1) Ex dialogorum libro Antonii Van Torre passim retractavit I. F.

pulvere; invertenda est pagina; confundentur literae lituris.

R. — Insere chartam bibulam.

G. — Aeque in promptu non est mihi.

R. — Pulverem abradas de pariete.

G. — Nefas est scalpendo deturpare scholae parietes. Quid cunctaris? Insperge pauxillum... Attentus es nimium ad rem nihili; arena quid vilius?

R. — Nihil profecto; verum ad litus maris, ubi eius est copia. Tamen explica librum, et excipe.

G. — Referam vices quum tibi opus fuerit. — Quid video? Iamne nunc descripsisti integrum scriptionis argumentum?

R. — Descripsi.

G. — Utinam mihi essent articuli tam celeres! Equidem perquam tarde scribo.

R. — Quid potes dictantis vocem scribendo assequi?

G. — Aegre admodum. Egomet mihi; nam prima mihi cura est ut bene scribam; proxima ut celeriter. *Sat cito si sat bene.*

R. — Belle! Sed istam cantilenam cane magistro quum dictat: *Sat cito si sat bene!*

EX ITALIS URBIBUS

De statua in honorem et memoriam Ioannis Bosco sacerdotis Augustae Taurinorum locanda.

Rem novam adhuc lectoribus nostris narramus. Abhinc aliquot dies, iuvenes nonnulli electissimi, ingenio praestantes atque virtutibus, alumni olim Ioannis Bosco eximiis dotibus praeclari, ut gratum animum erga egregium hominem testarentur, statuam aere conflatam, in hac Taurinensium civitate, quae praeclarissimorum Viri operum initium fuit et caput, ponere statuerunt.

Iam nomini excellentissimi sacerdotis est via ex Municipii auctoritate, dicata; iam Castrinovi in Astensibus, ubi immortalis suum vir ortum habuit, statua paucis ante annis posita est; sed Taurini, ubi primum adlaboravit, plurimasque aedes pueris alendis erudiendisque aperuit, insigne aliquod monumentum desideratur.

Scio equidem neminem esse vel apud Italos vel apud exteras gentes, qui ignoret quis fuerit Ioannis Bosco, quot egregia ediderit opera, quibus sanctissimis ingenii artibus mentisque enituerit. Hic enim missus a Deo, omnia sibi agenda esse putavit, quae in iuventutis commodum potissimum succederent, vel qui studiis operam navarent, vel artibus ad temporum rationes exactis incumberent, quibus sibi victum honeste quaeritare consueverunt.

Nunc vero, adventante saeculari anno, quo egregius vir in lucem editus est (1); ipsi Ei volunt statuam mirifico artificio confectam dicare in situ haud longe posito ab aedibus, quas ipse in urbe Subalpinorum capite primum condidit, et ubi suis temporibus prata adhuc erant sataque, et primitus ad iuventutem tuendam pro Christo meruit stipendia.

(1) Natus est anno MDCCCXV.

Sunt enim huiusce consilii socii et magistri et artifices; sunt litterati homines; sunt et mercatores; sunt et excellentissimi viri scholis nuper egressi, sunt et Magni Taurinensis Athenaei doctores, sunt denique Oratores populares et nobilissimi Senatores, qui animum Hominis ingeniumque sanctissimum admirantur. Hi omnes sibi huiusmodi munus ad honorem maxime reputantes, inter primos huius operis socios adnumerari optaverunt.

Quae quum ita sint, haud ab re sua esse putavi, rem laudabilem *Vocis Urbis* lectoribus proponere, iisque plurimum commendare.

Nomen atque oblationes excipiuntur Augustae Taurinorum apud electissimos viros qui dicuntur: *Comitato per il Monumento al Ven. D. Giovanni Bosco. Via Cottolengo, 32 e Via Regina Margherita, n. 176. - Torino.*

I. B. F.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione de Religiosis.

Dubia circa Tertios Ordines Saeculares.

I. — Utrum *Congregationes* Tertii Ordinis S. Francisci Ass. ab una Obedientia Primi Ordinis vel a Tertio Regulari Ordine erectae, possint, inconsultis vel invitis Superioribus qui ipsas erexerunt, ad aliam obedientiam valide transire? — *Resp.* Negative.

II. — Utrum *eaedem Congregationes* ab una Obedientia ut supra erectae et a Fratribus alterius Obedientiae in eadem Provincia vel Civitate commorantibus directae, adhuc sint sub dependentia primae Obedientiae — *erigentis* — ita ut haec possit *easdem Congregationes* visitare et ea omnia perficere quae de iure requiruntur in legitima iurisdictione? — *Resp.* Si directio Congregationis Tertiariae ab una familia Franciscali prius erectae legitime commissa fuerit Fratribus alterius Familiae, negative; secus, affirmative.

(Ex decr. d. VI mensis. Decembr. MCMXI).

Ex Congregatione Rituum.

Decretum de interpretatione rubricarum ad normam Bullae «Divino afflatu».

Evulgato novo Psalterio, novisque Tabellis Occurrentiae et Concurrentiae Festorum, non una in praxi fuit interpretatio Rubricarum, quas ad normam Bullae *Divino afflatu* Commissio Pontificia ad id instituta confecit, ut videre est in diversis Calendariis pro currenti anno 1912 noviter redactis. Ad dubia ergo in posterum praecavenda, Sacra Rituum Congregatio ad petitionem eiusdem Commissionis Pontificiae, referente infrascripto Secretario, statuit et decrevit:

I. Rubrica de Suffragio Sanctorum, quae in Ordinario Divini Officii ad Laudes et Vesperas habetur, interpretari debet iuxta Tit. VII, n. 4 novarum Rubricarum, et ad ambiguitatem tollendam, praefata Rubrica in posterum sic edatur: «Deinde, extra tempus Paschale..... et exclusis diebus, in quibus occurret quodcumque Officium Duplex aut infra Octavam, aut Dominica in qua commemoretur Duplex simplificatum, fit sequens Suffragium».

II. Duplicia I. et II. classis sua die impedita, iuxta Tit. III novarum Rubricarum n. 3, transferri debent in proximiorem diem liberam ab alio duplici I. vel. II. classis et ab Officiis huiusmodi festa excludentibus; transferri tamen non possunt in Dominicam etiam minorem, iuxta n. 2 eiusdem Tituli.

III. Duplicia I. et II. classis certis sua die impedita Dominicis vel Feriis affixa, si perpetuo impediantur, iuxta novas Rubricas Tit. IV, n. 2, reponenda sunt in feriam proxime insequentem per singulos annos liberam ab alio Duplici I. vel II. classis aut ab aliqua die Octava, vel ab officiis huiusmodi festa excludentibus, non vero, ut censent nonulli Liturgistae, in primam diem ut supra liberam, post ambitum dierum infra quos incidere possunt.

IV. Licet iuxta novam Concurrentiae Tabellam, in concursu Duplicis maioris cum alio Duplici maiori, totum fieri debet de Nobiliori cum commemoratione de alio, ideoque Festum Domini duplex maius Secundarium cedere debeat Festis eiusdem ritus B. Mariae Virginis aut Sanctorum Primariis; nihilominus, quando Festum Domini Duplex maius secundarium in Dominica die occurrens concurrit cum festo Duplici maiori primario B. Mariae vel Angelorum vel Sanctorum, Vesperae erunt de praefato Festo Domini, quia in casu Officium Festi Domini subrogatur Officio Dominicae. — Die 24 Februarii 1912 — Fr. S. Card. Martinelli, S. R. C. Praefectus. — Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., Secretarius.

Dubia varia.

I. Decurrente anno 1912, Dominicis diebus in quibus, iuxta Praescriptiones temporarias, Missa lecta celebrari potest vel de festo duplici maiori vel minori occurrente, vel de Dominica, utendumne est, in Missa de Dominica, colore a Kalendario pro Festo occurrente indicato? — *Resp.* Negative; et Missa Dominicalis sicut et Missa ferialis colorem sibi proprium iugiter servet.

II. Anno proximo 1913 Dominica in Septuagesima occurrit die 19 Ianuarii; anticipari propterea debet Dominica II post Epiphaniam. Quum autem in kalendario universali singuli dies hebdomadae impediantur Festis ritus duplicis, praeterquam dies 16 in qua occurrit Festum ritus semiduplicis, et in permultis kalendariis particularibus nulla dies libera sit a festo ritus duplicis; quaeritur an Dominica praedicta in kalendario universali anticipanda sit per integrum officium, ut antea, die 16 Ianuarii, et in kalendariis particularibus per simplicem commemorationem die 18 Ianuarii? — *Resp.* Officium Dominicae II post Epiphaniam impeditae amodo anticipetur in Sabbato aut in alia praecedenti Feria, in qua occurrit Festum ritus semiduplicis. Quod si nullum semiduplex infra hebdomadam habeatur, anticipetur in Sabbato, aut in alia praecedenti Feria, occurrente etiam Festo ritus duplicis minoris.

III. Quum ex Praescriptionibus temporariis facta sit locorum Ordinariis et Superioribus Regularium facultas expungendi a proprio kalendario Festa B. M. V. aut Sanctorum ritus duplicis maioris aut minoris Dominicis diebus assignata; quaeritur an ipsi eadem gaudeant facultate quoad festa fixa particularia a S. Sede indulta, quin necesse sit ad S. R. C. recurrere? — *Resp.* Negative et in singulis casibus ad S. Rituum Congregationem negotium deferatur.

(Ex decr. d. II mens. Martii MCMXII).

Ex Congregatione Indicis, die XXVII mens. Februarii MCMXII notum factum est, r. Venantium Gonzalez, decreto S. ipsius Congregationis dici XX Ianuarii proxime elapsi laudabiliter se subiecisse.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Martio MCMXII).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Iosepha princeps foemina Wallenstein; Columna De Paliano princeps Urbanus; Bentivoglio de Aragonia marchio; Ludovicus Pastor, rector historici Austrorum Instituti de Urbe; Doctores et alumni Urbani collegii Angelici; Wolkonski, princeps foemina; De Rabien marchio; Cramer dynasta; Vaughan chiliarchus; Hatzfeldt-Trachenberg, Comes, Germanorum Caesaris cubicularius; Maria Aloisia Isenburg-Birstein, ex Imperiali Teutonum genere princeps foemina; Heblelling doctor, catholici Lovaniensis athenaei Rector; De Rokowsky dynasta, ex intimo consilio Austrorum Imperatoris; Coetus Catholicarum Mulierum de Urbe; De Leiningen, Comes; Sacer Purpuratorum Senatus, Legati exterarum nationum apud Apostolicam Sedem, Pontificii aulici omnes omina SSmo. offerentes ob diem eius nominalem; Guilelmus Butt, militum praefectus et consularis legatus Praesidis Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis; Galeazzus Thun de Hohenstein, princeps, Militaris Melitensis Ordinis Magister Maximus eiusque Consilium; Fabius Fani, Comes, Hierosolymitani Militaris Ordinis Praefectus eiusque Consilium; Mediolanensium peregrinorum manus; Ferdinandus et Alafridus de Liechtenstein principes; Comes de Silva Ramos.

Pontificiae electiones.

— R. p. d. Salvator Talamo inter Consultores S. C. Studiorum; r. p. d. Camillus Laurenti et r. p. Gulielmus Arendt e S. I. inter Consultores C. Sancti Officii; r. p. d. Nicolaus Marini inter Consultores Pontificiae Commissionis ad Ius Canonicum in Codicem redigendum; rr. pp. Benedictus Ojetti e S. I. et Iulius Saubat e Presbyteris S. Cordis Iesu de Betharram, inter Consultores Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis adleguntur.

— Illmus. et Rmus Dnus. Carmelus Pujia, archiepiscopus S. Severinae, in coetum Episcoporum Pontificio solio adstantium adsciscitur.

— Excmus. vir Franciscus Serlupi, Equiso Maior Summi Pontificis creatur.

ANNALES

Italici regis vita nefarie petita.

Postremi fortasse prae tempore, haud vero demissiore voce, choro Italorum omnium, imo cultarum ubique gentium, nos adiungimus ad grates Deo agendas, quod vitam Emanuelis III regis Helenaeque regiae uxoris a scelesta manu impii cuiusdam, hominis ipso nomine indigni, incolumem servaverit. Quod si huiusmodi facinora abominanda ac detestabilia semper sunt, eo magis apud Italos nos hisce diebus vituperanda, quum populus, avitam gloriam repetens, una mente, uno animi sensu acerrimum gerit bellum ad humanitatem illuc re-

ducendam, ubi iam victrices aquilas, fortium virorum insignia, posuerat, ac deinde Christi religionem, tot Martyrum sanguine germinatam, tot Doctorum scientia confirmatam et auctam, cultus omnis monumentum importaverat. Fama, perobscura licet, manavit, dextram vesani iuvenis a Iuvenum Turcarum illa patriae ipsi suae perniciosissima factione, armatam turpitudinis pretio fuisse ad Italici regis necem. Animus quidem id vel cogitare horret, ipsoque dubio refugit; sciat tamen barbarus quivis sicarium perduxerit, se nihil aliud quam maximam execrationem in se, adiunctionem animorum maximam erga virum, quem nefandum huiusmodi crimen petierit, fidem denique maximam populi in fatis suis excitasse.

***

Bellum inter Italos atque Turcas.

Revera magis nunquam quam hisce proximis diebus fortunam suam cum regalis familiae fortuna Italica gens visa est sentire coniunctam; itaque in dies factum aliquod exspectare, quod felici aliqua ratione finem Lybico bello imponeret. Verum si et Turcarum impetus exceperis die III mens. Martii Dernae ad urbem per totam diem repulsos; et a Mergheb colle hostes, noctu diei VI eum recuperare conantes, distentos a nostris feliciter; et oasin duarum palmarum (ita vulgo nuncupant) die XII cum Arabum magna caede occupatam; denique Turcarum oppida Sceik Saidi ac Dubab fulmineis tormentis oppugnata, mensis inter procursationes transivit.

Et voces a ceteris Europae nationibus procurandae pacis, ipsae quoque transire videntur.....

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In Anglia ex cunicularioruin desertione occasione arrepta, lex lata, qua operariorum stipendia minima statuuntur.

In Austria de gubernii consiliis ad rem militarem tuendam fuse disceptatum.

In Gallia de comitiorum disciplina populariumque legatorum numero reformando quaestio late agitata.

In Germania rationes acceptorum et expensarum tum pro internis rebus tum pro exteris negotiis ad examen revocatae.

In Hungaria, quum Imperator assentiri noluisset pactioni a gubernio cum adversariis ineundae ad iura nonnulla recusanda circa subsidiarias Hungariae cohortes, vel in pace conscribendas, administrorum collegium, praeside Khuen, a munere abdicavit.

In Italia rationes acceptorum et expensarum, inter quas eae quae necessariae viderentur ad bellum in Turcas gerendum, approbatae.

In Russia iudiciorum reformatio agitatur.

PER ORBEM

Die I mens. Martii MCMXII Pekini in urbe seditiosorum manus ex improviso, incendiis passim excitatis, in civium domos vastationem infert, quae vix armata manu cohiberi potest. Damna inde ingentissima fiunt.

— d. II in Anglia carbonis fodinarum opifices omnes ex condicto, maiorem mercedem repetentes, a labore recedunt.

— d. IV, Tarenti, in navi, cui a Victorio Emanuele nomen, repentino fere morbo absumitur Augustus Aubry, Italicae in Mediterraneo classis praefectus, Neapoli natus an. MDCCCXLIX, vir navalis disciplinae peritissimus, quam in bello quod in Turcas geritur maxime ostendit.

— d. X Petrus Christophersen, Norvegiae consul in Bonearensi civitate, nunciat Rodoaldum Amundsen certiorem ipsum per telegraphi tramitem fecisse, se antarcticum polum revera attigisse.

— d. XI Étamps in urbe Bernard puella, vix undeviginti annos nata, experimenta agens ad aviatricis diploma obtinendum, cum velivolo suo in terram praecipitat ac tristi fato succumbit.

— d. XIII Madriti supremum obit diem Eduardus Saavedra, regalis illius academiae decus.

— d. XIV Romae scelestus quidam homo ex anarchistarum factione Italiae regis ac reginae vitam manuballistula nefarie petit. Divino quidem auxilio regales coniuges sospites evadunt, dum praetoriae cohortis tribunus, Ioannes Lang, prope ipsorum vehiculum equitans, haud levi vulnere in capite afficitur.

— d. XV Tzgebinae, ad ferriviae stationem inter Cracoviam ac Vindobonam, curruum series vapore actorum in aliam opifices mille Polonos et Ruthenos vehentem incidit, quorum septem misere infringuntur; centum et triginta vulnerantur.

— d. XVII in Britannico fretu Anglica viatoria navis *Oceania* ad Indias profecta in velificam quamdam Germanorum navem per noctem fortuito occurrit et cum classiariis pluribus nonnullisque viatoribus mergitur.

— d. XVIII Montefalco in Umbrorum oppido, octoginta et tres annos natus, cursum vitae placide absolvit Dominicus Mustafà, musicae artis, praesertim liturgicae, magister clarissimus, quondam Xystinae cantorum scholae summus moderator.

— d. XXI Sambois, in oppido Foederatarum Civitatum Americae Septentrionalis, dum cunicularii in fodinis operi intendunt, improvisum fit incendium, in quo miseri opifices fere omnes horrendam inveniunt mortem.

— d. XII immane incendium aliud Tokio ex Iaponia urbe nunciatur, unde domus ad septingentarum numerum absumuntur.

— d. XXIII Gulielmus, Germanorum Caesar, Berolino proficiscitur Vindobonam Franciscum Iosephum, Austrorum Imperatorum, visitaturus, ac deinde Venetias, ubi die XXV cum Italorum rege colloquium habet.

— d. XXIV Neapoli, Vito Fornario, Italicarum litterarum et Christianae philosophiae lumini, publicum monumentum dicatur.

— d. XXV Pisis, brevi hora fato concedit Antonius Pacinotti, physicus ille perillustris, qui ex inventa a se electrica virtute, annuli electro-magnetici nomine nunc vulgo cognita, auctor exstitit potentissimarum machinarum, quas cursus electridis continuus agit.

— d. XXVI Neo-Eboraco ex urbe notum fit in fodinis ad Bluseld, ob praerupta necopinato loca, cunicularios nonaginta calamitose sepultos esse.

— d. XXVII Constantinopoli, supremi administri ad externa tractanda negotia aedes igni delentur.

— d. XXXI Patavii gravis anni obit Aemilius Tezza linguarum scientia, Indicarum praesertim, cultor insignis, quas ipsum Iosue Carducci, poetarum nostrae aetatis in Italia facile principem, docuit.

LIBRORUM RECENSIO

Paulus Recanatesi. — *Carmina Sacra.* — (Recineti, ex typ. Raynaldi Simboli).

Auctor, qui sodalis est Philippini Oratorii, collegit in nitidum fasciculum ultra viginti carmina latina, varias per occasiones, de argumentis plerumque sacris composita. Versibus utitur hexametris et distichis, qui ex eius calamo facili fluunt vena, atque artificem produnt latini sermonis scientissimum et in tornandis eleganter versibus apprime versatum.

Vera me dixisse, cognoscet ipse lector ex hisce, quos subiicio, Recanatesii versiculis de mense Maio, B. Virgini Mariae dicato:

Garrula de pratis caelo se tollit alauda,
et silvae et colles arvaque ubique virent.
Quam bene natorum pietas tibi, Virgo, dicavit
hunc mensem, quo non carior alter adest!
Has igitur violas, nostri munuscula amoris,
aurorae lacrimis excipe lucidulas.
Nil melius meus hortus habet; sed pandet odorem
mox tibi puniceo tincta colore rosa.
Haec te iure decet: cunctis ut floribus ista,
sic tu Caelitibus pulchrior una nites.

Angelus Nardi. — *Inscriptiones.* — (Aquilae in Vestinis).

Breves, sed elegantes, auctor edidit paginas, seriem nempe concinnarum inscriptionum, ubi de venerando agitur viro Ioanne Garigliani, qui apud archiepiscopum Aquilanum munere fungitur auxiliaris Antistitis. In huius quoque stemma Nardius aliquot composuit distichos, gratia simul sensuque conspicuos.

Nam quum in eo stemmate et flumen et stellae et lilia depicta sint, haec ita venuste poeta interpretatur:

Ecce Dei flumen, currens de montibus altis,
tranquillum irriguas ad mare volvit aquas.
Auspicium felix! Nitido tria sidera caelo
fulgent: alma Fides, Spes bona, divus Amor.
Candida virtutum florent tria lilia signa;
qui sit, quae Ille velit, cernite: stemma docet.

F. X. R.

AENIGMATA

I.

Cum furiunt imbres *prior* horret et anxius haeret.
Scinditur at nubes, refracta en lumina solis;
Nunc *alter* rutilat; nunc en ridere *pr orem.*
Totus rex vixit; moriens est bestia factus:
Nomine mutato, divinos sumpsit honores.

II.

Partibus ex iunctis, ambas quas musica praebet,
Piscis fluminеas, o lector, qui incolit undas,
Et nullo spinae qui laedit acumine, constat.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet IOANNIS FRANCESIA dramaticam actionem, cui titulus:

EUPLIUS

Aenigmata an. XV, n. I proposita his respondent:

1) **Canis;** 2) **Orion, Arion**

Ea rite soluta miserunt:

Lad. Lud. Podobinski, *Neo Sandecia.* — Georg. à Beöthy, *Magnoradino.* — Ios. Wabner, *Varsavia.* — Steph. Lowinski, *Zerkow.* — Aug. Scriban, *Iassiis.* — I. M. Meunier, *Corbiniaco.* — P. C. Peltenburg, *Soetervonde.* — Ioan. Galbiati, *Mediolano.* — Lucius Rhaetus, *Bucarestino.* — Petr. Fura, *Vico.* — Alois. Cappelli, *Senis.* — Ioan. Sismondo, *Casali Montisferrati.* — Lud. Kobierzycki, *Leopoli.* — Paulus Dan, *Constantia-Tomis.* — Ant. Dalla Venezia, *Venetiis.* — Iac. Fortina, *Arona.* — Ad. Kozlowski, *Petricovia.* — F. Ortiz, *Morelia.* — Ant. Masia, *Terragona.* — Iac. Menendez, *Madrito.* — Alb. Kain; Ant. Whiteside, *Dublino.* — Fr. Salvatore, *Syracusis.* — I. Martins, *Philadelphia.* — Nic. Lagumina, *Panormo.* — F. Ricci, *Florentia.* — Nic. Bianchi, *Augusta Taurinorum.* — Georg. Archambeault, *Quebeco.* — Petrus Tergestinus - Mart. Dunne, *Neo-Eboraco.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — Raim. Silvan, *Londino* — Nic. Endrigi, *Salisburgo.* — Rich. Muller, *Berolino.* — Rich. Brondel, *Brugis.* — R. Richi, *Traianopoli.* — F. X. M., *Drepano.* — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio.* — F. Arnori, *Mediolano.* — Clem. Fiard, *Curia Rhetorum.* — Vinc. Starace, *Neapoli.* — Arm. Duval, *Massilia.* — Diom. Falva, *Constantia.* — Christ. Del Fierro, *Mexico.*

Sortitus est praemium:

RAIMUNDUS SILVAN,

ad quem missum est opus, cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHI
DE ORATORIBUS ROMANIS
ACROASIS

Sponsor: Ioannes Baptista Ciampi, iurisperitus

Romae — Ex officina *Societatis Editricis Romanae.*

ANTHEA (2

(Ex fabula H. SIENKIEWICZ Poloni: *Eamus ad Ipsum*).

— In nostro quidem populo deorum cultus religionumque sanctitates exsistunt in dies maiores; neque enim iis repudiantur, quorum ex Aegypto atque Asia ingens fluit quotidie multitudo. Verum infinita illa ratio superstitionis nemini probatur, nisi forte olitoribus urbem petentibus, quos novi solos infelicitatis expertes. Iam vide, utrum vivere an mori sit optabilius.

— Eccui exploratum est, exutis corporibus, quae fata nos maneant?

— Plane mihi videris non aliter sentire ab iis philosophis, qui de omnibus dubitantes quasi noctem quandam rebus offundunt.

— Ita quidem. Verum illi in tenebris tranquille versantur; ego ipsorum causa discrucior.

— Unde salus obventura sit num prospicis?

Paulum reticuit senex; deinde aliquantulum excitatus:

— Salutem — inquit — exspecto.

— Unde?

— Nescio, — ille respondit, facie in manus reclinata. Mox veluti victus altitudine nocturni silentii, suppressa voce: — Saepe — inquit — mecum ipse cogito si mundus haud maiora contineret, quam quae scimus; aut si hominibus non liceret fieri praestantioribus quam qui sunt, hanc in nos aegritudinem cadere non posse. Quare in ipsa causa morbi spem esse sanationis existimo. Olympo quidem ac philosophiae hactenus adiuncta fides omnis evanuit; salus tamen ex latentis adhuc veri alicuius manifestatione obvenire potest.

His verbis Cinna praeter consuetudinem sensit exulceratam mentem recreari, auditoque universi gemitu orbis, sibi visus est onus Aetna gravius suis impositum humeris deponere, in humeros plurimorum dispertiendum.

Interea utriusque viri familiaritas ita crevit, ut se mutuo adirent, nec modo studiorum, sed mensae quoque communitate uterentur. Haud ita multo post Cinnae gratius effectum est idem domicilium propter hospitis filiam, Antheam. Quae tam egregium nomen Alexandriae fuerat consequuta, ut non solum matronas Romanas, sed Graecos viros, Serapei philosophos, populum denique omnem ad sui spectaculum evocaret. Nullo detenta gynaeceo, sed domestica disciplina exculta, ubi primum excessit ex pueris, se totam legendis libris graecis, latinis, aegyptiis, cum patre suo applicuit, cuius a latere nunquam discedens et disputationes cum ipso crebras habebat, et gravissimas interdum quaestiones enodabat. Ad haec arcanam quandam praeseferebat speciem quasi sanctitatis, quod ei futura saepe paterent in somnis, multaque non oculis subiecta mortalibus adspicienda exhiberentur.

His de causis eam pater ferebat in oculis, eoque magis quod non omnis aberat metus ne ipsa haud satis diu vitam produceret. Affirmabat enim se nocturnis visis terreri; saepe etiam divinae cuiusdam formae intueri splendorem, neque scire vitamne sibi an mortem lux illa portenderet.

Ab Aegyptiis, qui domum Timonis frequentes adibant, erat appellari solita *flos loti,* forte quod is frutex divinus haberetur ad Nili fluminis ripas: certe illum Homerus inter herbas deorum voluptati subnascentes primum nominat: vel quod qui semel adspexisset Antheam, illi mundanae res omnes perpetua essent oblivione delendae. Nec sane minus forma quam sapientia praestabat, oculis Nili colorem referentibus, obtutu, instar illius gurgitis, arcano atque profundo.

Hanc ubi primum vidit audivitque Cinna, vehementer est admiratus; inde domum regressus desiderio quodam affectus est arae in atrio excitandae, in qua albas ei columbas immolaret; adeo sibi videbatur divinum aliquid invenisse. Brevi eam deperire coepit; nec in virginis pectus tardum habuit ingressum amor.

— O fortunatum Cinnam! — ita saepe consalutarunt amici.

Easdem ille sibi reddidit voces statim ut ab Anthea nuptialis formula est recitata: *ubi tu Caius, ego Caia.*

Anno vix expleto a confectis felicissime nuptiis, Anthea coepit adversa conflictari valetudine excitarique somniis per quietem terrificis. Sub meridiem vero sibi videbatur sentire tacitos prope se gressus; mox existimabat venire ad se mortui hominis pallidum os ipsam intuentis et quasi invitantis. Quibus visis, simul atque imminebant, vehementer exterrita, super viri pectus corruens:

— Succurre, — clamabat — succurre, Cai.

Frustra undique arcessiti consultique sapientes: frustra medici apprime nobiles conati sunt aegrae adhibere curationem, donec, aucta in dies vi morbi, ea sequuta est infirmitas corporis atque gracilitas, ut cogeretur lectica deferri.

Intermissam Cinna moestitiam penitus revocavit indoluitque vehementius, quod capiti timeret rerum omnium sibi carissimo. Ne quid autem intentatum relinqueret, eam primum ad vicinitates Memphis secum duxit, ad umbram pyramidum, ubi quum nihil melius convalesceret, Alexandriam remigrarunt. Heic vero, omni iam spe destitutus, hariolos, sagas, genus omne balatrones aegrae lateri adiecit.

Inter haec iudaeus quidam advenit, inclyta fama medicus, nomine Ioseph, qui statim a Cinna advocatus, ubi Antheam inspexit, vesano daemonum urgeri spiritu ratus causatusque etiam periculum ex infesto aëre propter Deltae paludes, mulieris Hierosolymam abducendae auctor viro fuit. Idque eo magis Cinnae probatum est, quod in celeberrima illa urbe, Iudaeae procurator esset Pontius Pilatus, secum amicitia coniunctus.

(Ad proximum numerum).

Ann. XV. ROMAE, Mense Maio MCMXII Num. V.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

"VOX URBIS,, IOANNI PASCOLI

Quae laurea ab academia regia Nederlandica ex legato Hoeufftiano quotannis attributa, frontem Ioannis Pascoli, inter Latinos poetas nostrae aetatis praestantissimi, decima tertia vice redimire debebat, hominem d. VI mens. Aprilis mortuum heu! invenit, at comprehensionem illius mysterii tandem assequutum, ad quam per vitam omnem, sincero animo ac prope dicam puerili, intendit, nec tamen in terris percipere se potuisse apparuit.



Natus in oppido S. Mauri ad Ravennam d. XXXI mens. Decembris MDCCCLV, decimum et secundum aetatis annum agebat, quum pater eius Rogerius, Torloniae, Urbani principis, procurator, noctu, proditoria manu ad castrum Savignani occisus est, liberos sex in paupertate viduatae uxori relinquens, quae paucos post menses et ipsa prae dolore obiit. Hinc perpetua Ioannis moestitia et quasi exanimatio, quam soror una, Maria nomine, pia ac suavis foemina, vix permulcere valebat; hinc eius dubia atque haesitationes; hinc vero vis etiam et flamen illud poeticum circa ipsam mortem atque naturae vel simplicissimas res exprimendas, quae auctorem tantae eiusque tam singularis excellentiae illum fecerunt, qualem fortasse nemo, inter recentiores praesertim, habuit unquam.

Sed de viro eiusque operibus peculiariter suo tempore ac fuse dicemus; hodie defunctum adhuc loquentem in suo *Paedagogio* audire satis sit, eiusque Manibus, requiem sempiternam adprecantes, flores devovere, quos viri duo clarissimi, in Batavico certamine saepius eius laudum aemuli, Petrus Rosati et Franciscus Xaverius Reuss, nobis ultro detulerunt.

VOX URBIS.

IOANNES PASCOLI

Apud Hollandos Henricus Hoeufft, latinae linguae cultor amantissimus, annis abhinc LXX, ad latinitatis studium provehendum, certamen poeticum instituit, ad quod qui praestantius carmen quotannis undique gentium misisset aureo nummo quadringentorum florenorum ornaretur. Cuius rei nuncium ubi fama vulgavit poetae non pauci, Itali praesertim, in certamen descenderunt, quorum quidam praemium carptim tulerunt; qui vero paene continenter singulis annis per aliquod tempus aureum nummum meruerunt duo tantum insignes viri numerantur *Petrus Esseiva Friburgensis* et *Ioannes Pascoli* noster. Hic, ut in Italicis Poematiis Vergilium et Catullum praecipue fuerat secutus, quibus Italorum animos sibi valde devinxerat, cum ad latine scribendum se contulit, Horatii stilum strenue imitatus, ex quo etiam plura argumenta deprompsit, statim Iudicum Batavicorum admirationem ad se convertit, quae semper incredibilem in modum aucta est, eorumque mentes carminum pondere, elegantia ac splendore ita perculit ut ei per annos tredecim aureum nummum deferre non dubitaverint.

Magna vis aemulationis. *Ioannes Pascoli* exemplo perciti latini poetae maiore contentione ad carmina scribenda incubuere tanto successu, ut Humanistarum saeculi XVI tempora rediisse, imo superata fuisse viderentur. Extremis vero hisce temporibus, is cursus atque ea progressio ad latinam poesim facta est, ut in certamine Hoeufftiano quotannis non unus sed plures praemio digni haberentur, et Iudices haererent cuinam illud adiudicarent. Semper vero prae ceteris eminuit *Ioannes Pascoli*, cui omnes cedere debuerunt.

Eius Carminum quae in certamine poetico aureo praemio snnt donata tituli hi sunt:

Veianius MDCCCXCII — *Phidyle* MDCCCXCIV — *Myrmedon* MDCCCXCV — *Coena in Candiano Nervae* MDCCCXCVI — *Reditus Augusti* MDCCCXCVII — *Sosii fratres Bibliopolae* MDCCCC — *Centurio* MCMII — *Paedagogium* MCMIV — *Fanum Apollinis* MCMV — *Rufius Crispinus* MCMVI — *Pomponia Graecina* MCMX — *Fanum Vacunae* MCMXI — *Thallusa* MCMXII.

Quod extremum carmen ita Iudicibus placuit, ut illud appellare non dubitaverint summi cantoris opus eximium quo vix cogitari quidquam possit praestantius.

Tam splendidum iudicium, verissimumque praeconium *Ioannes Pascoli* audire non potuit, qui magno cum detrimento latinae poeseos, moerentibus Italis externisque, postridie nonas Aprilis huius anni MCMXII, annos natus LVI Bononiae decesserat.

PETRUS ROSATI.

IN MEMORIAM IOANNIS PASCOLI

Qui haec scribo, defletum Ioannem Pascoli nunquam vidi coram, etsi in votis erat insignem hunc vatem, Latinae non minus quam Italicae poetices ornamentum, praesentem aliquando videre. Perlegi tamen, idque non semel, quotquot ex eius carminibus latinis comparare mihi licuit: quae quidem eo magis admirabar, quo saepius relegerem. Primo enim conspectu (quod etiam ab aliis audivi, iisque latini sermonis scientissimis) nonnulla apparebant, satis difficilia intellectu. Cuius rei causa erat, aut ego fallor, immensa auctoris eruditio, quae uno saepe verbo ad facta alludebat, in latinis sive historicis sive poetis memorata; quae si quis praesenti memoria non teneret, sensum aut vim certe dictorum vix percipiebat. Iterata vero lectio, umbras hîc illic offusas disiiciens, summam plenamque legenti parabat voluptatem.

Etsi tamen Ioannem nostrum nunquam allocutus sum coram, semel eum scripto adivi, atque ipse benigne mihi rescripsit.

Quae res ita se habuit. In certamine Hoeufftiano anni MCMII, Ioannes Pascoli aureo numismate donatum vidit suum « Centurionem, » et ego meum « Rus Albanum » habui magna laude ornatum. Tum ego, gratulans victori, meam opellam ad eum misi, addita prece, ut mihi vicissim suum remitteret carmen. Quam precem, si recte memini, stropha sapphica expressi. Ioannes autem summa benevolentia votis meis annuit, misso volumine, in cuius fronte, die XIX mens. Maii eiusdem anni, ex urbe Messana scribens, hoc exaravit distichon, quo significabat, rus meum Albanum non indignum sibi videri, quod legendo inviseret:

Te, Rus Albanum, cupiebam visere. Vidi
et cupio Reusso visere vate magis.

FRANCISCUS XAV. REUSS.

PAEDAGOGIUM

Carmen IOANNIS PASCOLI in certamine poetico Hoeufftiano an. MCMIV aureo numismate ornatum.

Forte Palatinae pueris ludentibus aedes
fervebant. Princeps aberat Pius urbe Severus
cum tandem muro Pictos arceret et armis.
Multus at ipsius procul in penetralibus aulae
obses alebatur deductosque undique Romam
libera servabat teneros custodia reges.
Litterulas ibi discebant ferulamque piumque
Vergilium, et nitidae nudabant membra palaestrae:
et nucibus locus et discis, et tempus erat, cum
iret in occiduos radio trochus incitus orbes.
Obliti patriae, nebulis seu fumida late
sive oriente ferax illis sub sole iacebat,
ludebant pueri: follem mittebat Hiberus,
excipiebat Arabs, nucibus quae struxerat Afer,
collabebantur iactu castella Britanni.
Hinc iocus et parvae magno cum murmure rixae.
Ut cum deiectus subitis de nubibus imber
diversas oppressit aves et adegit in unum:
omnigenae coeunt in densum frondibus hortum
aut nemus impluvii, et tacitae, dum detonet, una
sub foliis latitant, ubi nescit passer alaudam
iuxta tendentem necnon acalanthida parus:
vix autem coepit per destillantia circum
omnia ramorum splendescere versicolor sol,
altera iam plaudit, iam pipilat altera, mussant,
pileolum de fronde rubens haec exserit, atrum
illa galericulum, dein ludunt, en micat alis
omne nemus variisque sonant concentibus aedes.
— Heus tu (crine nigrum rutilus puer ipse capillo
increpitat puerum) Syre vel Chaldaee vel — Est mi
nomen Alexameno — Curto succede trigòni
tertius — Hos immo versus ediscere malim
TU REGERE IMPERIO, qui mox proferre iubebor. —
Constitit in verbo cum iam secretus abiret
multiplici rapta membrana — Linque libellum
hunc sordescentem tineis atque excipe nostram
rite pilam — Tiro, Karei, prorsus in isto
sum lusu — LUSUS, sapiens ait ille, MAGISTER
OPTIMUS — USUS id est, teneo si verba monentis. —
Ambo riserunt: hic lenius, omnia quippe
discolor et faciem vocemque et membra sodali,
exilis glaucaque genas suffusus oliva.
Qui tunc arridens: — Alias colludere certem:
nunc sine: nam crebro stomachatur grammaticus, quod
in latiis verbis tamquam peregrinus oberrem.
— Nonne loqui graece, velut est qui cretus Athenis,
me iubet Oceani maris ipso in litore natum?
At lavet Aethiopes putidus sine graeculus. Adsis.
— Ignosces mihi tu: cupio voluisse videri.
— Quid? Nonne in graecis peccamus vocibus ipsi
saepius ac iam tu, puer ambitiose, latinis?
— Non ita, pace tua: quin me sic corripit, ut iam
me pigeat dare verba seni — Palparis asello,
ne feriat — Non sic, qui possit iure, vocat nos
praeceptor — Tortor potius sine fraude vocandus.
— Quin pius est — Si te mala crux iuvat, utere porro.
— Quid loqueris? — Sunt quos et crux delectat — Ain tu?
— Restat ut et turpem pecudem venereris, ut isti
fossores, panem qui mixtum sanguine rodunt.
Nam quid secedis? quid muttis usque? quid arces
et fugis aequales? utne, hoc sed credere nolo
ridiculo cuidam, dicas sua carmina Christo? —
Inde pilam versans dextra laevaque — Quid? — inquit:
ludis? Alexamenos nihil his respondet, at oris
iam velox aquilum lambebat flamma colorem:
iamque hiat et resilit. Madefiunt lumina fletu:
obvertit faciem. Tum quam Kareius habebat
in manibus, libravit agens multaque pilam vi
impegit puero: subitoque exarsit in iram
laesus Alexamenos: qui Gallum mole valentem
assultu petit, e viridi velut exsilit ulva
Euphratis patrii subtili corpore pardus.
Inceptam saeva sed pugnam voce diremit
obvius et ferula custos, Gallumque rebellem
arripuit, sanctum puerum qui laeserat ultro,
atque in contiguum foribus conclave reclusis
impulit increpitans obluctantemque coegit.
Hic pugnoque fores terramque diu pede tundit,
et lacerare genas et rufum scindere crinem
pergit, et absenti dirus modo multa minatur
vociferans, modo submissim suspirat inultus,
alteriusque odio se rursum plectit et odit:
donec inexpleto singultu pectora ducens
in graphio tacitus, quod ibi pede presserat, haeret.
En graphium rapit, en paries inscribitur asper.
Crux oritur duplici de muri vulnere: corpus
humanum cubitis suffigitur in cruce late
explicitis, transversa pedes at linea fulcit.
Tum fixi est hominis cervix asinina caputque
auritum. Iam non scribentis lumina turgent.
Dein facit adstantem pecudique in stipite fixae
oscula praebentem puerum seu thura sinistra.
Iam non singultit Kareius. — Quis neget — inquit,
hunc ipsum puerum purum putumque videri?
Sed ne quis dubitet, iuvat ipsum scalpere nomen.
Utar, ut in graeco, graecis verbisque notisque.
Non, licet exciderit, mendum venabitur auceps
hic unum quodvis. — Tunc tristi nube solutus
scribit ΑΛΕΞΑΜΕΝΟϹ ϹΕΒΕΤΕ ΘΕΟΝ, et sibi plaudit.
At vergente die, cum longius omne sonaret

murmur, et ipse magis solum sentiret in umbris
se puer, en abeunt quae riserat omnia quaeque
fleverat, ira cadit, linquunt mala gaudia mentem.
Quidquid erat nuper, nihil est: effluxit: at adsunt
quae procul atque olim, nec iam reditura, fuerunt.
It iussus cubitum. Notos torus excipit artus.
Emicat extremum lychnus. Vix ordine vidit
incertos circum tenebris et nocte grabatos.
Obruerat pridem consortia corpora somnus,
et levis implebat puerorum spiritus aulam.
Ipsi nulla quies, et menti multa recurrunt.
O pater! o genetrix! o nigra consita quercu
tellus et sparsum cani maris aequor alutis!
Omne ibi permissum, nisi quod pater ipse vetaret:
verbera quae, mater, nolles avertere, nulla.
Quos ubi nunc putet esse? quid omnia vivere passos?
aut quibus in latebris aut qua tellure sepultos?
Nil praeter maerere datur, modo corde tenus: nil
tam multos prodest socios habuisse doloris.
Dum vigil haec secum meditatur, forte sodalem
sensit adhuc alium prope se vigilare, moveri.
Auscultat. Lecto sensim delabitur ille,
tangit humum genibus, tenebris si credere par est.
Noscit Alexamenon Kareius. — Quid dolet? inquit,
quemve deum videt in tenebris? quid poscit et orat?
— O PATER, ille infit tenui proferre susurro,
QUI CAELOS HABITAS. — Nox cetera sorbet, et aurem
confuso feriunt intentam murmure verba.
Tandem Kareius suppressa voce: — Mihi tu
ignoscas, precor. — Attonitus respondet: — Et ipse,
Karei, vigilas? — Frustra dormire laboro.
— Hoc, ignosce, mea tibi culpa contigit — Immo
ultro ego te laesi — Debebam ferre sodalem
atque aliquam misero veniam dare. Num dabit alter,
si mihi tu, frater, tibi si miser ipse negaro?
Cura tibi sensus ipsis in lusibus angit
tristior — En unquam patriam dulcemque revisam
matrem? Nam carum despero posse parentem.
Ex quo sum miser heu nimis et nimis improbus idem.
Haec fatus lacrimas fundit Kareius, et umbram
praetentat, dextram dextrae iuncturus amicam.
Surgit Alexamenos maestoque dat oscula maestus,
et gaudent lacrimis socioque dolore fruuntur.
Circumstat nox alta silens tenebraeque soporae.
Interdum sonat in somnis hinc fletus et illinc
alterius balbis subito querimonia verbis.
Kareius — Cur, inquit, ego te saepius ira
excrucior? — Frater, quia sum minus ipse miser te:
inquit Alexamenos — Quid? tu non exul item? non
orbus item patre, matre pia? non solus et exspes?
Aut tibi compertum est aliqui superesse parentes?
— Compertum nihil est — Ergo? — Sed mater eunti
constituit mihi fida locum quo visere rursus
complectique iterum decreto tempore possem.
— Quemne locum? — Caelum — Quis erit tibi dux? —
Deus — Illen
a quo poscebas aliquid modo, nec mihi prorsus
nec tibi conspectus? — Videt ambos ille — Putemne
Theutaten quandoque ducem per opaca viarum
affore? — Quin Deus hoc Deus uno nomine nobis,
— Morte quidem potior? — Iam desiit esse sui mors:
servit, et ipsa domum nos quandocumque reducet.
— Cur haec ore diu pressisti magna, sodalis?
— Extremum complexa tenens in litore mater
abiurare nihil, nihil ultro prodere iussit.
— Nescioquae misero solatia maesta dedisti.
Nunc sommum capiam. Nemo mihi carior est te.
Obdormi — Frater, tranquilla in pace quiescas. —
Coepit uterque puer placide dormire: diuque
conticuere: levi cum Gallus voce: — Quid, inquit,
saepe vocas fratrem? — Deus est pater omnibus unus.
— Qui caelos habitat Deus? — Et quo rege resurgas
et vivas demum — Et liceat mihi visere matrem. —
Praetor Alexamenon, pueris adstantibus, ad se
mane vocat — Sapiens, inquit, frugique videris
esse puer, quamquam scimus rumore vago te
iampridem laedi. Rumor percrebruit: ipse
nunc paries loquitur. Te rodunt, optime, Christo
addictum, pecudique pium dare thura — Quid, inquit,
cum pecude est commune pio? - Neque cum cruce, opinor.
Crux linquenda malis latronibus et fugitivis
illa. Crucem corvi venerentur iure. Tacesne?
Sed ne plura, puer, domino nostroque tuoque
cognomen scis esse Pio nomenque Severo.
Iam Christo maledic — Benedico — Pessime, legem
nosti — Lex Christus, dominus Deus est mihi — Castis
a pueris discede. Veni. Mihi salvus erit grex.
Decedas cum peste tua dum pestifer unus.
— Falleris: ecce alium: — exclamat Kareius, et offert
se fratri, iunctaque manu comitatur euntem.

EX BATAVIA

De certamine poetico Hoeufftiano an. MCMXII.

Accepimus, et libenter edimus:

A. d. V. Idus Martias in conventu Ordinis Litterarii Regiae Academiae disciplinarum Nederlandicae a iudicibus ita est relatum de XXXII carminibus, quae ad tempus iis fuerant tradita.

Statim abiecimus, ut prorsus hoc certamine indigna, carmina inscripta: *Pestis in Mantsjouryia* et *Tria Carmina;* neque multo diutius nos tenuerunt ea quorum tituli: *Paraenetica oratio ad puerum; Menippus; Ad Torrem Aquinatem;* Εὐφρόνη.

Parum placuerunt octo carmina, in quibus tamen aut virtutes aliquas, aut certe laudabilem voluntatem apparere minime negamus. Haec inscripta sic erant: *In Romam sollemnia libertatis agentem; In gentis Italicae Floram; Post Romam Italiae in libertatem vindicatae restitutam; Sibylla Cumana; Agrippina Neroni; Christus dominus ad coenam ultimam; Roma; Ludi populares.*

Magis probabantur octo alia, quae non esse in lucem edenda post aliquam demum decrevimus deliberationem. Horum tituli hi erant: *Sensus ratioque; Fa-*

bulae; Ad Crucem Rubram; Andromache; Almae Matri; Urbi Italiae Capiti; Barbara; Pacis sequestra et *Templum Mariale* (duo haec ultima eadem fuerant munita scidula).

Restant decem optima, quae lubenter pubblici iuris facimus, lectu iucundissima, vera verorum poetarum atque artificum opera. Eorum titulos sic enumeramus, ut quo quodque est praestantius eo posterius nominetur: *Ad Rhenum fluvium; Tupac Amaru; Strages infantium Bethlehemitarum; Plotinus; Villa Syronis; Eunus; Lydia; Venator*, denique *Solatiolum,* carmen suavissimum, tersissimum, lepidissimum, cui haud dubie obtigisset praemium, nisi cum eo in certamen descendisset *Thallusa*, summi cantoris opus eximium, quo vix cogitari quidquam possit praestantius. Hoc quin aureo esset ornandum praemio non dubitavimus; atque aperta scidula prodiit nomen illud nobis notissimum atque ubique terrarum clarissimum *Ioannis Pascoli Bononiensis.*

Novem illa, quae proxime ante *Thallusam* enumeravimus, sumptibus legati Hoeufftiani in lucem emittentur, si eorum poetae nobis *ante kalendas Iunias* scidularum aperiendarum dederint veniam. Hanc iam dederunt Franciscus Xaverius Reuss Alsatinus, qui *Stragem infantium Bethlehemitarum* cecinit; Antonius Faverzani Meratensis, *Lydiae* poeta; denique Petrus Helbertus Damsté, professor Traiectinus, cui lepidissimum illud debemus *Solatiolum.*

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina latina non ex alio sermone versa nec prius edita argumentive privati nec quinquaginta versibus breviora nitide et ignota iudicibus manu scripta, sumptu suo ante Kal. Ian. anni proximi mittant ad *Hermannum Thomam Karsten,* ordinis litterarii Academiae Ab-actis, munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poetae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poetae in transcribendo portabile prelum Britannicum (*typewriter*) adhibebunt.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur eique subiungentur alia laude ornata, quando scidulae aperiendae venia dabitur. Hoc *ante kalendas Iunias* fieri debebit.

Exitus certaminis in conventu Ordinis mense Martio pronuntiabitur, quo facto scidulae carmininibus non probatis additae Vulcano tradentur.

Amstelodami, Kal. April. MCMXII

P. D. Chantepie de la Saussaye
Ordinis Praeses.

Longum est ac difficile iter ad virtutem per praecepta; breve et efficax per exempla; magnosque viros non tam schola, quam Socratis contubernium genuit.

Seneca.

DISPUTATIONES PHILOSOPHICAE

MODERNISTAM INTER ET THOMISTAM (1)

De cognitione necessaria ad actum voluntatis.

Modernista. — Tu igitur contendis amorem beatitudinis seu boni, seu iterum perfectionis in communi, esse intrinsece a natura, seu naturalem atque necessarium. Inde tamen dubium nonnullum mihi suboritur, quanam nempe ratione amor ille possit esse merito dignum, quum nihil naturale videatur esse liberum, neque proinde meritorium.

Thomista. — Attamen, amice carissime, advertas, rogo, difficultatem tuam exinde oriri quod supponas ex illa naturali necessitate perimi quamcumque libertatem, quum tamen sub illa remaneat integra libertas obiectiva, ex qua salvatur omnino meriti ratio. Actus scilicet nostri non sunt liberi proindeque meritorii quatenus sunt ex amore boni in communi, sed sunt meritorii, vel secus, quatenus sunt ex amore boni in particulari, seu felicitatis repositae in aliquo bono particulari, vero aut apparenti. Ita perspicue Angelicus: « In appetitu beatitudinis semper cum eo quod est naturale coniungitur quod non est naturale, et sic potest ibi cadere ratio meriti vel demeriti » ; quia nempe « quamvis nullus possit vitare quin beatitudinem aliquo modo appetat, potest tamen vitare quod non appetat eam hoc modo quo est appetenda, et sic potest mereri vel demereri ». (2) Quod etiam patet ex familiari modo loquendi. Si enim ab aliquo quaeras curnam istud faciat, respondere primo debet: Istud facio quia facere placet; nullus enim agit humano modo nisi quia agere, etiam displicentia, placet. Et quia huiusmodi responsio necessario vel detur vel supponatur, exinde non habetur ratio meriti aut demeriti. Si autem ulterius quaeras curnam ipsi istud facere placeat, tum incipit ratio utriusque, prout nempe amor ille boni in communi, hoc vel illud, ordini consentaneum vel dissonum, quo medium ad illam beatitudinem attingendam eligit. Vel si nonnullum ratiocinium syllogistice sic instituas: Ego volo beatitudinem: atqui beatitudo consistit in hoc bono particulari (verbigratia divitiis, vel paupertate); ergo istud volo. Nulla ratio meriti aut demeriti in propositione maiori includitur; sed reipsa in propositione minori, quatenus istud bonum particulare reipsa conforme est vel difforme amori beatitudinis in communi.

M. — At vero, et quidem e regione, ut obiter notem, nonne concedi potest et in maiori illa propositione nonnihil meriti aut demeriti includi, siquidem amor boni seu beatitudinis supponit etiam quid liberum atque inde meritorium aut demeritorium, eo quod supponit bonum illud amandum cum iudicio obiective indifferenti?

(1) Cfr. sup. num. III.
(2) IV *Sent.* dist. 49. q. 2. a. 3. 1m et 2m.

T. — Sed tamen, repono, contradictionem in terminis implicat quod bonum essentialiter et ratione sui amabile, qualis est beatitudo in communi, sit insimul et ratio se amandi et ratio se non amandi. Unde cognitio directa, qua proponitur bonum in communi ut amandum, est determinata prorsus ab ipsamet natura, ut proponens bonum essentialiter amabile, eamdemque sequitur amor intrinsece necessarius, licet supposito prius amoris actu in eumdem finem, possit, sicut et alii actus naturales aliquatenus, cadere sub usu libertatis, ut antea dictum est.

Atque inde habes in homine dari naturalem necessariumque amorem boni in communi: ex quo amore proceditur ad amanda bona particularia, seu hoc vel illud bonum particulare, verum vel apparens, prout revera vel falso connexum cum vera beatitudine. Immo habes hominem non posse ad bona particularia sese determinare, nisi ex illo amore boni in communi, non quidem speculative modo, sed etiam practice. Voluntas humana, inquam, non se applicat libere et determinat ad amorem boni in communi, sed applicatur et determinatur propria natura, proprio instinctu, ex iudicio naturali, qualia Deus indidit, et indit, et conservat: sed ex hoc tamen amore procedit voluntas ad bona particularia amanda, et quidem libere sese applicat et determinat, quatenus in istis nonnihil partim relucet boni in communi. Indeque dicitur imprimis homo a divina providentia ad opus applicari, quia non agit nisi imprimis ex illo iudicio a Deo etiam practice determinato, unde procedit, et quidem non determinate sed libere, ad iudicia particularia de particularibus bonis, quod infra sumus explanaturi fusius. Id sibi sane vult Divus Thomas, ubi haec et similia pronuntiat, nempe quod « operatio causae secundae semper fundatur super operationem causae primae et praesupponit eam, » ut causam scilicet coniunctam, et ideo oportet quod « omnis operatio animae procedat ex suppositione eius quod inditum est animae ex operatione primi agentis, scilicet Dei ». Et infra: « Unde ex impressione primae causae Dei insit, quod bonum (homo) velit, et perfectum bonum tamquam finem ultimum appetat; impossibile est quod contrarium eius in oppositum illius cadat ». (1) Illa igitur impressio primae causae quae facit ut intellectus humanus iudicio necessario, voluntasque determinatione naturali bono in communi adhaereant invincibiliter, non male aliquando praemotio dicta est, siquidem Deus reapse praemovet animam humanam ad hanc adhaesionem, etsi haec prima praemotio non inferat libertatem in creatura rationali, dum ceterum alia datur quae libertatem inferat, ut mox infra dicturi sumus.

M. — Quae mihi clara et perspicua videntur, hoc solum excepto quod non apparet quales Deo partes tribuendae sint in ipsamet boni contingentis electione humana.

T. — Ista nobis, Deo favente, ex dicendis patebunt.

(1) IV *Sent.* dist. 49. q. 1. a. 3.

Id solum hic interim notatum volo, quantum scilicet admiranda appareat providentia divina circa humanas actiones. Deus scilicet voluntati naturam ad bonum seu perfectionem indidit, imo hic et nunc facit, siquidem conservatio nihil nisi creatio continuata definitur, eamdemque ad bonum praesens mobilem perpetuat, eodem prorsus modo quo creaturas universim ad propriam perfectionem per naturam movet. Voluntas vero perfectioni propriae per amorem indeclinabiliter adhaerens, mediis ad eamdem acquirendam indigens, inde iam ad substantiam exercitii electionis determinatur, ad eligenda nempe exercite media, licet non determinetur ad eligendum hoc vel aliud medium in individuo, et seipsam e contra ex consilio libero determinet, sive de agendo reipsa vel non agendo, decernens inter contradictoria, sive de hoc vel alio agendo, decernens nempe inter contraria.

Ex quo sequitur cum amore finis, seu electione, quatenus respicit finem, actum ipsum electionis inseparabiliter connecti ad eumdem finem, ita ut ad praesentiam iudicii bonum in communi et absolute respicientis, voluntas ad illud naturaliter feratur et tendat, nisi impedita aliunde sit.

Hinc rursus patet qua ratione primo actus creaturae rationalis, non secus atque actus omnium creaturarum non sint partim a Deo, partim a creatura rationali, sed totum quid a Deo, et totum quid a creatura, neque causalitas divina et causalitas humana tanquam parallelae habendae sunt, sed tanquam subalternatae.

M. — Quae mihi patere videntur de electione boni in communi, deque tendentia a Deo ingenita ad illud. Remanet tamen intricatior forsan quaestio enucleanda de electione bonorum in particulari; quam, ante multum tempus, pro tua benevolentia, enucleari a te peto.

T. — Ita prorsus, carissime. Te interim valere iubeo ex intimis.

I. I. B.

QUAESTIONES PHILOLOGICAE

Quanam lingua scriptum *Mane Tekel Phares?*

Hac inscriptione notatam quaestionem solvere conatus est defunctus iam L. W. Szczerbowicz, homo noster, anno MDCCCXCIX in num. VIII *Vocis Urbis.*

Hoc argumento nisus, quod inter multos viros doctos et eruditos, qui ultimi convivii Baltazaris regis participes erant, nullus minacem illam, in pariete manu secreta scriptam, inscriptionem *Mane Tekel Phares* intellegere potuit, quoad Daniel, vates iuvenis, sensum explicuit, Szczerbowicz hanc suppositionem suam demonstrare studuit, verba illa ex lingua Romanorum decerpta, ideoque, ut verba populi, tam procul a Babylone habitantis, sapientibus orientis incognita fuisse.

Quam suppositionem ut firmaret probaretque, verba illa mutabat in latina *Mane te cellet Phares*, ubi *Phares*, ut docebat, *Persam* significat, *cellet* autem pro composito *percellet* positum est.

Huiusmodi explicationem eius repetiverunt nonnulli commentarii publici nostri Poloni et ephemerides, nulla censura aut consideratione addita. Tum iam rem et ego sum aggressus, et in commentario *Przeglad Katolicki* (num. 35, a. 1899) ita, ut infra, consideravi.

Quam considerationem, quamvis seram, spero non fore, ut *Vox Urbis* repudiet.

***

Hominis nostri ingenii acumen magnopere miratus, valde hac re Romanos Italiae delectari atque gaudere posse putavi, si re vera demonstrari posset remotissimis iam temporibus linguam eorum a Deo ad tam gravia negotia usitatam fuisse. Quam novo enim splendore micaret tum Roma, cuius iam ipsum nomen tam arcano et mirifico modo, est creatum, ut et significationem virium et, retrolectum, *amorem* indicet et, aliquoties voce repetitum, *Maronem* illum, splendidissimum poesis latinae artificem, in memoriam revocet!

Amor, poesis, vis quam praeclare coniuncta! Sed utinam ne erraret auctor rei et si qui eum sequuntur! Primum enim: unde lingua latina iam illo tempore, scilicet anno DXXXXVIII ante Chr. n., in remoto Oriente emicuit? Quae in ipsa Urbe vix notescere coepit, quum et ipsa Roma, etiam tum civitas exigua, et lingua incolarum incunabulis obvoluta essent, atque modeste paulatim prae maiore Graecorum Italiae inferioris cultura et Italiae superioris Etruscorum potestate utrumque accresceret?

Sed esto; consentiamus linguam latinam quoquo modo iam tum longinque in Orientem trans mare migrasse, quamquam Romani artem navigandi initio demum bellorum punicorum exercere coeperunt; — tria saecula non res parvula; — ne negemus Danielem et linguam latinam cognitam habuisse; credamus igitur auctori *Mane* vocem inscriptionis esse latinam; concedamus vocabulum *Phares* esse corruptum nomen Persae, quamquam nullo auctorum latinorum loco confirmari datur: qua tamen ratione philologica evolvenda sunt ex una voce *Tekel* duo vocabula « Te cellet »?

Non docet auctor.

Greco-latina pronunciatione adhibita syllaba *cel*, comparari quidem potest cum *kel*, ut Cicero hellenice pronunciatur *Kikeron*, eoque magis, quod inusitatum alioquin verbum quoque *cello* Graecorum κέλλω in mentem revocat; sed unde sumitur altera syllaba *let?*

Potest nonnunquam evanescere ex syllaba vocalis (saeclum=saeculum), ut omnino linguae nonnullae vocalibus non abundant aut, ut hebraica, prorsus carent; sed consonantes $l + t$, ut quae vocabuli radicis partem efficiant, nunquam perire neque possunt neque debent et quidem hic in voce, in quam auctor sententiae nucleum inclusit, cum *te cellet* inquit.

Eiusmodi igitur coniecturas et conclusiones etymologicas methodus et ratio philologica admitti non sinit, quare quaestio etymologica non literate soluta arbitranda est; neque iam id reputari necesse est simplicem vocem *cello*, excepta forma « celsus » pro « excelsus », nusquam, ne apud poetas quidem, reperiri eoque minus eo sensu, qui hîc poscitur; primitiva enim significatio verbi « cello » par est graecae, ubi verbum illud « admovere » aut « appellere » significat, non « percutere » aut « percellere ».

***

Animadvertamus iam deinceps quaestionem syntacticam.

Verba *Mane Tekel Phares* (aut *Fares*) vulgo ita ratione mechanica scribuntur atque excuduntur ab auctoribus, qui libellos biblicos Veteris Testamenti ad usum scholarum destinatos edunt. Sed si codicem hebraicum inspicimus, rem prorsus variam invenimus.

Linguae hebraicae, cui quondam iuvenis studueram, notitia valde manca iam et debilissima quidem remansit; nam quae sunt mihi arma, quibus rem aggredi audeo? Scio adhuc, id quod sincere profiteor, utut scripta hebraica legere; perpauca vocabula atque leges grammaticae memoria tenentur. Heu me miserum, qui rem neglexi et paene plane oblitus sum! Sed et ea, quae restant, ad rem perscrutandam sufficere videntur, et... *audentes fortuna iuvat.*

Itaque in codice hebraico non *Mane Tekel Phares* legimus, sed *M*ᵉ*ne m*ᵉ*ne t*ᵉ*kel wufarsin.*

Neglecta iam singulorum verborum disceptatione etymologica, si eorum significationem in lexico quaerimus, invenimus, ut in memoria haeret, syllabam *wu* nonnunquam (ut hîc ante verbum *farsin*), scribi *w*ᵉ (1) quae syllaba vim latinae coniunctionis *et* habens semper sequenti vocabulo praefigitur.

Quem sensum igitur praestaret in disceptatione Szczerbovicii haec coniunctio, quae aut duo coordinata vocabula in enunciatione contracta, aut duas separatas enunciationes coordinatas coniungere solet? Atqui celari hîc coniunctio illa non potest. Quid igitur accipimus? *Mane te cellet et Phares.*

Quid sibi vult *et* in ea enunciatione?

Iam, opinor, una haec res luculenter monet considerationem auctoris illiteratiorem fuisse.

Sed adspiciamus et reliqua verba et formas earum hebraicas aut potius chaldaicas. (2) Qua in re, ne me scientia sua falleret, percunctatus sum non solum virum linguae hebraicae magistrum peritissimum, sed etiam lexicon comparativum Ioannis Boxtorfii: « Concordantiae bibliorum hebraicae et chaldaicae. (Stettini) ».

(1) Vide grammat. hebraicam Faskulski, § 70, 1.
(2) Ibid., § 1, 3, C.

Inveni omnium verborum formas esse chaldaicas, non puras hebraicas, et quidem formas verbales modi infinitivi, quae significant: *numerare, ponderare* (et) *dividere.* Qui modus infinitivus usitabatur etiam pro imperativo, ut in antiqua lingua graeca idem nobis occurrit praecipue in carmine Homeri, ut et hodie in lingua polona dicitur *milczec!* (tacere!) pro *milcz!* (tace!) aut *milczcie!* (tacete!); aut lingua germanica *still schweigen!* pro *schweig!* aut *schweigt still!*

Iam ex iis, quae modo dicta sunt, luculenter coniici potest his tribus verbis minacibus chaldaica dialecto in pariete excusis non solum significationem infinitivam, sed etiam sensum imperativum contineri potu sse, quamobrem ante tertium vocabulum logice coniunctio *et* est posita.

Sed tamen sint ne hae formae omnes modi infinitivi, necne, aut quae propria eorum debeat esse significatio, id nobis supra memoratum lexicon interpretetur.

Forma *manah* est forma actionis perfectae, quae vertitur latine *numeravit* quaeque vocalibus tantum mutatis praestat modum imperativum *m^e^neh* (numera).

Forma verbalis *t^e^kel* est forma actionis perfectae (ponderavit); sed iam formam imperativam in lexico non invenimus, quae, ut supra vidimus, mutatis tantum vocalibus discrepat.

Aggrediamur vocabulum tertium *wufarsin.* De prima syllaba *wu,* quae coniunctio est, iam disputavimus. Quid est reliquum *farsin?*

Lexicon praestat formam verbalem *feres,* quae etiam est forma actionis perfectae (divisit); *wufarsin* autem secundum lexicon exprimit actionem praesentem (et dividunt).

***

Quid iam ex omnibus, quae dicta sunt, coniicere licet? Nil aliud, nisi verba ea, si omnia formas easdem verbales praestarent, ita sonare debere: *manah t^e^kel (wu) f^e^res;* vertenda latine: *numeravit, ponderavit, (et) divisit.*

Sed primum eorum *m^e^neh* habet vocales modo infinitivo (= imperativo) proprias, alterum vocales actionis perfectae, tertium autem exprimit actionem temporis praesentis.

Etiamsi nullas liberiores coniecturas admittamus, sed formas eas, ut demonstravimus, probemus et vertamus, iam sensus iudicii secreti clarus esse potest; *Numerare! ponderavit et dividunt.* Sed, ut etiam linguae hebraicae peritissimus ille supra dictus magister affirmavit, et tertia illa vox proprie formam *(wu) f^e^res* habere debuit, quae respondet voci latinae (et) «divisit»; id quod iure coniici potest, propterea quod veteres Hebraei sine vocalibus scribere consueverunt, ut etiam nunc multi faciunt, quamquam ex saeculo septimo post Christum natum signa vocalia inventa vulgo adhibentur.

Ne multa iam, si omnia verba explicanda haberent vocales modi infinitivi imperativa significatione praediti, sensus esset hic: *numerare! ponderare! dividere!* si autem vocales temporis perfecti inserantur, habebimus: *numeravit, ponderavit, divisit.*

Nolo iam rem alia suppositione iuvare formam verbalem actionis perfectae pro forma et significatione modi imperativi usitari potuisse, ut etiam nunc vestigia in linguis quibusdan remanent: in lingua polona pro imperativo *idz' precz!* (apage)cum indignatione forma temporis perfecti *poszedt precz!* adhuc in usu est.

Sed quid denique haec omnia? Nonne et ita, ut verba illa in textu hebraico — chaldaico leguntur, sensus eorum Danieli clarus esse potuit iam ante patratum factum, ut nobis clarus est post factum? Secretus quidem sensus est, at vates fuit.

Quod autem aulae regiae sapientes linguam eam non intellegebant, — tales illi sapientes aulici erant. Nulla eorum sapientiae vestigia historiae mandata sunt. Res satis et nunc vulgaris. Quid superbis, inhumanis espugnatoribus lingua suppressorum opus est? Non solum interdum non digna, quae cognoscatur, videtur, sed contra etiam eradicanda putatur.

Ita volentes nolentes Romanos hoc gaudio privare cogimur verba illa biblica *M^e^ne t^e^kel wufarsin* maiorum eorum lingua scripta fuisse et «Mane te cellet Phares» sonuisse.

Varsaviae Polonorum.

IOSEPHUS WABNER.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Aquam e pumice postulare.

Hoc est: frustra ab alio petere, cuius ipse a quo petas maxime sit indigus. Nihil enim pumice lapide siccius, nihil siticulosius; perinde ac si quis ab indoctissimo doceri postulet, ab inconsultissimo consilium exspectet, ab egeno munus, ab inope praesidium, ab avaro ac tenaci pecuniam. Plautus: «Nam tu aquam e pumice nunc postulas, qui ipsius sitiat». «Pumex — inquit idem — non aeque est aridus, atque hic senex». Est autem pumex lapis cavernosus, naturae adeo siccae, ut, si in urceum bullientem immiseris, fervorem exstinguat.

Eadem chorda oberrare.

Horatius in *Arte poetica* sententiam haud dissimilem dissimili metaphora extulit:

Et citharoedus
Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem.

A cantoribus ducta translatio est, quibus vehementer foedum sit in iisdem fidibus saepius peccare. In eos igitur concinne dicetur, qui vel in simili re crebrius peccant, vel culpam eamdem iterum atque iterum committunt. Primus enim lapsus vel casui datur, vel imprudentiae; iteratus stultitiae tributur, aut inscitiae.



TEMPLUM MARIALE APUD EREMITAS

(EINSIEDELN)

Salve, quae mediis surgis in Alpibus,
Sedes cara Deo, sacra Deiparae! (1)
princeps Helvetiorum
salve gloria montium!

Heic olim, procerum natus in aedibus,
Meinradus (2) *latuit tesca per aspera,*
felix psallere divae
coram Matris Imagine.

Icon alma pium vi trahit illice
Bennonem, (3) *populo quem rapit Alsato;*
Suevum par Everardum (4)
vis invadit et abripit.

Sparsos tum monachos colligit ambitus
vasti coenobii; grandius excipit
templum Virginis aram
primaevumque Sacrarium.

Mox (testata cano) labitur aethere
Christus, caelicolis cinctus ovantibus,
aeternusque dicanda
sacrat limina Pontifex.

O ter sancta Domus! te colat osculis
aetas nostra suis, priscus ut obtinet
patrum mos et avorum
regnis a Carolingicis.

(1) In composita voce *Deipara,* metri causa, longam feci secundam syllabam, quae ceterum in voce simplici *Dei* produceretur. — Hoc autem vocabulo, in Codice Iustinianeo, latine redditur graecum Θεοτόκος.

(2) Meinradus, filius Bertholdi e nobilissima stirpe de Hohenzollern, amplexus Institutum Sancti Benedicti, anno DCCCXXIV cellam sibi et sacellum exstruxit haud longe a lacu Tigurino apud Helvetios, in ea alpina solitudine, quae deinceps appellata est *Einsiedeln.* Atque is ortus fuit oppidi cognominis et monasterii, toto orbe celeberrimi.

(3) Benno, abdicato munere, quod apud Alsatos in capitulo cathedrali Argentoratensi gerebat, anno CMXXV in eremum Einsiedlensem secessit, ubi et supremum diem obiit.

(4) Bennoni successit anno CMXL Everardus, origine Suevus. Is vastum aedificavit monasterium, in quo monachos Einsiedlenses, ad id temporis dispersos, uno sub tecto collegit, quorum primus Abbas fuit. Amplum quoque erexit templum, in cuius ambitu excepta est primaeva aedicula Meinradiana, qualis etiam in praesenti conspicitur. — Prodigiosam fuisse huius aedis dedicationem, veterrima testantur monumenta, historicis probata. (Vid. Wetzer u. *Velte, Kirchenlexicon,* verbo *Einsiedeln*).

Iam quis, diva Parens, dum rota vertitur
saeclorum decies, quis tua dicere
pertentet benefacta,
impertita vel improbis?

Tu plagas animi, tu quoque corporum
morbos voce fugas, « Omnipotentia
supplex » dicta, roganti
cui nil Filius abnegat.

Te praesente, fugit febris; in arida
sanguis membra redit; candida cernitur
lux caeco; pietatis
fax extincta renascitur.

Testes atque vades sint anathemata,
quae suspensa nitent aurea, gemmea
ante altare, tuamque
clamant munificentiam.

Virgo dives opum, perge clientibus
rivos largifluos fundere munerum.
Prolem, cui Benedictus
nomen legifer indidit,

omnem tu valida protege dextera;
at sit cura tibi prima Sacrarium,
quo non clarius ullum
sol perlustrat in Alpibus.

Arride et populis, quos tibi plurimos
quaevis orta dies convehit: Alsatos,
Rhaetos, Vindelicosque,
Gallos praeter et Italos.

Hos, lingua varios, tu, precor, effice
concordes animo, sacra Rosarii
laetos texere serta,
doctos solvere cantica.

Tutrix Helvetiae! cuius amabile
nunc tandem solium miror et osculor,
sero compos in aevo
votorum iuvenilium: (1)

salve, Diva, mihi; tu neque supplicem,
quaeso, sperne senem: fac mea diluam,
flens, commissa; benignum
da post funera Iudicem.

FRANC. XAV. REUSS.

(1) Auctori, iuventutem agenti, fixum erat templum Einsiedlense invisere. Verum exsequendo consilio improvisa obstitit causa, nuper tandem, post annos L, sublata.

LUDI PUERORUM APUD ITALOS

De Tingolo.

— *Tingolo?* Quid sibi vult hoc novissimum vocabulum?

Me paucis absolvam, candide lector, si vel tantillum moraberis.

Scito enim, hoc nomine gaudere quoddam ludendi genus, in pueris subalpinis maxime vigens. Namque ipsum non modo iuvenum vires exercet, easque mirum in modum auget atque excitat, sed, quod pluris aestimatur, prudentiam in primis movet atque ingenii luctantium industriam. Si tu fortasse vim ipsam vocabuli inquirere aliquando desideras, atque a verbi origine sensum expetere, hic ludorum mos, mea quidem sententia, a *tangendo* oriri optime videtur. Et re quidem vera, tota ioci vis in eo posita est, ut si quis ab adversario vel leviter tangatur, subito ex certamine inferior evadat.

Iuvabit tamen rem fusius explanare, ut magis magisque ioci indolem mente percipere possis.

Sunt hinc inde principes, qui sorte sibi eligunt socios, quibuscum decertandum est. Adsunt ipsi, bini, bini, cursu pares atque agilitate. Singuli vultu oculisque praeclara aetatis munera praeferunt membrorumque celeritatem iactant, quo in aemuli comparatione prior a principibus quisque iudicetur. — Oh! vos qui plantis incertis, vetuli, progredimini, procul hinc, procul hinc recedite. Omnes iuventute pollent qui ad *tingolo* procedunt.

Hisce rite peractis, adsunt duae acies, quarum altera, quae « superior » vulgo adpellatur, se se occultare diversimode studet; altera, quae fortassis « inferior » esse videtur, ad inquirendos atque incusandos adversarios impigre certat. Dum vero socii alii alio dilabuntur; et qui ad metam obtinendam pergunt, et qui se se occultant, uno ore hinc inde proclamant: *Tingolo! Tingolo!* Tunc incipit ludus.

Quam vere, quam apte est dicendum: Abditus interea latet et secretus alumnus!

Tunc demum inter sociorum timorem, qui septa, ut ita dicam, custodiunt, caute omnino procedunt, neque omnes, modo sed electi, attentis oculis huc illuc respiciunt, maxime timentes, ne quis ex improviso in eos prosiliat, eosque praeoccupet, priusquam ad metam tamquam ad tutaminis locum pervenire potuerit. Validiores enim semper ex more progrediuntur, dum *minuta plebes facili praesidio latet.*

En audacior subito adcurrit, atque e latebris egressus, pro viribus adversarios arripere cupit. Tunc quam celerrime omnes e medio aufugiunt et ad metam contendunt. Ars erit atque studium si vel unum leviter tangat. Ad hoc tendit, hoc in primis atque unice exoptat, et pro viribus in hoc nititur. — Si enim omnes secure ad metam pervenerint, tunc studiose cum insidiis altius inclamant: « Exite! Exite in opem! » Sic faciunt, ut adversarii qui stant in abditis, istis vocibus falso adlecti, in aciem se se frustra proiiciunt dum, citra periculum, alii obtinent metam.

Si forte adveniat, ut quis lentior fugerit, et minime

metam contigerit, et extra aliquantisper manserit, quo facilius in adversariorum potestatem cadat, auxilium a ceteris suis obsoleta voce petitur, et turba *vasto submoto recessu* in incautum adcurrit, eumque tangendo in servitutem redigit. Saepe quoque contigit ut qui prudentia ceteris praestat membrorumque celeritate, suis apud metam relictis, astute ad eos progreditur detegendos, nomine eos clamat ut e latebris securius exeant; errorem quoque simulant, ut alii aliis opem putantes adferre adcurrant. *Ac velut occultus, securum prodit in hostem Miles*, nunc iste, nunc ille in aciem celerrime currit.

Cave tamen ne sis imprudens, ne quis e latebris egressus iuxta ex inopinato irruat! Ac propterea ne exeas rogo, portum fortiter occupa, ne tibi confidentius celeritati tuae credas, ne tibi forte accidat quod Horatius navi Virgilii pertimescit:

Tu nisi ventis
Debes ludibrium, cave!

Caute incede; adest enim in arte periculum. Hic alieno se pileo tegit, ille mentita veste indutus adparet, ut falso incusetur; ille humi serpit, hic secreto propius, mutato loco procedit, ille denique in medium progreditur, socios inopinanter adoritur. Tunc quae luctantium confusio, quae animorum trepidatio! Omnes veluti ex composito festinanter progrediuntur. Qui pluribus huiusmodi fallaciis nititur novisque callet, maximi aestimatur, et inter suos maioribus laudibus ad sidera tollitur.

In puerilibus istis ludis, uti perhibent, in primis Napoleo ille magnus cum sodalibus adhuc puer se se exercens enituit, et qui paulo post ad maiora provectus, strenuus imperator evasit ut cum omnibus, quos antiquitas nobis tulit de re militari certaverit, suos amicos studiose in ludis edocuit.

Tunc omnes eo potissimum contendunt, ut vi aut astutia victores fiant. Videas ne tua incuria vel audentia decipiaris. Maxime enim fuerit universorum indignatio in eum, qui imprudenter rem suorum perdiderit, vel in insidias ceciderit.

Pugna iterum ferox mirum in modum exardescit, etsi quis erravit, et prudentiore incessu progreditur, atque ita ut unus et alter securior procedat, alios provocet; sicque ad victoriam tutius adveniant.

Si parva licet componere magnis, in mentem revoca episodium illud clarissimum quod suavissimis versibus Torquatus noster effinxit de Tancredi duello cum Clorinda virgine. Hanc enim nimius sero regressam a praelio ad urbis portas, ob hostium terrorem occlusas, ille offendit, eamque ad pugnam ferociter adgreditur. Haud aliter inter luctantes, si quis forte inaniter metam cursu contingere potuerit. Tunc acriter pugnatur, hic ut ad metam tandem perveniat, ille ne eam pertingere possit. In his duobus utrinque omnis maxima victoriae exspectatio, omnis animorum laetitia atque formido: et ambo pergunt adversis frontibus pugnare. Cui victoria? Illi qui vel socium eludens ad metam se feliciter contulit, vel qui novissimo nisu alium manu tetigit! Sic tandem haec vel illa pars primas retulit.

Tunc plausibus ex ipsis populi laetoque favore!

SUBALPINUS.

COLLOQUIA LATINA

Sero scholam petentes. (1)

EMMANUEL. — Salvus sis, Faustine.

FAUSTINUS. — O salve, Emmanuel. Quo ire tendis?

E. — In scholam. Quo te pedes?

F. — Eodem.

E. — Ubi libri? Ubi atramentarium?

F. — Sub pallio et axilla gestio.

E. — Audistin' aeris signum?

F. — Pridem.

E. — Ain' tu pridem? Vae nobis!

F. — Quid consternaris? aut quid metuis?

E. — Quid metuam? Quod solent sero venientes. Ah!....

P. — Ego sane probabilem excusationem adducam.

E. — Obsecro, quam?

F. — Mater me cum mandatis ad sororem misit, cuius responsum renuntiandum mihi fuit domum, et absunt illius aedes a nostris longius; eo tardius venio.

E. — Quid si hanc rationem tamquam commenticiam repudiet magister?

F. — Fiducia est id minime facturum. Nam me ab huiuscemodi mendaciunculis temperare non raro expertus didicit.

E. — Me miserum malique fati! Quid confingam quum somno captus nimius ego obdormierim? In extremo sitae sunt fortunae meae, nec quid agam certum est.

F. — Si rem ipsam ingenue confitearis, forsitan delicti gratiam magister faciet. Quid forsitan? Certe faciet; exonera te metu.

E. — Obtemperabo bene monenti; abstersisti metum. At enim ecce aliud mihi timorem obiicit.

F. — Aliud? Dic, quaeso.

E. — Formido male, ne hinc elapsus, alibi in casses incidam.

F. — Alibi?

E. — Quae memoriter pronuncianda praescripta sunt, haud teneo absolute.

F. — Suspicari fas est, non te inter primos interrogatum iri. Tum ego, qui secundus tibi sedeo, suggeram dissimulanter et fideliter.

E. — Id amabo, adiuva me. Summum tibi beneficium debuero, hoc si perlectum dederis; nam nunc spes opesque meae omnes in te uno positae sunt.

F. — Ambulemus contentius.

E. — Tam strenue te consequi vix possum.....

(1) Ex opere IACOBI PONTANI, cui titulus *Progymnasmata latinitatis* passim retractavit I. F.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione de Religiosis.

Declarationes decreti « Inter reliquas » circa servitium militare Sodalium Religiosorum.

Edito decreto *Inter reliquas*, die I mens. Ianuarii MCMXI, circa servitium militare a viris religiosis praestandum, (1) nonnulla exorta sunt dubia, quorum solutio expetita et data est a S. C. de Religiosis, prouti sequitur:

I. — Utrum vota perpetua emissa ante promulgationem Decreti *Inter reliquas,* cessent ipso facto, quando servitium militare activum assumitur? — *Resp.* Negative.

II. — Utrum vota temporanea item cessent ipso facto, quando idem servitium assumitur? — *Resp.* Negative per se, seu vota non cessare ipso facto, initio servitii militaris; posse tamen Religiosos petere votorum dispensationem a prima die militaris servitii, iuxta art. VIII decreti *Inter reliquas,* si perseverare non intendant; in nullo casù novam votorum professionem emittere posse, nisi expleto servitio militari, etiamsi tempus professionis durante servitio militari expiraverit.

III. — Utrum valida sit professio solemnis in Ordinibus, et perpetua in Institutis votorum simplicium, emissa in bona fide ab eo qui falso existimavit se a servitio militari exemptum esse? — *Resp.* Negative.

IV. — Utrum valida sit professio solemnis in Ordinibus et perpetua in Institutis votorum simplicium, emissa antequam completus fuerit annus a die expleti servitii militaris activi? — *Resp.* Negative.

V. — Utrum integer annus defluere debeat, antequam ad professionem solemnem vel perpetuam admittatur ille qui per tres tantum menses servitio militari activo addictus fuit? — *Resp.* Negative, sed necessarium esse et sufficere in casu trimestre, vel spatium temporis brevius anno, correspondens tempori in servitio militari transacto.

VI. — Utrum ad professionem solemnem, vel perpetuam, admitti possint ii Religiosi, qui, servitio militari activo subiecti, firmum tamen habent et manifestant animum sese exteris Missionibus addicendi, in eisque permanendi usque ad tempus a lege civili statutum ad perpetuam exemptionem a servitio militari adipiscendum, ut verbi gratia, in Italia est trigesimus secundus aetatis annus? — *Resp.* Negative per se. Concedit tamen S. Congregatio ut ultimo studiorum curriculi anno liceat iuvenes ad sacras Missiones intra annum profecturos, ad solemnem, seu respective ad perpetuam professionem admittere et ad sacros Ordines promovere, emisso prius ex parte candidati iuramento de servitio Missionibus praestando usque ad tempus praefinitum a lege civili ad exemptionem obtinendam, et onerata Superiorum conscientia de eiusdem executione.

(Ex decr. d. I mens. Februarii MCMXII).

(1) Cfr. *Vox Urbis* an. XIV, n. III, pag. 43.

Ex Congregatione Sacrorum Rituum.

Circa doxologiam ℣ Primae et Praefationem propriam in occurrentia Festorum B. M. V. ad instar simplicis redactorum.

Quum ex Constitutione Apostolica « Divino afflatu » Festum B. V. M. ritus duplicis maioris, aut dies Octava eiusdem Deiparae, si in Dominicam occurrant, amodo simplificari debeant, S. R. C. insequentia dubia proposita ac resoluta fuerunt prouti sequitur:

I. – An in praedicto casu conclusiones Hymnorum et versus Responsorii brevis ad Primam esse debeant de ipsa Beata Maria Virgine? — *Resp.* Affirmative, nisi dicenda sit propria Temporis, et exceptis Dominicis Adventus.

II. — Quae Praefatio in casu dicenda sit in Missa? — *Resp.* Praefatio Trinitatis, nisi occurrat Praefatio de Tempore aut alicuius Octavae Domini, iuxta Novas Rubricas, tit. X, n. 4.

(Ex decr. d. XXX mens. Decembr. MCMXI).

De festis ritus duplicis Maioris octava condecoratis.

Quaedam Festa, quamvis perpauca, ritus Duplicis Maioris pro aliqua particulari Ecclesia, transactis temporibus Octava decorata fuerunt. Quum autem harum Octavarum celebratio novissimis Sanctae Sedis dispositionibus minime congruat, Sacra Rituum Congregatio statuit et decrevit ut Festa ritus Duplicis Maioris Octava gaudere nequeant; et si quae huiusmodi Octavae iam concessae invenirentur, eas amodo declaravit suppressas. (Ex decr. d. XXX mens. Decembr. MCMXI).

De Simplicibus antiphonas proprias habentibus.

In Festis simplicibus quae habeant ad Laudes antiphonas proprias, ex alio Festo desumptas, ut in Festo S. Agnetis secundo, ad Laudes dicendi adhuc non sunt psalmi de Dominica cum antiphonis Festi simplicis; sed antiphonae et psalmi de Laudibus feriae occurrentis, et a Capitulo et deinceps de Festo simplici. Item, in Officio S. Mariae in Sabbato ad Laudes dicendae non sunt antiphonae ipsius Officii cum psalmis Dominicae; sed antiphonae et psalmi de Sabbato occurrente, et a Capitulo et deinceps de S. Maria. (Ex decr. d. XXVII mens. Ianuarii MCMXII).

De quibusdam festis diebus Dominicis hucusque affixis.

Quum ex novis Rubricis festa diebus Dominicis affixa, nisi sint festa Domini aut Duplicia primae vel secundae classis, amplius in ipsis celebrari nequeant, S. Rit. Congr., attentis etiam praescriptionibus temporariis memoratis Rubricis adiectis, insequentes declarationes evulgavit:

I. — Festum Commemorationis Omnium Sanctorum S. R. E. Summorum Pontificum in locis, quibus idem Festum, sub ritu duplici minori vel maiori, pro Dominica prima libera post Octavam SS. Apostolorum Petri et Pauli iam concessum est, adhuc celebrari licet, die prima mensis Iulii fixe adsignata.

II. — Item Festum Commemorationis SS. Reliquiarum in locis quibus idem festum pro aliqua Dominica,

sub ritu duplici minori vel maiori, iam indultum est, in posterum celebrari adhuc potest, die quinta mensis Novembris fixe adsignata.

III. — Si aliquod Festum Ecclesiae Universalis, sive Beatae Mariae Virginis, sive Sanctorum, sub ritu duplici minori vel maiori, alicubi die Dominica concessum fuerit celebrari, amodo in die sua omnino reponendum est.

(Ex decr. d. IX mens. Februarii MCMXII.

Dubia varia.

I. — Festa B. Mariae Virg. aut Sanctorum, Dominicis affixa, et a locorum Ordinariis in perpetuum simplificata impediuntne recitationem Suffragii ad Laudes et Vesperas, Precum ad Primam et Completorium, Symboli Athanasiani ad Primam et tertiae Orationis in Missa? — *Resp.* Affirmative in omnibus.

II. — Quando in Dominica occurrit Festum B. Mariae Virg. perpetuo a locorum Ordinariis simplificatum, conclusiones Hymnorum et Versus Responsorii brevis ad Primam eruntne de ipsa Beata Virgine, ad normam Decreti d. XXX mens. Decembr. MCMXI ad I^um? — *Resp.* Affirmative.

III. — Si Festum duplex secundae classis in Dominicam incidat et commemorandum sit Festum aliquod simplificatum, quod per se habeat Praefationem propriam in Missa, vel occurrat infra Octavam aliquam similiter Praefationem propriam habentem, legendane est Praefatio de Trinitate, vel potius Praefatio propria Festi simplificati, aut Octavae? — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

IV. — Quum ex novis Rubricis Primae Vesperae de Dominica infra Octavam Epiphaniae, nisi Epiphania ipsa venerit in Sabbato, integrae amodo de ipsa Dominica dicendae sint, ultimus harum Vesperarum psalmus eritne *Laudate Dominum,* ut in primis Vesperis, vel potius *In exitu Israël,* ut in secundis Vesperis? — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

(Ex decr. d. IX mens. Februarii MCMXII).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Aprili MCMXII).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Ioannes Borghese, princeps Urbanus; Hernestus Schönberg-Roth-Schönberg, dynasta; De Vèlard, comitissa, et marchionissa de Thomas de S. Laurent, e Supremo Consilio Catholicarum Mulierum in Gallia; Chigi, Urbanus princeps, eiusque familia; Philippus De Levis, comes; Severina Sapieha, princeps foemina; peregrinorum manus ex Hungaria, ex Gallia, ex Polonia, ex Neapolitana Dioecesi, ex Belgica, ex Austria; Coetus a S. Caecilia ad musicen sacram provehendâm legatique omnes, qui Romae . ius generalis conventus participes fuere; Angelus De Estrada, doctor. legatus extraordinarius atque administer cum omni potestate Argentinae reipublicae apud Apostolicam Sedem; De Ionghe, comes; S. Severinae Dux; Greuther, princeps; Czartoryski princeps.

Pontificiae electiones.

Provisio Ecclesiarum — Per S. Congregationis Consistorialis decreta SSmus. D. N. Pius PP. X has quae sequuntur Ecclesias de proprio pastore providit, scilicet: Titulari ecclesiae archiepiscopali Seleuciensi in Syria praefecit rmum. d. Dominicum Serafini, hactenus archiepiscopum Spoletanum; tit. eccl. episcopali Arindelensi sac. Iosephum Enricum Conroy, Vicarium generalem dioecesis Ogdensburgensis, quem constituit auxiliarem revmi. d. Henrici Gabriels, episc. Ogdensburgensis; cathedrali eccl. Panamensi r. d. Gulielmum Rojas e Congne. Missionis et administratorem apostolicum eiusdem dioecesis Panamensis; tit. eccl. episc. Temnensi sac. Michaëlem Higgins, dioec. Tuamen., quem constituit auxiliarem revmi. dni. Ioannis Healy, archiep. Tuamen.; tit. eccl. archisp. Cyrrensi revmum. d. Ludovicum Szmrecsànyi, episc. tit. Magyden. et auxiliarem emi. archiep. Agrien., quem constituit coadiutorem cum iure futurae successionis emi. ac revmi d. Iosephi Samassa, Card. archiep. Agrien.; tit. eccl. episc. Martyropolitanae sac. Victorem Horvàth ex dioec. Colocen., quem constituit auxiliarem revmi. d. Ioannis Csernoch, archiep. Colocen. et Bacsien.; metropolitanae eccl. Urbinatensi sac. Iacobum Ghio, archidioec. Ianuen.; cath. eccl. Thermularum sac. Rochum Caliandro, vicarium generalem et canonicum theologum cath. eccl. Uritanae.

Brevibus autem Apostolicis nominati sunt: Episcopus titularis Mylasensis r. p. Ioseph Maria Caro Rodriguez, vicarius apostolicus de Tarapacà; episc. tit. Olenensis r. p. Aloisius Silva Lezaeta, vicarius apostolicus de Autofagasta; archiepiscopus Antibarensis r. p. Nicolaus Dobrecic, e civitate vulgo Cettigne; episc. Martinicensis r. p. Ioseph Malleret e Congregatione a Spiritu Sancto; episc. tit. Dibonensis et Vicarius aplicus. Oceaniae centralis r. p. Ioseph Felix Blanc, e Societate Mariae; archiep. tit. Amidensis et coadiutor cum iure successionis archiep. Brisbanensis r. p. d. Iacobus Duhig, translatus a Sede Episcopali Rockhamptonensi; episc. tit. Gordensis et vicarius aplicus. Orae Benini *(Costa di Benin)* in Africa Septemtrionali r. p. Ferdinandus Terrien, e Societati Lugdunensi Missionariorum ad Afros; archiepus. Atheniensis et delegatus apostolicus pro Graecia r. p. Aloisius Petit, e Congregatione Augustinianorum ab Assumptione; archiep. Corcyrensis r. p. Dominicus Darmanin, translatus a sede episcopali Syrensi.

— Inter episcopos Pontificio solio adstantes electi sunt rr. pp. dd. Mathaeus Harkins, episcopus Providentiae; et Alfonsus Archi, episcopus Novocomi.

— R. p. Dominicus Pasqualigo O. P. alter a Commissario dicitur S. Congregationis Sancti Officii.

— In coetum Advocatorum S. Consistorii adnumerantur Albertus Guidi iuris doctor. et Vincentius Sacconi, comes, ambo ex Urbe.

ANNALES

Bellum inter Italos atque Turcas.

Recensionem superiorem de bello quod inter Italos atque Turcas geritur concludebamus, dubitantes ne voces procurandae pacis per ceterarum Europae nationum interventum, in facta reducerentur. Atqui si res tandem intercessit, laudabili tamen incoepto successus minime respondit. Turcarum enim gubernium ea consilia confirmans,

quae Caesaris nomine publici coetus sessiones inaugurans iam edixerat, de pace rationem nullam agitari posse declaravit nisi prius decretum quo Lybia Italicae civitati annectebatur revocatum fuerit Italicaeque copiae in patriam retraherentur. Aegri equidem somnia; eoque magis quod paucis ante diebus Itali occupationem suam produxerint orientem versus in Sidi Said peninsulam qua, — optime simulato excursu, — potiti sunt, ad Macabez caput milites exponentes, et Bu Kemez, Turcicum propugnaculum, oppugnantes; quod Turcae frustra recuperare conati sunt. Neque satis; eadem enim die qua in legatorum coetu firma voluntas omnibus viribus resistendi aperiebatur, Italorum classis ad Hellespontum apparebat. Quam quum iaculatores ad ipsius freti fauces positi, aggredi ausi essent, munimentis crebrisque vigiliis brevi arces privatas viderunt, quae tantam ruinam reportarunt, ut fere omnino diruerentur. Hinc Turcarum clarigationes, qui Hellesponti aquis incendiariis globis commissis, naves cuiusque nationis a transitu prohibuerunt, exitum hunc vere plausibilem sibi procurantes, ut ceterae Europae nationes, in primisque Russica, damna commerciis suis parta vehementer denuntiaverint, dum Itali tranquille milites in Stampalia insula ponunt, praesidiaque hostium captivos faciunt; et in Lybica terra, propitiam aliquam occasionem expectantes minutisque proeliis pugnantes, cunctantur.

***

In Mauritania.

At non Itali uni in Africa decertant. Galli enim in Mauritania et ipsi armis abstinere nequeunt. Foedus hi cum Mulay Afid Imperatore icerant, quo, decennalem historiam Europaearum contentionum circa illam regionem concludentes, in Galliae patrocinium Mauritania conferebatur. Nihil inde aliud restabat quam ut dissensiones cum Hispania de quarumdam regionum mutua concessione componerentur. Ecce autem ex improviso militaris seditio eaque gravissima Fez in ipsa urbe oritur, cuius causa apparens iussum quoddam novarum legum quod Mauritanis militibus nimis onerosum videatur; vera, contra, nec ea obscura, Gallicae clientelae acris indigenarum oppositio; quam ad efficienter coercendam non certe satis erunt viginti illa millia militum, quos Gallia in Mauritania habet. Nova igitur copiarum vis necesse erit, novaque belli pecunia.

***

Quies in Sinis restituta.

In Sinis tandem novi regiminis res placatae videntur. Gubernium namque Sun-Yat-Sen imperii summam, in quiete, Yuan-Shi-Kai definitivo gubernio tradidit, nec ullo modo obstitit quominus hoc sedem a Nankin ad Pekinum urbem transferret.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Anglia** lex Hiberniae propria, a Gladstoniana factione per annos triginta acriter propugnata, primum tandem favorabilia suffragia tulit.

In **Austria** Stuergkh, administrorum primus, Croatorum iura contra Hungaros strenue asseruit.

In **Germania** apud Berolinensem coetum, Imperii Cancellarius sapienti oratione rogationem legis defendit pro militaribus navalibusque novis expensis.

In **Hungaria** Kuen comiti, munus regendi imperii abdicanti, novum administrorum collegium suffectum, praeside Lukacs, iam aerarii praefecto.

In **Italia** coetus sessiones resumptae, ratisque habitis ferriviarum expensis, nova lex de iure suffragii amplificando in disceptationem vocata.

In **Russia** Sazonofii oratione civilis Imperii ratio clare ac prudenter patefacta.

In **Suetia** rogata lex de iure suffragii mulieribus exaggerando.

In **Turcarum Imperio** nova comitia favorabilia omnino cesserunt Iuvenum Turcarum factioni, quam tamen dictitant per vim huiusmodi exitum obtinuisse.

PER ORBEM

Die II mens. Aprilis MCMXII, in Belgica, opifices ad carbonem fodinarum extrahendum, ob denegatum sibi auctum salarii, Anglorum exemplum sequuti, ex condicto passim a labore recedunt.

— d. III Miharayama, vulcanus Iaponicae insulae Oshima, post quietem annorum octo supra sexaginta, ex improviso iterum ignes evomit oppidaque circum sepelire ita minitatur, ut incolae in scaphas aut vicinas terras perfugere coacti fuerint.

— d. V Mollendo oppidum in Peruviana civitate fere omne immani incendio absumitur.

— d. VI Mississipi flumen in Nordica America, oppositis hinc inde molibus abruptis, campos et oppida per aquarum cursus inundat magna tum rerum tum hominum ruina.

— d. VIII ad Glaronam in Helvetia moenia forte deteguntur vetustae urbis nomine Wichlenbad, anno MDCCLXII terrae motu, ut creditur, sepultae.

— d. XI Lutetiae Parisiorum vita fungitur Gabriel Monod, historicus.

— d. XII Bruxellis nordica ferriviarum statio incendio valde pessumdatur.

— d. XIV Lutetiae Parisiorum brevi morbo absumptus septuaginta et septem annos natus obit

Henricus Brisson, publici Gallicorum coetus legibus ferendis praeses.

— d. XVI maxima quae huc usque vectoriarum navium exstructa fuerit nomine *Titan* ab Anglia ad civitates foederatas Americae septentrionalis primum profecta, noctu, in immensam glaciei molem ab arctico polo procedentem occurrens, disiicitur atque submergitur. Mille et sexcentae circiter humanae victimae inde heu lugentur!

— d. XXII venti vis in Colorado Americana regione furens, quinquaginta et ultra domus civitatis Hennessey solo aequat.

— d. XXV Venetiarum turris, abhinc annos novem prolapsa, civiumque omnium firma voluntate ad caelum rursus elata, sollemni ritu inauguratur; aeraque munificentia Pii X. P. M., quondam Venetorum Patriarchae, refecta, publice dedicata sunt.

— d. XXVIII Damasci emporia pleraque flammis vorantur.

— d. XXIX Vedrines, inter Gallicos aviatores valde celebratus, a Douai urbe profectus, improviso machinae vitio ad Sancti Dionysii oppidum, in terram praecipitat, graviterque in capite vulneratur.

— d. XXX, gasio forte incenso in fossilis carbonis fodinis ad Tokium, Iaponicam urbem, cuniculárii ducenti et octoginta misere pereunt.

Vectoria Graeca navis nomine *Texas* Thessalonicam petens, in incendiarium globum ex iis, quos Turcae contra Italos in mari posuerunt, mala sorte offendit ac subruitur. Ex viatoribus centum quinquaginta duobus, vix nonaginta, iique maxima ex parte vulnerati, superstites evadunt.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis *eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

De Hautontimorumeni Terentianae prologo scripsit IOANNES CAPOVILLA. — Salae Consilinae, typis F. Auletae, MCMXII.

MAURICE BRILLANT, *Le Charme de Florence.* — Lutetiae Paris., edid. Bloud et Soc., MCMXII. (Ven. lib. 3,50).

PIERRE GAUTHIEZ. *Contes sur vélin. Toscane et France.* — Indidem. (Ven. lib. 3,50).

In constitutionem «Divino afflatu» SS. D. N. Pii Papae X de nova psalterii in Breviario Romano distributione et in Rubricas ad normam ipsius constitutionis servandas commentarium scripsit DR. PETRUS PIACENZA, S. R. C. Protonotarius Apost., in Pont. Semin. Rom. S. Liturgiae professor. — Editio altera. — Romae edid. Desclée et Soc. MCMXII. (Ven. lib. 2).

P. GILLET. *L'educazione del cuore.* — Traduzione dal francese. — Indidem. (Ven. lib. 2,50).

E. CRAPEZ. *La Venerabile Caterina Labouré,* Figlia della Carità di San Vincenzo de' Paoli (1806-1876). — Traduzione dal Francese — Indidem. (Ven. lib. 2).

A. REGNIER. *San Leone Magno.* — Traduzione dal Francese. — Indidem. (Ven. lib. 2).

M. LEPIN. *Vangeli canonici e Vangeli apocrifi.* — Traduzione italiana su la terza francese. — Indidem. (Ven. lib. 1,20).

GIORGIO KESZLER (G. Romain). *L' inquisizione. Suo valore religioso, politico e sociale..* — Traduzione dal francese. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

GABRIELE D'AZAMBUJA. *La giovane e l'evoluzione moderna.* — Traduzione italiana sulla seconda edizione francese. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

ID. *Ciò che per la donna ha fatto il Cristianesimo.* — Traduzione italiana sulla sesta edizione francese. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

STEFANO LAMY dell'Accademia di Francia. *Cattolici e Socialisti a proposito delle «Settimane sociali».* — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

AENIGMATA

I.

(Permutatio vocalis).

A proficisci ad bella volentibus implorandus.
O invicta manet, dum mundi finis adesto.

II.

Frigore correptus *prior* ut flos floribus haeret,
Et sole adverso plus adamante micat.
Ultimus in doctrina *alter*, qui primus in arte.
Toto laetentur hortus et ora tibi.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet I. B. FRANCESIA actionem dramaticam latinis versibus scriptam et in tres actus distributam, cui titulus:

EUPLIUS

Aenigmata an. XV, n. II proposita his respondent:

1) **Sol-amen**; 2) **Sitis.**

Ea rite soluta miserunt:

Aug. Scriban, *Iassiis.* — Alois. Cappelli, *Senis.* — P. C. Peltenburg, *Soeterwonde ad Lugdunum Batavorum.* — Petr. Fura, *Vico.* — Lad. Lud. Podobinski, *Neo Sandecia* — Iac. Fortina, *Arona.* — I. M. Meunier, *Corbiniaco.* — Fr. Mennini, *Florentiola.* — Paulus Dan, *Constantia-Tomis.* — Ad. Kozlowski, *Petricovia.* — P. Bernardinus a Monticulo, *Arcano in Marsis.* — Fr. Baturewicz, *Zytomiria.* — Georg. Beothy, *Magnovaradino.* — Lud. Kobierzycki, *Leopoli.* — Ioan. Sismondo, *Casali Montisferrati.* — Lucius Rhaetus, *Bucarestino.* — Steph. Dantas, *Natal in Basilia.* — Petrus Tergestinus. - F. Ortiz, *Morelia.* — Christ. Del Fierro, *Mexico.* — Nic. Endrigi, *Salisburgo.* — Rich. Müller, *Berolino.* — F. Arnori, *Mediolano.* — Alb. Kain, *Dublino.* — Diom. Falva, *Constantia.* — N. Bianchi, *Augusta Taurinorum.* — I. Martins, *Philadelphia.* — R. Silvan, *Londino.*

Sortitus est praemium:

NICOLAUS ENDRIGI,

ad quem missa est IOACHIM ANTONELLI COSTAGGINI Milesia fabula, cui titulus:

ARRAE GORGONIAE

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina *Societatis Editricis Romanae.*

ANTHEA (3

(Ex fabula H. SIENKIEWICZ Poloni: *Eamus ad Ipsum*).

Hic hospitibus humanissime exceptis villam suam utendam obtulit, urbi vicinam: quo tamen beneficio nihilo rectius Anthea se habuit, terroribus non imminutis, quibus adducta est in rerum omnium desperationem.

In atrio, quamvis et matutina tempora sunt et porticus opacet locum, caletur maxime. Prope aedem, ad palmam patulis diffusam ramis, Antheae lecticam deferri Cinna iubet floribus ornatam ac hyacinthinis. Deinde assidens aegrae arreptisque eius manibus, quarum candor parium marmor extinxerat:

— Uti vales, — inquit — amica?

— Satis bene, — illa respondit deficiente voce, clausitque oculos, quasi petitura medicinam somno.

Cuncta silent: ramos inter levis aura susurrat.
Fons erat illimis, nitidis argenteus undis,
Et gramen circa quod proximus humor alebat.

Paulo post sopore excitata:

— Verene, — inquit — Cai, philosophus hac in regione versatur quidam, cuius ope aegri convalescunt?

— Hic eius generis medicos prophetas vocant. Atque ei profecto te curandam tradidissem, nisi et ipse circulator videretur. Is, quod contra leges et instituta civitatis plura in vulgus disseminaverit, capitis damnatus, iussu procuratoris est hodie cruci adfigendus.

Ad haec subtristis flexit illa caput. Cuius auctum pallorem intuitus Cinna:

— Medicinam — inquit — afferet dies.

— Mortis quidem, non vitae minister est atque satelles dies.

Diu uterque conticuit, Cinna saepe oculos coniiciente in lecticam conspersam floribus, in qua, velut funebri lecto, composita iacebat uxor. Extrema vero is patiebatur cogitans, tam dilectae formae egregiaeque virtutis mox reliquum futurum nihil, nisi exigui pulveris modum. Quumque plane sentiret se non posse defunctae desiderium pati, consilia agitabat eam in conditorium prosequendi.

Inter haec rumor auditur levis, quasi pedum per caliginem furtimque sese admoventium. Visu exanguis, horrescit Anthea, reductoque timidissime spiritu, attonita stupet. Occupabat enim miseram timor ne forte umbrae adventarent sibi saepius obiectae atque anteire solitae mortuum hominem immotis oculis vitreisque intuentem.

Tum Cinna, blande iniecta manu trepidanti:

— Pelle — inquit — vanum timorem, bonumque animum habe; nam et mihi rumor auditur.

Mox autem:

— Ipse est; Pontius venit.

Iamque ad tramitis flexum in conspectum se dabat procurator. Media hominis aetas; paullo plenior ac nitidum os resecta barba; arcessita quaedam sublimitas; fatigati animi et corporis habitus. Qui quum brevi adstitisset, in umbram palmae succedens:

— Salve, — inquit — vir nobilissime; tuque, diva Anthea, salve. Quantus hodie aestus afflat post noctem frigidissimam! Hic dies vobis faustus felixque sit, idemque initium afferat recuperandae salutis, Anthea, qua iterum vigeas niteasque uti flores, quibus est conspersa lectica.

Officiis ultro citroque habitis, procurator sedit, inspectaque attentius aegra:

— Solitudinis — inquit adducto supercilio — est aegritudo comes; abest a frequentia metus. Quamobrem quid in rem vestram esse mihi videatur quidque consilii vobis capiendum sit libere dicam. Hîc profecto neque Alexandriae sumus neque Antiochiae, ubi agi aetas liceat, uti vos decet, vel in circo vel in theatro; quibus a deliciis huius populi mores sunt remotissimi. Heic nullus est fere sermo nisi de lege, quae plurimum negotii dat mihi misero et in quam cogimur tam frequenter offendere, ut malim commorari cum Scythis.

— Sed licet tandem scire quid moneas?

— Quoniam, uti aiebam, metu caret frequentia, velim spectaculo adsitis hominum trium, qui hodie dandi sunt cruci. Res curiositate non vacat, fietque clara atque exspectata magis propter solemnes paschatis dies. Multi enim et religionis causa et studio visendi supplicii convenient, maxime proximi quique e plebecula. Spero damnatos morituros fortiter. In his autem iuvenis est singularis quidam, qui se Filium Dei affirmat, miti ingenio instar columbae, eaque vitae innocentia, de qua nullum sit certe sumendum supplicium.

— Hunc ergo cruci addixisti innoxium?

— Quid facerem? Multa simul ac diversa angebant. Hinc avebam vitare molestias, illinc non irritare crabrones. Tanta enim invidia in eum hominem conflata est a principibus sacerdotum, ut querimoniae de me, quod remissius egerim, Romam usque pervenerint. Ceterum malum hoc ad civem romanum non redit.

— Ex hoc tamen haud minor fiet sensus doloris misero.

(Ad proximum numerum).

P. Angelini.

Ann. XV. ROMAE, Mense Iunio MCMXII Num. VI.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

IOHANNES PASCOLI

Incipe, si quid habes; et me fecere poëtam Pieridès... (VERGIL.)

Has tibi dat violas immortalesque amaranthos..,

Quintilianus (X, 1,90) referens de morte Valerii Flacci Setini qui, ut notum est, inchoatos rudesque Argonauticon libros reliquit, maestissimis his verbis utitur: « Multum nuper in Valerio Flacco amisimus ». Nempe is qui latinis litteris vel ampliorem splendorem poterat ferre et luculenter ostendere quid quantumve suae vires in scribendo possent, iacebat exstinctus, ac Musa, illo orbata, habitu lugubri silebat.

Haec eadem verba liceat mihi adhibere, dum pro meis quantulumcumque potero viribus, in hoc Commentario, qui minime a litterarum nostrarum progressu incrementoque procul abhorret, quin immo in primis vel quid in litteris ediderimus vel quid amiserimus egregii refert defletque commotus, de illa quae vere potest *gloria summa Pieridum* dici, scilicet de Iohanne Pascoli immatura morte absumpto, commemoro.

Quum, sub extremi autumni tempore, labentibus foliis *primo cum frigore tactis,* nescio quaedam animos maestitia invadit eademque diu tenet eos adstrictos, quod natura videtur paulatim suae venustatis ornamento denudari ac tardo gradu squalescere, et plantulae subtili culmo intro recipiuntur ne vis aquilonis de improviso exorta diruat divellatque, sic mortem Iohannis Pascoli eiusque vocem canoram crudeliter abruptam unusquisque nostrûm non lente tulit, non indefletam commemoravit, sed tacito moerore affectus, extremum morientis spiritum secum volvit. Universus enim lacrimarum consensus, laudantium concentus, effusio florum super tumulum eius, Italiae denique luctus quam sors, singulum quemque optimum scriptorem auferendo, graviter ac mortifere videtur vulnerare, manifestò ostendunt quid damni ex dulcissimi poëtae amissione ceperimus.

***

At primum pauca de vita et duriore eius fortuna referamus.

Iohannes Pascoli natus est in Flaminia, id est in illa regione quae olim Gallia Cispadana tenebatur, proprieque in castro Sancti Mauri, pridie Kal. Ianuar. a. MDCCCLV, obscuris fere maioribus, quod Rogerius pater in Torloniae principis agris villicans, suis lucellis necessaria ad vitam familiae modeste comparabat. Prima eius aetatis tempora laetiora fuerunt, sed postea intolerabili dolore laceratus est ob mortem carissimi parentis, qui a. MDCCCLXVII dum solus redit domum, ex insidiis interficitur. Quibus id angoribus Iohannem confecerit, non oportet dicere. Paulo post soror natu maior interiit; deinde mater, quam filius perdite adamabat; postremo fratres duo. Brevi, lares domestici exagitantur inque re familiari valde superstes laborat. Tristes enim dies eum manent. Tamen litterarum ediscendarum gratia in ephebeo Urbini Metaurensis aliquandiu commoratus est, ubi a praeclaris illis religiosis viris Scholarum Piarum, qui optime latinam linguam callebant, eruditur, inter quos honoris causa et memoriae officio non possumus Iosephum Giacoletti, e Pedemontio, praeterire, qui vere *Apollinea clarus in arte erat,* quique iam praemia tulerat in regia Neerlandica Academia ob carmina *de vapore* atque *optice,* et Franciscum Donati, etruscum, qui in eodem Urbinate collegio italicas litteras tradebat. A Giacoletti ipso Pascoli illius Calabri doctissimi notitiam habuit, scilicet Didaci Vitrioli, cuius nemo est quin aureum illud carmen, in magno conventu Amstelodamensi ordinis litterarii praemio ornatum, cui nomen *Xiphias*, ignoret. Quod si istis rudimentis rigidam viam ac rationem adicimus Gandino, cui in disciplinam se Pascoli tradidit Bononiae, et praesertim naturam eiusque in-

genium perspicimus, quae ad poësim propensa erant, idest ad poëtico colore obumbrandum quidquid ante suos oculos versaretur, quidquid vel sentiret vel tangeret, facile intellegimus cur progressu temporis tantus in versu latino exarando poëta evaserit. Nonne enim Pascoli ipse admonet nos valedicere Giacoletti praeceptori latini sermonis plenum? Nonne enim ipse quibusdam locis meminit plurimum se illis primis doctoribus debere?

Tunc, splendide primis studiorum difficultatibus victis, nec non praemio in litterarum certamine lato, in Universitatem Bononiensem transiit. Bononia tunc lumine doctrinaque Gandino ornabatur et Carducci, qui Pascoli discipulum habuit in deliciis. Iam inde a primis experimentis Iohannes signa dedit excellentis ingenii sui suaeque dexteritatis mirae in latinis versibus contexendis.

Doctoris titulum nactus, se ad tradendas litteras dedit, et apud se sorores Idam et Mariam arcessivit, quarum altera usque ad extremum diem poëtae nunquam se ab illo seiunxit. Sic una vivebant, quamquam vel tenues erant quaestus; sed amor fungebatur vice cibi, iique se invicem adamantes inopiae medebantur: quanta enim pietas, quanta dulcedo mixta dolori, quam suavis maestitia intra limen illud! Nescio num quis possit perennius exigere monumentum eo quod Iohannes in suis *Myricis* collocavit, in quibus suae vitae fortunas poëtice enarravit quaeque eius animi quasi speculum haud mendax dici possunt.

Placet mihi sic illos privatos parietes effingere: hinc poëtam suis studiis operam dantem, illinc sorores vel rebus domesticis intentas, vel carmen Deo pro suis mortuis dicentes...

Primo in nostris Gymnasiis publice iuvenes docuit, deinde in Lycaeis; sic tota fere Italia peregrinatus est, a Mateola ad Liburnum, vix sibi et suis consulens, quod ut vitam umbratilem modestamque ducere posset, coactus erat domi scholas habere. Tunc vero eius gloria paulatim effulsit, et in Universitatem Bononiensem arcessitus est de grammaticis graecis ac latinis expositurus. Deinde Messanam mittitur, pauloque post Pisas. Anno MDCCCCVI, quod maximus est titulus honoris, Carducci successit in eadem aula et eodem suggesto, quod per fere decem lustra maximus Italiae vates litteratusque iudex summus tenuit, veram indagandi viam perspiciendique litterarum nostrarum monumenta iuvenibus ostendens. Tamen, quamvis summum honorum gradum attigisset, non animos extulit, non suas virtutes et sapientias ebullivit, non plausus captavit; sed simplex, ut humili loco erat natus, modestusque vixit, ingenio tantum exercendo deditus. Locorum quietis et tranquillitatis plenissimorum amans, in villam se libenter conferebat, ubi se ipsum suamque vitam simpliciorem reddebat adeo ut, omissis studiis, saepenumero sorori Mariae frugalem cenam instruenti opem ferret. Quid enim dulcius illi quam suis ipsum manibus panem cibarium conficere?

At licet incorrupta esset sanitate, in morbum gravem incidit qui, frustra adhibitis remediis, ut fulmen quercum postridie Non. proximi superioris mensis Aprilis sustulit.

***

Diximus de vita; nunc pauca de Pascoli Italorum carminum scriptore addamus, dum ad huiusce commemorationis consilium praecipuum contendimus.

Iohannes Pascoli poëta verus ac novus est, eiusque poësis tota dolore destillat. Per sententias discrepantes ad hanc affirmationem pervenit: vitam bonum esse omnibus, contemptis doloribus qui eam undique pertentant. « Umbra enim vana est prae illa quam quisque diligit et sperat amittitque; hanc umbram eques peregrinus sectatur ». (1) Poëtae dolor inhaeret in visceribus ac solitudine nutritur: ille enim dolet mortem patris barbare interfecti, inque exulcerato animo dolorum solacia in poësi tantum invenit.

Sunt qui negent Pascoli doloris omnium communis cogitationem comprehensionemque; at id falsum est. Is vero progreditur, suas imagines latius explicat usque ad tellurem fere in suo amplexu comprehendendam. Quomodo sensus sensibus succedunt! Quomodo se intus adspicit inquiritque auctor! Quomodo illa quae in se ipso adnotat in imagines convertit! Ulixes autem non ille est de quo fabulose narrat Homerus, sed novo spiritu afflat, ratione nostrorum temporum servata. Nam Pascoli antiquas fabulas iudicio quod huius est aetatis interpretatus, vetustas formas fere ex integro condit novisque ornat sensibus: poëta vivit, severitatem percipit vitae una cum perpetuitate eius. Nihil eum fugit: res minimae aeque ac maximae commovent.

Dixerunt nonnulli iudices subtiliores heroes *pascolianos* humanitate privos esse, tamquam si a sensibus sevocati, a corporibus seducti fuerint: hoc autem non satis liquet. Ut mille eae passim adhibitae voces blandulae, dulciloquae, lepidulae quibusdam nugae ac vana ornamenta videntur, quum sit poëta suae artis causa ad eas coactus, sic Pascoli vitam universam complectitur et eam vel in rerum parvularum progressione effingit: qui cogitat et agit; puellulam telam texentem; rusticum findentem terram vomere; opificem cotidiano suo operi incumbentem; aquilam et motacillam . . .; quippe qui omnia dilexit omnesque homines suo sinu complexuque recepit, eo magis quo sibi contemptiores hi visi sunt.

Quid autem de *Poëmatibus italicis* dicam, quae ita appellata sunt a magnis ibi viris agentibus, quaeque signo arbuti ornantur, scilicet illius silvestris indigenaeque arboris quae, sub prima nive cadente, rubras bacas habet floresque edit albos, ut cum viriditate foliorum perenni, Italicum nostrum vexillum efficiat?

Quid de carminibus in regis Entii memoriam, quorum materia ab omnibus illis rebus sumpta est, quae

(1) Vide carmen *La Felicità* in *Primi Poemetti.*

ad flavum principem a Bononiensibus captum in bello Fossaltino referuntur? En nobile ac vere maeonium poëma: lectori ante oculos durissimae obversantur aevi medii vicissitudines et remota revocantur tempora, dum in Italia potestas civilis atque mores et doctrina renovantur. In his omnibus experimentis inventionis felicitas apparet, sermo est purissimus, suavissimi sunt modi, ars procul dubio maxima est simplexque cogitationis vis.

*
* *

Quibus praemissis, illud attingamus, quod magis nostra interest: carminum latinorum Iohannis Pascoli tractationem.

De hoc argumento disputaturus, scilicet de Pascoli poëta latino, non possum in primis quin diluam ac refellam eorum sententiam, qui per hosce dies affirmare contenderint illius carmina nescio quodam artificio infecta esse nimiaque diligentia conscripta. Isti enim iudices morosiores, assueti adunco nare suspendere omnia quae latini sermonis vim dulcedinemque in vitam revocare velint conamina, scriptoribus id contendentibus leviter artificium exprobrant. Neque id mirum est, quum res eo pervenerit ut vel de illis poëtis qui renatarum litterarum tempore, optimorum Latinitatis auctorum vestigiis insistentes, quidquid versibus expresserint, praeclarum opus confecerunt, cursim ac fere cum contemptu nostra aetate diiudicatum sit! Quod si nonnulli fuerunt qui, latinitatis florem decerpendo, musivum quoddam opus exararent, in quo vera facultas poëtica desideratur divinusque impetus, iniecto verborum studio conquisitioneque, intercluditur, at quam multi, vel nova verba in linguam inducentes, ea usi sunt incorrupta sermonis integritate, sic optimis illis scriptoribus in proximo fuerunt, tantum in sua carmina venustatis, gratiae leporisque diffuderunt ut, si Vergilius Horatiusque redissent in vitam, minime ea suo nomini addicere dedignati essent.

*
* *

Pro mea parte, ad argumentum propositum rediens, dicam quod sentio.

In legendis carminibus latinis quae Pascoli, aureo usus calamo, contexuit, sic nos venustate summaque sermonis virtute allicimur, sic puro eius et quasi candido genere dicendi capimur, ut multa cum admiratione quaeramus num ipse in poësi Latina maiorem sibi laudem quam in Italica comparaverit. Eoque magis ad hanc sententiam inclinamus quod illa scripta, ut Carducci aiebat, omnium scriptorum veterum et praecipuorum quasi odorem suavem sapiunt. Nam aurea latinitate vel penitus imbutus, quippe qui nocturna diurnaque manu antiquitatis doctae elegantisque exemplaria versando, assidue in humanis litteris se exercuerit, in illis scilicet gravioribus studiis in quae nulla fere praetermittitur dies quin contumeliose invehatur, in suam rem optimorum auctorum doctrinam elegantiamque facile convertit et egregia prompsit, ut tellus laeta umores aetheris sorbens eosque alens in gremio, cum ver *adeo frondi nemorum silvisque utile* advenit et zephyris tepent dies ac sol acribus radiis amores in calicem torquet, gemmantibus herbis convestitur, novo tumet palmite, luxuriantem florum ornatum ostentat, unumquemque nostrum ad se mirantem trahit. Quod si huic exercitationi in qua Pascoli nimis elaboravit, ingenii facultates ad poësim propensi addimus, celeresque illius motus sine quibus nulla vera poësis esse potest, illudque praecipuum contuemur qua ratione fabulas antiquas interpretando minime vero a nostris temporibus se deflexerit, quin etiam ipsa commenticia ad humanam condicionem detorserit, facile intellegimus cur perfectus scriptor atque artifex in suo genere evaserit. Quod quidem iudices Amstelodamenses non latuit qui haud aegre ab omnibus carminibus missis *Pascolianum* semper internoverunt, quique vel hoc anno *Thallusam* non potuerunt quin aureo praemio ornarent « summi cantoris opus eximium, quo vix cogitari quidquam possit praestantius ».

Non desunt vero qui numeros Pascolianos quum valde admirentur, putent tamen eos a vera ac propria latinitate abesse; utpote qui novas imagines novasque sententias perquam dissimiles a veteri ratione sentiendi complectentes, auctorem coëgerint novo itineri se committere: scilicet, latinis verbis tantum servatis, et gestum et orbem et ipsorum verborum contextum artificiose variare, ita ut veteres optimique scriptores vix suae latinitatis halitum in illis tentaminibus agnoscant.

Quod quantum nutet solidisque careat fundamentis, nemo est quin videat. Nam, si reapse Pascoli nova quaedam pigmenta adhibet ad suum scribendi genus exornandum, nunquam vero ab exemplaribus sibi propositis deflectit; atque eadem ratione qua eius carmina non hemistichiis frustulisque antiquis una collectis et consutis constant, ut nonnullis videtur, sic facile calamistra ac lenocinia locutionis diruuntur, quibus ea carmina inspersa esse nonnulli quodam opinionis errore adducti dixerunt. Sive enim poëta antiquas fabulas vetustaque monumenta canit, sive Musam suam flectit ad humiliores gracilioresque res versibus effingendas, summus semper et felicitate inventionis et sinceritate atque splendore numerorum evadit.

Dum scribo, implet adhuc aures meas et iucunditate perfundit illius vocis moderatio, quae superiore anno laudes Romae celebravit. Quid hymno in Romulidum genitricem urbem excogitari possit excelsius, maius, praestantius, nescio. In eo enim sane ambigitur utrum sermo latinus plus addat vetustis monumentis splendoris ac gloriae, an ista sermoni qui plane cumulateque perfectus est. Mirum opus et Roma dignissimum, per quod aeternum sonat poëtae vox, ut adhuc fori reliquiae et *sacri Palati* ruinae spectantium oculos alliciunt. O qui sonorum concentus! O quanta in sermone maiestas!

Video fere per somnium heroes illos qui in prima urbis origine fuerunt: Pallantem, cui fuit ex arbuto compositus lectus; Faunum lucos et saxa Palatina habitantem; divos gemellos in equis immortalibus ante aeratas cohortes euntes... Assiduum audio Thybridis murmur, agnorum balatus, vigilantis bucinae sonitum caecam noctem findentis, passerisque cantum silvestri culmine salientis... Video autem saxum Capitoli muscoso sparsum rudere, immemores vaccas paventes Palatia, pastores circum domibus silvestribus ignem subdentes, mutantesque muris umbracula... denique Romam exsistentem sulco ac prorsus in imperium magnum passu aequo gradientem..... At quo ferar? Quo ardore conflagrabo? Quo gaudio percitus adducar?

Non possum tamen quin hosce referam versus:

. . . . Silebat
gloria iam Romae, iam sacri fana Palati
corruerant. Vetus haec late tenet omnia rudus.
Plurimus obicitur caespes frondentis acanthi
atque oblita sui caecis de stirpibus arbos;
et lapidis fragmenta iacent in sentibus albi
lapsaque subrident scolymis capitella severis.
Instant semiruti muscoso fornice muri
herbaque de rimis quatitur vitriaria vento,
pendula ut a tuguri sordentis scruta fenestra.
Hic pictos in calce deos iam diluit imber,
hic male fixa truces scindunt aulaea procellae.
Est lapidum scabies, sunt saxa virentia musco,
sunt putres hederis freti cingentibus arcus.
Ignaris haec apparent velut antra gigantum
qui iam rixati disiectis undique saxis
nunc absint procul atque errent in montibus altis.

Quid his imaginibus optari possit pulchrius? Quid absolutius elegantiusve? Num quis possit romana monumenta ruderibus adspersa melius concelebrare? Ego quidem magnificam hanc descriptionem praefero illis Sannazarii versibus ruinas Cumarum, urbis vetustissimae, deflentibus:

. . . .
Atque ubi fatidicae latuere arcana Sibyllae,
  nunc claudit saturas vespere pastor oves;
quaeque prius sanctos cogebat curia patres,
  serpentum facta est alituumque domus.
Plenaque tot passim generosis atria ceris
  ipsa sua tandem subruta mole iacent.
Calcanturque olim sacris onerata trophaeis
  limina; distractos et tegit herba deos.
Tot decora, artificumque manus tot nota sepulchra,
  totque pios cineres una ruina premit.
Et iam intra solasque domos disiectaque passim
  culmina setigeros advena figit apros. . . . .

***

Diximus nuper vel in rebus humilioribus concinendis Pascoli summum evasisse.

En habeo «*Myrmedon*», carmen venustissimum ac lepidissimum, in quo formicas providas laborumque patientes poëta laudat. Eligo descriptionem bestiolarum inter se proeliantium:

. . . . . Erumpit nigris directa maniplis
iam legio, longumque nigram terit agmen arenam.
Explorant Numidae, galea spectabilis alba
Centurio effusos cogit, propellit inertes:
Non tumuli tardant, rapido non flumine rivi.
Protinus inicitur connexo pensilis ipso
milite ponticolus: viva rate iungitur amnis.
At tumulum terebrisque cavaut et cruribus aequant.
Iam taciti subeunt hostilis moenibus urbis.
Fit via vi: vigiles portis caeduntur in ipsis:
iam vallum scindunt, capta versantur in urbe.
Tunc exsudatae populantur messis acervos.
Horrea diripiunt, tectorum limina frangunt,
et trepidas iugulant nutrices ovaque secum
heu tenerosque ferunt incerto corpore natos. . . . .

Quantum inest vis ac roboris in his versibus! Quo genus scribendi lumine ornatur! Nempe Pascoli rem penitus cognoscit, elegantis vetustatis cultum cum scientiae pervestigatione mire coniungit, ac dulcis poësis velamine tenuium formicarum vitam moresque obumbrat.

Sed operae pretium est unumquodvis carmen propius perpendere.

De variis iisdemque cedro sane dignissimis carminibus, quae Pascoli in illud difficillimum certamen Hoeufftianum misit, quaeque fere quotannis in conventu Ordinis Litterarii a iudicibus praemio ornata sunt, hoc unum eligo quod *Paedagogium* inscribitur, quodque optimo quidem iudicio huius Commentarii lectoribus velut dapes gratas nectareasque moderator praeclarus offerre voluit. (1)

Simplex est carminis textura, nihil abstrusum et arduum, nullus verborum tumor, nulla prope dixerim putidula rerum conquisitio: argumentum non enucleatur per ambages, sed cito evolvitur, ad conclusionem properans, alacritate ac venustate sermonis exornatum.

Duo pueri, Kareius et Alexamenos, in aedibus Palatinis obsides, Pio Severo imperante, alienigenae, romanas litteras discentes, varii inter se patria, moribus ac religione, quippe alter, ludis deditus, invitus studeat idolorumque cultum profiteatur, alter vero, a ludo remotus, unice in studium incumbat Christianoque cultui adhaereat, mutuo contendunt, et parum abest quin res ad manus veniat. Statim a custode dividuntur; ethnicus puer in contiguum conclave foribus reclusis ducitur, ubi, postquam diu pede terram tutudit ac genas laceravit lacrimasque copiose effudit, rapto graphio, in pariete, cum quodam contemptu, crucem inscripsit, fixumque hominem asinina cervice auritoque capite, puerumque adstantem oscula seu thura pecudi, in stipite fixae, praebentem adiecit. Quo facto, sub puero talia ministrante, sodalis sancti nomen insculpsit. Quum vero nox advenit sodalesque omnes, somno gravati,

(1) Cfr. num. sup.

dormiebant, ethnicus unus dormire non poterat, utpote cum anxium patriae cura ac parentum sollicitaret. Dum autem per noctem vigiliis vexatur, sodalem sanctum quem in die offenderat, preces quasdam tenui susurro proferentem audit. Commotus veniam poscit Kareius. Tunc Alexamenos, pro sua benignitate, amicum maerentem solatur, alloquitur eum de patria ac parentibus quos alter posse visere desperat, et dexteram porrigit. Brevi, de Deo sermo fit. Kareius, qui proclivior ad iram est, quippe qui solus, orbus parentibus, exspes, auditis illis verbis de religione et vero cultu, paulatim exsurgit, nescio quae maesta carpit solatia ac somno indulget placido.

Mane novo praetor Alexamenon obiurgat quod, ut fama fertur, se Christo addixerit, eumque admonet crucem linquendam esse malis latronibus et fugitivis. Quumque vero minime dissuadére possit, altera ex parte confisus gregem fore salvum, ecce Kareius qui se Christicolam profitetur,

. . . . et offert
Se fratri, iunctaque manu comitatur euntem.

En habes argumentum carminis, suavis sententiolis et imaginibus, suavioris vero nescio quadam maestitia quae passim inde efflat. Quam bene puerorum ludi et rixae effinguntur! Quanam arte puerilis aetas ac mores sub oculos subiciuntur! Quam mire volucrum consuetudines expressae se nobis ostendunt!

Ut cum deiectus subitis de nubibus imber
diversas oppressit aves et adegit in unum:
omnigenae coeunt in densum frondibus hortum
aut nemus impluvii, et tacitae, dum detonet, una
sub foliis latitant, ubi nescit passer alaudam
iuxta tendentem nec non acalanthida parus:
vix autem coepit per destillantia circum
omnia ramorum splendescere versicolor sol,
altera iam plaudit, iam pipilat altera, mussant,
pileolum de fronde rubens haec exserit, atrum
illa galericulum, dein ludunt, en micat alis
omne nemus variisque sonant concentibus aedes.

Poëtam fere pictorem dicas qui, variis sibi coloribus assumptis, sapienter eos ministrat, ut res poscit, modo profundens, modo adumbrans, ita ut tabula, variis partibus exornata, spectantis animum moveat. Pascoli enim argumentum assumptum sapienter distribuit, atque nativa venustate sermonisque gratia vivace decorans, pulcherrimis descriptionibus intextis, ex quibus magis eius animi candor emicat, propositum assequitur. Forsan huc illuc obiecerit quis nescio quasdam audaciores latine scribendi formas et verborum consecutiones, nonnulla sententiarum insignia, nonnulla vocabula haud semper de purissimo fonte deprompta, quaedam denique paucissima a perfecta latinitate abhorrentia. At illud Horatii subit mentem:

Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
offendar maculis . . . .

Utcumque est, haerent animis nostris fixae, et semper haerebunt, suaves illae narrationes aut descriptiones ornandi causa interpositae, quarum Pascoli est peritissimus ac nulli secundus (vide, exempli gratia, puerorum lusus aviumque fugam sub imbris adventum in *Paedagogio*); manent semperque manebunt suavissimae illae imagines quas poëta artifici manu effinxit *(Phidyle, Pomponia Graecina)*; alliciunt semperque allicient nos venustissima illa bucolica, per quae Vergilius ipse in nostras aures loqui videtur; placet semperque placebit magna illa colorum pulchritudo ac varietas, qua carmina mirum in modum distinguuntur; admirationem movent semperque admovebunt omnia illa difficilia tentamina nostras res latine reddendi; denique poëmatia supererunt, quod verae poësis vestigia prae se ferunt. De his enim recte dici potest quod M. Antonius Flaminius ad Andream Naugerium scripsit:

Quot bruma creat albicans pruinas,
quot tellus zephyro soluta flores,
quot spicae Libycis calent in agris,
quot vindemia porrigit racemos,
quot vastis mare fluctuat procellis,
cum nascens pluvias reportat hoedus,
quot Ceraunia frondibus teguntur,
quot caelum facibus micat serenum,
quot sunt milia multa basiorum
quae dari sibi postulat Catullus,
quotque sunt atomi Lucretianae,
tot menses, bone Naugeri, tot annos
vivent aureoli tui libelli . . . . .

Atque utinam — ominari licet — *diffractis clathris*, quam primum in unum conglobata huiuscemodi poëmatia in vulgus proponantur et venalia fiant! Tunc facile unusquisque noscet quam clarissimus in latina poësi Pascoli, pressis Catulli, Vergilii Horatiique vestigiis, exstiterit et quantam in litteris, ob eius mortem, iacturam fecerimus.

***

Nunc autem in gremio matris almae Pascoli quiescit, illius scilicet matris quam versibus elegantissimis cecinit, cuique velut piissimus memorque filius preces suas fundebat. Iam nunc vita rigescit poëtae qui bonus iam a prima adulescentia simplexque moribus ac ratione vivendi fuit, et sibi semper, vel in diebus maxima luce fulgentibus, usque ad diem ultimum constans.

Date nunc flores tumulo, pueri puellaeque: colligite, intexite rosas, lilia, violas, amaranthos, omnigenam camporum floram, eiusque sepulcrum ornate. In eo enim conditur qui vos celebravit, qui Floram dilexit, qui summis in deliciis habuit rus, qui vere videbatur vivere veroque gaudio frui quum rus excurreret, et remotus ab urbium strepitu, camporum dulcedinem, aquarum murmur, viridantia pratorum germina, stridorem avium pipilantium floresque fragrantes admiraretur. Ni fallor, at mihi videtur eximium sui amatorem Natura perdidisse; hinc vero oportet ut Natura vestem lugubrem sumat eumque lacrimis uberibus defleat.

Quod si scriptor qui humiles res adamavit cecinitque, pulchrioresque vero ac sinceriores comparationes de rebus naturae in suos versus derivavit, quemque ipsa Natura elegit ut ipsius ornamenta patefaceret, iam nunc compositus est in tumulo expectaturus dum salix benignam optatamque umbram porrigat, eius vero opus, eius scripta venustissima et comptissima, sive italico sermone sive latino exarata, stabunt et vigebunt donec Natura cum suo magnifico florum tegumento in pretio erit; donec animos iustitia alliciet et dolor interiores poscet fibras et pietas amorque pectora mortalium refovebit; donec, prope dixerim, Roma stabit cui splendidus ille hymnus arcte subiungitur. . . . . .

Consentiae, Non. Mai. a. MCMXII.

MARCUS GALDI.

Actus fidei, qui "credere,, dicitur, investigatur

Fides virtus et quidem supernaturalis est, imo inter theologales virtutes primatum tenens. Actibus propterea diversis pollet, quorum primus « credere » vocatur, quique actus, *internus, externus*, *implicitus* et *explicitus* esse potest. Quamvis saeculo, quod merito *infidele* denominari potest, vivimus, circa naturam, divisionem, necessitatem, meritum, necnon proprietates actus *credendi*, innumerae nostris diebus agitantur quaestiones; tanta est fidei divinae in humanis animabus indigentia! Easdem in praesenti articulo quaestiones in examen revocaturi, unice brevitati studebimus.

***

Iuxta Modernistarum somnia « credere » solius voluntatis, non autem intellectus actus est; vel indigentiae cuiusdam, vel cuiusdam dispositionis effectus; vel est quidam instinctus in homine existens. Aliter sentiunt catholici, quos inter S. Augustinus, S. Thomas, Card. Newman, eminent. Hic, actum qui « credere » est, tali modo describit: « Credere idem valet ac timendam hanc veritatem sentire "nos Dei creaturas esse,,; idem est de facto ac in mundum invisibilem intrare! Est vere existimare mundum pro felicitate nostra sufficientem non esse; est usque ad ipsum Deum assurgere ipsumque praesentem habere, adventum illius exspectare, ac voluntatis eius adimpletionem curare... Credere est Deo se submittere, atque in manus eiusdem humiliter se tradere. Penes scriptores inspiratos, fides et obedientia res sunt synonymae; ideoque credere est res invisibiles accipere, non quasi per rationem experientiamque de earum existentia certiores esse possimus, sed solo rerum invisibilium amore ducti. Fides supra syllogismum quemcumque est, an res reliqua magis minusve verisimilis sit non quaerit; dummodo quaedam probabilitas voluntatem Dei credenti manifestet, fidei submissio habetur. Fides non ab evidentiae gradibus mensuranda est ». (1)

S. Augustinus (2) de fidei actu scribit: « Quamquam et ipsum credere nihil aliud est, quam cum assensione cogitare. Non enim omnis qui cogitat, credit; quum ideo cogitent plerique, ne credant; sed cogitat omnis qui credit, et credendo cogitat, et cogitando credit ».

Angelicus Doctor quamvis multis repetens vicibus: « Credere est actus intellectus, secundum quod movetur a voluntate ad assentiendum... Credere est immediate actus intellectus, quia obiectum huius actus est verum quod proprie pertinet ad intellectum... Credere non habet assensum, nisi ex imperio voluntatis; unde secundum id quod est, a voluntate dependet... Credere ad intellectum pertinet, prout est a voluntate motus ad assentiendum... Ex affectione quis inclinatur ad fidem: credimus enim quia volumus »; (3) dum tamen quaerit (4) « Utrum credere sit cum assensu cogitare » et rursus (5) « Quidnam sit credere, » S. Augustini definitionem actus credendi sumit, eamque taliter explicat: « Videlicet *credere* est cum assensu cogitare, si accipiatur "cogitare,, non *communiter* pro qualicumque actuali consideratione intellectus, sed *magis proprie*, prouti est consideratio intellectus, quae est cum quadam inquisitione, antequam perveniatur ad perfectionem intellectus per certitudinem visionis, et prouti est, motus animi deliberantis, nondum perfecti per plenam visionem veritatis ». Credere enim taliter sumptum differt *a)* ab actibus mentis qui sunt *scire* et *intelligere*, quia in hisce est utique firma adhaesio intellectus, sicut in actu qui est *credere*, sed dum in primis est visio veritatis in se, in secundo visio illa deest — *b)* Ab actu qui est *dubitare*, quia in dubio, mentis adhaesio non est firma, e contra in actu qui est *credere*, adhaesio praestita ab intellectu veritatibus fidei, firma est — *c)* Ab actu qui est *suspicio*, quia in suspicione, motiva non sunt firma, e contra in ipso *credere* motiva assensus firma sunt — *d)* Ab actu qui est *opinio*, quia in opinione pars opposita timetur, in ipso *credere* vero, nullus est partis oppositae timor. (6)

Conformiter ad S. Thomae doctrinam optime Salmanticenses scribunt: « (7) Actus evidentes, quales sunt qui attingunt prima principia, et conclusiones scitas, important quidem firmam adhaesionem, sed cogitationem, sive ulteriorem disquisitionem excludunt; actus autem inevidentes, cuiusmodi sunt dubitatio, suspicio, et opinio, cogitationem quidem afferunt, sed ad firmitatem assensus minime pertingunt: utrumque vero importat actus credendi ». Concludere fas est, *credere* esse

(1) *Parochial and plain sermons* III, VI; VI, XVIII. BREMOND, *Psychologie de la foi*, p. 312-313.
(2) *De Praedest. Sanct.* 2, 5. M. 44, 963.
(3) 2-2ae 4, 2, ib. 2, 2; *De Verit.* 14, 3, 4.
(4) 2-2ae 2, 1.
(5) *Id. de Verit.*, 14, a. 1.
(6) 2-2ae, 14, ad 2. « Non enim crederet, nisi videret ea esse credenda vel propter evidentiam signorum vel propter aliquid huiusmodi ».
(7) V, XI, *Tract. de fide*, q. 2, a. 1.

actum supernaturalem intellectus humani, sub imperio voluntatis a Deo motae positum, quo actu firmiter assentit fidei veritatibus, non quidem in se visis sed evidenter credibiles.

Propter diversam huius actus, qui est *credere*, relationem ad ipsum Deum expressiones oriuntur : « Credere Deum, credere Deo, credere in Deum ». Credere Deum, idem est, ac existentiam Dei credere ; credere Deo, vult dicere, credere Deo veritates fidei revelanti; credere in Deum dicere vult, Deum esse finem ultimum humanae vitae. (1)

***

Praeter hoc *credere internum, credere* etiam *externum* datur, quod est « confessio externa eorum quae sunt fidei ». Credere *internum* et *externum* inter se comparari possunt, uti locutio interior et exterior comparantur. Locutio exterior ordinatur ad significandum id quod in corde concipitur, dum credere externum ordinatur ad significanda ea quae interius credimus, ideoque « sicut conceptus interior eorum quae sunt fidei est proprie fidei actus, ita etiam et exterior confessio ». (2)

Circa necessitatem utriusque actus fidei, differentia quaedam asserenda est :

I. *Credere internum* est necessarium ad salutem. Concilium enim Vaticanum (c. 3 *De fide* Denz. 1642) statuit : «Sine fide impossibile est placere Deo, et ad filiorum eius consortium pervenire... nec ullus nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam aeternam assequetur». Ratio S. Thomae est, quia « ultima beatitudo hominis consistit in quadam supernaturali Dei visione. Ad quam quidem visionem homo pertingere non potest, nisi per modum addiscentis a Deo doctore... Unde ad hoc quod homo perveniat ad perfectam visionem beatitudinis, praeexigitur quod *credat* Deo tamquam discipulus magistro docenti ».

II. *Credere externum* e contra « non semper neque in quolibet loco est de necessitate, sed in aliquo loco et tempore »: *a)* « Non semper neque in quolibet loco » quia confessio fidei est affirmativum praeceptum, « praecepta autem affirmativa... non obligant ad semper, etsi semper obligent ; obligant autem pro loco et tempore, et secundum alias circumstantias debitas, secundum quod oportet actum humanum limitari ad hoc quod sit actus virtutis». — *b)* « In aliquo loco et tempore » quando scilicet per omissionem huius confessionis subtraheretur honor debitus Deo, et etiam utilitas proximi impendenda : puta si quis interrogatus de fide taceret, et ex hoc crederetur vel quod non haberet fidem vel quod fides non esset vera, vel alii per eius taciturnitatem averterentur a fide. In huiusmodi enim casibus confessio fidei est de necessitate salutis ». (3)

(1) Cf. S. Th. 2-2ae, 2. 2.
(2) 2-2ae, 3, 1.
(3) S. Th. 2-2ae, q. 2. a. 3 ; q. 3, a. 2.

Circa autem meritum actus qui est « credere » retinendum videtur, utrumque credere, *internum* nempe et *externum*, esse meritorium, quia ambo subiacent imperio libertatis humanae, et ubicumque habetur imperium libertatis, meritum quoque habetur. — *a)* Subiacet imperio libertatis humanae *internum credere,* quia nemo credit nisi volens, et voluntas est quae intellectum movet ad assentiendum. — *b)* Subiacet imperio libertatis *credere externum*, quia nisi homo velit, non manifestat exterius ea quae vel in corde illius sunt, quaeque ab eo creduntur. (1)

***

Credere denique *explicitum* vel *implicitum* esse potest. Credere aliquid explicite iuxta Billuart (2) est illud credere sub propriis et particularibus terminis, sub quibus nobis proponitur : sic credit explicite mysterium Incarnationis qui credit Filium Dei assumpsisse naturam humanam et Christum esse Deum et hominem ; credit explicite mysterium Trinitatis qui credit Patrem et Filium et Spiritum Sanctum esse unum Deum et tres personas. Credere autem aliquid implicite, est credere in alio, sive ut in principio universaliori in quo continetur, sive in sensu magistri, cui adhaeretur, sive ut in umbra et figura, quae scitur habere significationem, quamvis res significata clare non cognoscatur. Iuxta Suarez (3) explicite credere, nihil aliud est quam credere aliquid in seipso, ita ut illud sit proximum obiectum in quo cadit assensus fidei : credere autem implicite est credere in alio tantum.

Pro nobis, veritas aliqua fidei potest primo explicite vel implicite credi ; secundo debet explicite vel implicite credi. Potest explicite credi, si intellectui credentis explicite verbis omni remoto velamine proponitur ; implicite vero si intellectui credentis sub velamine et umbra quadam et tamquam in alia veritate contenta fuerit enuntiata ac proposita. Debet autem veritas quaedam explicite credi si : 1° fuerit intellectui credentis explicite proposita ; 2° si de illarum veritatum genere sit, quae per semetipsas ad fidem pertinent, idest quae fideles directe ordinant in vitam aeternam. Si secus sit, si videlicet una ex assignatis conditionibus deest, fideles tenentur veritatem fidei implicite credere, nempe prouti Angelicus (4) ait: « In praeparatione animi, in quantum paratus est credere quidquid in divina Scriptura continetur. Sed tunc solum huiusmodi tenetur explicite credere, quando hoc ei constiterit in doctrina fidei contineri ».

Reginaldus Fei O. P.

(1) S. Th. 2-2ae 2, 9.
(2) Tom. V, *de fide*. Diss. 3. a. 2,
(3) De fide. Disp. 2. Lect. VI, 2.
(4) 2-2ae, 2. 5.

Percontatorem fugito, nam garrulus idem est
Nec retinent patulae commissa fideliter aures.

Horat. *Epist.*, I, 18.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

A Scylla in Charybdim.

Dicitur vulgo adagium quum gravius malum vitantes in alterum diversum incidimus. — Sumptum ab Homerica fabula, quae narrat Ulyssem, quum metu Charybdis propius ad Scyllam navem admoveret, sex e comitum suorum numero perdidisse. Pausanias in *Corinthiacis* meminit, Scyllam Nisi, Megarensium regis, filiam fuisse, quae propter aureum crinem ademptum patri, in monstrum marinum conversa sit; cui videtur assentiri Vergilius in *Bucolicis*, quum ait:

Quid loquar, aut Scyllam Nisi, quam fama secuta est
Candida succinctam latrantibus inguina monstris,
Ah timidos nautas canibus lacerasse marinis?

Servius indicat, Scyllam Phorci et Crateidis nymphae fuisse filiam. Hanc quum amaret Glaucus, Circe, quae illius amore tenebatur, fontem in quo nympha lavari consueverat, magicis venenis infecit. In quem quum illa descendisset, ventre tenus in varias mutata est formas; id enim Circae peculiare, in ferarum figuram homines vertere. Horrens itaque suam deformitatem, sese in mare praecipitem dedit ac fabulae praebuit argumentum.

Sallustius Scyllam explicat esse saxum in mari prominens, quod procul visentibus muliebrem formam imitetur, in quod illisi fluctus, quoniam et luporum eiulatum et canum latratum viderentur imitari, finxerunt illam a ventre huiusmodi feris succinctam esse.

In Graecorum commentariis invenimus, triremem fuisse quamdam mirae pernicitatis, cui nomen fuerit inditum Scyllae, quod hac grassantes piratae mare Tyrrhenum ac Siculum infestarent, reliquasque naves, quotquot praeteriissent, dispoliarent; atque hinc natam fabulam.

De Charybde vero narrant poetarum fabulae, hanc foeminam fuisse voracissimam, quae, quod Herculis boves rapuisset, a Iove fulmine icta, in mare praecipitata fuerit, et in huiusmodi versa monstrum, quod adhuc pristinam servat naturam.

Servius ait Scyllam saxum in Italia esse, Charybdim in Sicilia, ac Vergilius in III *Aeneidos* transitum inter duo pericula angustum eleganter describit:

Haec loca vi quondam vasta convulsa ruina
(Tantum aevi longinqua valet mutare vetustas)
Dissiluisse ferunt quum protinus utraque tellus
Una foret; venit medio vi pontus, et undis
Hesperium Siculo latus abscidit arvaque et urbes
Littore diductas, angusto interluit aestu.
Dextrum Scylla latus, laevum implacata Charybdis
Obsidet.

Et alibi idem:

Inter utramque viam lati discrimine parvo
Ni teneant cursus...

Homerus in *Odysseae* XII periculum utrumque multis verbis describit facitque Circen admonentem Ulyssem, ut ad Scyllam potius inflectat cursum quam ad Charybdim, propterea quod praestet sex e sociis desiderari quam pariter omnes interire, declarans nimirum plus discriminis esse in Charybdi, quam in Scylla.

Adagio trifariam uti licebit, vel quum admonebimus, si quando in eas rerum angustias deventum fuerit, ut citra dispendium discedi non queat, e duobus malis id quod levius est eligamus, videlicet Ulyssis exemplo, et magis in eam vergamus partem, ubi minus sit iacturae. Quod genus, si quis pariter et de salute et de pecunia periclitetur, malit propior esse pecuniae, quam vitae periculo, propterèa quod facultatum iactura utcumque sarciri potest, vita semel amissa nunquam restituitur. Vel quum ostendamus negotium anceps et periculosum, in quo summa moderatione sit opus, ut in neutram pecces partem. Hic iam non habebitur ratio utrum maius sit periculum; verum hoc tantum intelligitur, ingens utrobique discrimen subesse. Prioris exemplum fuerit: Memento longe satius esse in dispendii Scyllam incidere, quam in valetudinis Charybdim. Praestabilius est in rei pecuniariae iacturam, velut in Scyllam incurrere, quam in infamiae Charybdim incidere. Posterioris hoc: Caute circumspecteque rem gerito, memor tibi inter Scyllam et Charybdim esse cursum. Tertius fuerit modus, si invertas hoc pacto: Dum parum eruditus videri times, in arrogantis opinionem incurristi; hoc est plane quod dicitur: Dum Scyllam vitas, in Charybdim incidisti.

Notandus denique est celebratus apud Latinos hic versiculus, quocumque natus auctore:

Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim.

Cocta numerabimus exta.

Diomedes grammaticus, ubi proverbium definit, hoc exempli vice subiecit. Cuius hunc adscribit esse sensum: «Ex eventu sciemus»; cui confinis color ille comicus, etiam apud Graecos; «Res indicabit». Nam, ut ait Ovidius: *Exitus acta probat.*



AEDES MARIAE PACIFERAE

ad Albam Dociliam (vulgo *Albissola*) (1)

Principem Pacis (2) *cecinere sacri*
Codices Christum; gerit et Maria
nomen haud dispar, vocitata Pacis
alma Sequestra.

Oppidum Stellam, Ligurum per oras,
atque confinem diuturnus Albam
livor urebat; dederatque silva
litibus ansam.

Iura lignandi sibi vindicabant
invidi cives utriusque castri;
saepe turbabant nemoris quietem
iurgia, caedes.

Arbitros consul Genuensis aequos
misit, at frustra: nihil aequiore
arbiter scito, nihil ipse miles
proficit armis.

Caecus ad pugnam furor oppidanos
urget; indictus locus est diesque
praelio; binas acies agellus
separat arctus.

Arma sunt: querni baculi, gravesque
mallei, falces et adunca rastra,
asciae, palae, trifidoque dente
horrida furca.

(1) Oppidum Albissola, quod Alba Docilia sonabat apud veteres Romanos, situm est in ora pulcherrima maris Ligustici, haud procul ab urbe Genua; ortum dedit Pontificibus Romanis Xysto IV et Iulio II. In parte oppidi montana, surgit aedes Deiparae sacra, quae vulgo a Pace nuncupatur.

En huius nominis origo, qualis in priscis loci annalibus accurate describitur.

Inter cives *Albanos* et *Stellenses* (est autem *Stella* oppidum conterminum) saeculo XV, acris exorta erat lis ob incertos limites intermediae silvae. Hinc frequentes rixae, quin etiam praelia et caedes. Frustra magistratus Genuensis, cuius in ditione erant loca, arbitros misit qui iura definirent; ac milites qui rebelles coërcerent. Eo tandem simultates devenerunt, ut dies locusque indictus fuerit, quo, per viros universos cuiusque castri, res tota armis decerneretur. Fuit autem dies illa XVIII Octobris a. MCDLXXXI. — Interea, dum pugnaturi conveniunt, matres, uxores, parvuli senesque, qui cum sacerdotibus domi remanserant, templum ingressi, enixis precibus carorum suorum incolumitatem bonamque pacem a Deo implorabant, interposito etiam Deiparae Virginis suffragio. Nec vana fuit eorum deprecatio. Mox enim mira illa contigerunt. quae in carmine memorantur: apparuit nempe nubes lucidissima, quae pugnam intercepit; audita vox est, e nube demissa, quae nomen *Pacis* ter pronuntiavit; statimque secuta est communis animorum reconciliatio, cuius, ad hodiernum usque diem, testis est templum, Virgini Paciferae aedificatum. — Sanctuarii primi custodes fuerunt Fratres Minores, et postea Sodales Augustiniani. — Nuper vero haec cura tradita est Patribus a SS. Redemptore.

(2) Is. IX, 6.

Interim matres, pueri senesque,
quique certamen reprobat sacerdos,
ante divinae Genitricis aram,
poplite flexo,

supplices orant (lacrimosa turba)
ne mali quidquam cadat in propinquos,
neve Pax tardet, reditura, bellis
ponere finem.

Mira res! fusâ prece vix piorum,
advolat campis, ubi fervet ira,
clara, quae solis radios videtur
vincere, nubes.

Candidam lucem stupuere cuncti;
omnis armorum strepitus repente
cessat; in caelum sua quisque, mirans,
lumina vertit.

Ecce, de nubis gremio, canora
vox sonat Pacem, ter idemque nomen
editur, quod iam cecinere nato
sidera Christo.

Pacis extemplo modulos recantat
centuplex echo, reboantque rursus
ardui montes, riguaeque valles
pontus et ingens.

Ipsa proclamant inimica castra
redditam Pacem; volat hinc et inde
vox salutantum; fremor osculorum
verberat auras;

aera pulsantur sacra, more festo;
vis tonat nitri; loca celsa fulgent
igne nocturno; reducique plaudunt
omnia Paci.

Plura quid dicam? Mariale surgit,
quà patres foedus pepigere, templum,
suave cui Pacis, superis amatum,
nomen inhaesit.

Heu! furunt aevo truciora nostro
bella, quae vano premit Haga (1) *nisu;*
tu, Parens Christi, precor, Iris alma, (2)
assere Pacem.

FRANC. XAV. REUSS.

(1) Id est Consilium Paciferum quod, communi gentium consensu, in urbe Haga apud Batavos constitutum est.
(2) GEN. IX, 12-17.

DE LUSU QUI VULGO DICITUR "DOMINO"

— Quoniam pluit, et mirum in modum pluit, et nos iuvenes ludere volumus, si non est clamose neque in acie ex pugnantium more ludendum, molliter tamen ludamus et placide.

— Quomodo vero?

— Tesseris ludendum est.

— Placet?

— Verum id paucissimis permittitur! Ad summum sint quatuor. Et nos centeni sumus et amplius.

— Non placet.

— Res omnis tamen est amice componenda. Quatuor re ipsa ludere consueverunt, sed alii circum ordine positi, oculis, ore, labellulis ludetis, et mira sane animorum voluptate. Sic vos pugnabitis « belligeris a gentibus undique septi, » qui certaminis consortes alios visu veluti participes operum ad ludendum compellant.

— Si ita est, incipite.

***

Hic ludus ex Gallia novissime venit, et vocari solet *Domino.* Sunt quadraginta et amplius tesserae, ita vero distinctae ut binae binae usque ad numerum sex perveniant. Hae tesserae sic se habent. Prima nihilum signat, secunda, ex una parte nihilum refert cum numero uno, atque ita usque ad sextum. Sic est de ceteris.

Vis autem ludi, seu potius ludentis peritia, in eo tota est posita, ut quam citissime tesseras suas ex ordine numerorum deponere possit una simul optime concordantes.

Hic tamen ordo est potissimum servandus. Tesserae sunt in medio positae sus deque omnes conversae. Singuli ludentes, si tres sunt vel quatuor, vel etiam quinque et sex, sorte tesseras sibi studiose eligunt.

Tesserae in primis designantur unicuique sex vel septem. Quis autem princeps iocum init?

Qui sortitus est tesseram bina sex referentem, hic incipiet; hic tandem est rerum ductor. Si vis industrius rem facile intelligere, in me oculos mentemque vertito.

Alveolus ligneus est aliquando, saepe saepius est ipsum pavimentum. Qui iniit lusum cum binis sex est data facultas vel hinc vel inde tesseram secundam adiungere, dummodo ex aliqua parte cum numero anteposito componatur. Tunc dextrorsum per orbem quisque tesseram ponit, qui cum novissimo perfectissime concordat.

Iam paullo superius annui industriam esse ludentibus in omnibus tesseris quantocius ponendis, et si forte vel arte tibi contigerit per orbem tesseras optime aptare, victor eris. Quum vero numerus dissimilis erit, tunc hic praetermittitur, et ipsum excipit qui sequentem locum obtinet.

Res prospere tibi vel illi procul dubio cesserit, si tesseram post tesseram ponere potuerit.

Adsunt et multi qui pignore contendunt, partes huius vel illius faventes, et exultantes illud Vergilii repetunt :

Depono : tu dic mecum quo pignore certes?

Ipsi suis micant saepe, nictant, adnuunt; sunt et qui negent, oculis refutent, quum suus tesseram ponere reluctatur bonam vel incomposite se se in ludendo gerit vel inconsulte. Tunc omnium « trepidant sub pectore fibrae ».

Lis vero quam citissime «pede labitur aequo» si plures adsunt contendentes. Quando vix duo sunt vel tres, tunc si casu tesseram non habeas quae undequaqne sit consors, ex tesserarum cumulo quae sunt in medio positae, vel unam vel plures exspiscari poteris, usque dum illam sortiaris, quae maxime cum alia concordet.

Victoria tibi nimis tunc ardua fiat quod plures sint tibi sic tesserae in posterum iaciendae, nisi forte adversarius in idem inciderit periculum. Tu vero mente recogita quas potius habeat tesseras, et quoad poteris, cura ne tute ei victoriam conferas.

Qui primus novissimam tesseram apte collocaverit:
Plauditur et magno palma favore datur!

Inferior adpellatur et poenam cum damno persolvet, qui omnium ultimus cum tesseris remanserit.

SUBALPINUS.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Concilii.

Litterae circa dies Festos.

Plurimis ex locis pervenerunt ad S. Congregationem Concilii supplices libelli, quibus instantissime postulatur ut omnes aut nonnulli dies festi de numero festivitatum sub praecepto per litteras Apostolicas diei 2 Iulii 1911 expuncti, in pristinum restituerentur, tum ad satisfaciendum pietati fidelium id enixe expetentium, tum ob alias peculiares cuiusque loci rationes. Potissimum vero supplicatum fuit ut festum SSmi. Corporis Christi celebrari posset cum solemni processione et pompa, ut antea, feria V post Dominicam SSmae. Trinitatis, eam praesertim ob causam quod huiusmodi processionis defectum non sine animi moerore et spirituali iactura pati viderentur populi, qui eam diem specialiter solemnem habere et miro splendore celebrare consueverunt.

Porro, SSmus. Dnus. N. Pius PP. X, Cui relatio de praemissis facta fuit ab Eminentissimo Cardinali huius S. Congregationis Praefecto, « plane cupiens ne, ex praepostera aut non recta interpretatione praedictarum litterarum, fidelium pietas ac debitus Deo cultus imminuantur; volens imo ut, quoad fieri possit, augeantur », haec quae sequuntur declarari, praecipi atque indulgeri mandavit :

I. — Quum, perpensis temporum rerumque novarum adiunctis, Summus Pontifex nonnullos dies expunxit e numero festivitatum sub praecepto, quemadmodum non semel a suis Decessoribus factum fuit, minime sane intellexit ut eorum dierum festivitas omnino supprimeretur : vult immo Sanctitas Sua ut iidem dies in sacris templis celebrentur non minori, quam antea, solemnitate, et, si fieri potest, eadem populi frequentia. Ea vero fuit et est Sanctitatis Suae mens, ut relaxata maneat tantummodo sanctio qua fideles tenebantur iis diebus audire Sacrum et abstinere ab operibus servilibus; idque potissimum ad evitandas frequentiores praecepti transgressiones et ne forte contingeret ut, dum a multis Deus honorificatur, ab aliis non sine gravi animarum detrimento offenderetur. Praecipit itaque Eadem Sanctitas Sua omnibus et singulis animarum curam gerentibus ut ipsi, dum haec commissis sibi gregibus significant, ne cessent eos hortari vehementer ut, iis etiam diebus, pergant suam in Deum pietatem et in Sanctos venerationem, quantum maxime poterunt, testari, praesertim per frequentiam in ecclesiis ad audienda sacra aliaque pia exercitia peragenda.

II. — Quo autem Christifideles magis excitentur ad supradictos dies festos pie sancteque excolendos, vigore praesentium litterarum, conceditur omnibus locorum Ordinariis ampla facultas dispensandi cum suis subditis super lege ieiunii et abstinentiae, quoties dies abstinentiae vel ieiunio consecratus incidat in festum, quod, licet praecepto non subiectum, cum debita populi frequentia devote celebratur.

III. — Item, per praesentes litteras conceditur ut festum SSmi. Corporis Christi, ubi Sacrorum Antistites ita in Domino expedire censuerint, etsi praecepto non obstrictum, celebrari possit cum solemni processione et pompa, prout antea, feria V post Dominicam SSmae. Trinitatis; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dat. ex Secretaria S. Congnis. Concilii, die III mens. Maii MCMXII.

Ex Congregatione Sacrorum Rituum.

Dubia resoluta circa novas Rubricas.

I. — Rubrica, Tit. X, n. 3, iuxta recentem Constitutionem *Divino afflatu,* colorem Dominicae proprium retinendum iubet, etiamsi Dominica infra aliquam Octavam occurrat. (1) Quia vero Rubrica Generalis Missalis, Tit. XVIII, n. 4, colore viridi utendum esse praescribit ab Octava Pentecostes usque ad Adventum ; quaeritur utrum Dominica II post Pentecosten, nempe infra Octavam SSmi. Corporis Christi, color viridis, an albus, usurpandus sit ? — *Resp.* Negative ad primam partem; affirmative ad secundam ; et in Dominicis infra Octavas

(1) Cfr. *Vox Urbis* huius anni num. III, pag. 43.

occurrentibus color Octavae adhibendus est quando in ipsis Officium non de Psalterio sumitur, sed de Octava.

II. — Quum anno proximo 1913 post Octavam Epiphaniae immediate sequatur Dominica Septuagesimae, quaeritur utrum Festum SSmi. Nominis Iesu transferri debeat, iuxta recentem disciplinam, in diem immediate sequentem; vel potius, ad normam veteris privilegii memorato Festo concessi, in diem vigesimam octavam Ianuarii? — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

III. — Festum Sanctae Familiae Iesu, Mariae, Ioseph, quod pluribus locis sub ritu duplici maiori concessum est, recensendum ne est inter Festa Domini, ita ut praevaleat Officio minoris Dominicae post Epiphaniam recurrentis? — *Resp.* Affirmative.

IV. — Et quatenus affirmative ad praecedentem quaestionem, quid agendum de Festo S. Familiae, quando Dominica tertia, iuxta computum civilem, post Epiphaniam occurrit in Dominica Septuagesimae aut Sexagesimae? — *Resp.* Festum S. Familiae ad instar simplicis redigendum est, quando occurrit in Dominica privilegiata.

(Ex decr. *Strigonien.* d. IX mens. Martii MCMXII).

V. — Quum in novis Rubricis unicum praescribatur Suffragium de omnibus Sanctis in quo mentio fit de Sancto Ecclesiae Titulari, quaeritur quid faciendum in Ecclesiis habentibus pro Titulo aliquod Domini Mysterium? — *Resp.* Nihil in casu fiat de Titulo.

VI. — An Suffragium de omnibus Sanctis locum habeat in Vigilia omnium Sanctorum, quando de ea fit Officium aut Commemoratio in Officio semiduplici? — *Resp.* Negative.

VII. — An versiculus: « Oremus et pro Antistite nostro N. » cum suo responsorio, nuperrime inter preces feriales insertus, dicendus sit etiam ab Episcopis Titularibus cum pronunciatione nominis Episcopi Dioecesani? — *Resp.* Episcopos Titulares non teneri.

VIII. — Num idem versiculus dicendus sit a Missionariis cum pronunciatione Vicarii Apostolici, aut Praefecti, aut Praelati? — *Resp.* Negative, nisi eadem nomina in Canone Missae, ex Apostolico Indulto, pronuntientur.

IX. — Quum in Feriis Quadragesimae, Quatuor Temporum, II Rogationum et in Vigiliis, in quibus occurrat Officium ritus duplicis maioris seu minoris aut semiduplicis, Missae privatae dici possint, ex dispositione novarum Rubricarum, vel de festo cum commemoratione Feriae aut Vigiliae, vel de Feria aut Vigilia cum commemoratione Festi; quaeritur an in hac Missa de Feria aut Vigilia adiungenda sit tertia Oratio pro diversitate temporis? — *Resp.* Si Officium ritus duplicis recitatum fuerit, negative; si vero ritus semiduplicis, affirmative.

X. — Quae Praefatio usurpanda est in Duplicibus II classis Praefationem propriam non habentibus, quando occurrunt in Dominica minori et simul in die Octava alicuius festi Domini, aut B. M. V., aut Apostolorum? — *Resp.* Adhibeatur Praefatio quae dicenda foret in Missa de Dominica.

XI. — Quando Officium Dominicae II post Epiphaniam, ad normam Decreti d. II mens. Martii currentis anni, (1) anticipatur die XVI mens. Ianuarii, occurrente etiam die infra aliquam Octavam, huius Octavae commemoratio fieri ne debet in Officio eiusdem Dominicae anticipatae? — *Resp.* Affirmative.

XII. — Et quatenus affirmative, adiungi ne debet Suffragium ad Laudes et Preces ad Primam? — *Resp.* Negative.

XIII. — Quando Officium alicuius Dominicae infra hebdomadam anticipatur, Psalmi feriales in Laudibus primo vel secundo loco sumendi sunt? — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

XIV. — Utrum suppressa censenda sit facultas adiiciendi in Missa orationes usque ad septem in simplicibus et ferialibus per novas Rubricas, quae collectas excludunt quando habetur quarta oratio? — *Resp.* Negative.

XV. — Utrum collectae, si fuerint duae, ambae adiicendae sint post tertiam praescriptam orationem; an una tantum? — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

XVI. — Quum quibusdam Dioecesibus, necnon Ordinibus aut Congregationibus Religiosis, Indultum a S. Sede concessum fuerit quaedam officia particularia semel aut pluries in mense aut in hebdomada, imo etiam singulis anni diebus, exceptis solemnioribus, celebrandi; ex. gr. SSmi. Sacramenti, SSmi. Cordis Iesu, B. M. V. Immaculatae, etc. sive sub ritu semiduplici, sive etiam sub ritu duplici minori aut maiori, ita ut videantur non officia Votiva, sed quasi festiva; quaeritur an ista Officia comprehendantur inter Officia Votiva quae a novis Rubricis (tit. VIII, num. 1) suppressa declarantur? — *Resp.* Affirmative.

(Ex decr. seu declarat. super novis rubricis d. XXII mens. Martii MCMXII).

XVII. — Utrum Festa Deiparae et Sanctorum quae sub ritu duplici maiori vel minori in Dominicis agebantur, possint in alia die fixe reponi si eadem Festa mobilia particularia iure vel privilegio translationis et repositionis ornabantur; an potius debeant, sicuti alia Festa mobilia, ad instar simplicis commemorari, nisi potius velint omitti? — *Resp.* Negative ad primam partem, nisi obtineatur novum Indultum; affirmative ad secundam, iuxta novas dispositiones.

XVIII. — Num Festa mobilia quae sub ritu duplici I vel II classis alicubi celebrantur, ius translationis et repositionis habeant, quamvis nulla de hoc iure mentio in decreto concessionis aliquibus locis facta habeatur? — *Resp.* Affirmative.

XIX. — Utrum Festa quae in universa Dioecesi vel in toto Instituto die fixa mensis celebrantur, si in

(1) Cfr. *Vox Urbis* huius an. num. VI, pag. 61.

aliqua Dioecesis vel Instituti ecclesia sub ritu duplici minori vel maiori Dominicis diebus fuerint huc usque celebratae, debeant commemorari vel omitti iuxta praescriptiones temporarias; an potius celebrari debeant in die fixa iuxta kalendarium Dioecesis vel Ordinis, servato ritu forsan altiori Officii eiusdem pro Dominicis diebus in particulari Ecclesia concessi? — *Resp.* Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

XX. — Num Festa mobilia quae in alia per hebdomadam Feria sub ritu duplici maiori vel minori recoluntur, ut Festa Mysteriorum et Instrumentorum Dominicae Passionis, commemorari generatim debeant iis annis quibus impediuntur, etsi ius translationis et repositionis non habeant? — *Resp.* Affirmative, iuxta novas rubricas, tit. III, num. 4.

XXI. — Utrum facultas quae data est per novas rubricas, tit. X, num. 3, Festis a Dominica impeditis ut recoli valeant celebratione omnium Missarum, una excepta, ob votum vel concursum populi, extendi possit ad festa in perpetuum ad instar Simplicis redacta, vel penitus abolita, eo quod Dominicis olim fuerint affixa? — *Resp.* Affirmative pro simplificatis; negative pro abolitis.

XXII. — An Missae omnes quae permittuntur a rubrica, tit. X, num. 3, celebrari possint etiam si occurrat Festum duplex I aut II classis? — *Resp.* Negative, salva tamen rubrica generali Missalis, tit. VI, de translatione Festorum.

XXIII. — Quum ex nova rubrica, tit. X, num. 2, Missae privatae defunctorum in Quadragesima non liceant nisi prima cuiusque hebdomadae die non impedita; quaeritur utrum haec prohibitio generalis sit, atque, recurrente Festo semiduplici aut feria, Missas etiam privatas quidem seu lectas, sed de anniversario alicuius defuncti ex propinquorum devotione celebrari postulatas involvat? — *Resp.* Affirmative.

XXIV. — Utrum in Missa de feria Quadrigesimae celebrata, ad normam novae rubricae, tit. X, num. 2, post commemorationem Festi duplicis eadem die recurrentis, addi debeat tertio loco oratio *A cunctis;* et si negative, utrum sumi possit collecta ex devotione celebrantis addenda; et si pariter negative, utrum id liceat in Missa feriali, Festo semiduplici recurrente? — *Resp.* Quoad primam partem provisum per Decretum d. 22 Martii 1912 ad 5; (1) quoad secundam et tertiam partem, negative.

XXV. — Quum in Decreto die 2 Martii currentis anni praescriptum sit, Dominicam II post Epiphaniam anticipandam esse in Sabbato aut in alia praecedenti Feria, in qua occurrit festum ritus semiduplicis; et si nullum semiduplex infra hebdomadam habeatur, in Sabbato aut in alia praecedenti feria, occurrente etiam Festo ritus duplicis minoris: (2) quaeritur quid agendum sit si tota hebdomada impediatur festis classicis aut ritu duplicis maioris? — *Resp.* In casu Dominica anticipetur in Sabbato, aut in alia praecedenti Feria in qua occurrit Festum ritus duplicis maioris.

(1) Cfr. sup. dub. IX.
(2) Cfr. *Vox Urbis*, huius an. num. IV, pag. 61.

XXVI. — Quo colore utendum est in Communione extra Missam administranda in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum? — *Resp.* Utendum colore violaceo, aut albo.

XXVI. — Num in Missis Votivis Praefationem propriam non habentibus legenda sit Praefatio de Officio S. Mariae in Sabbato, quod in eisdem Missis commemorationem habet? — *Resp.* Affirmative ad mentem recentium Decretorum.

XXIX. — Utrum in Festis novem Lectionum Praefationem propriam in Missa habentibus, et infra tempus Quadragesimale, aut Passionis, aut Paschale celebratis, si dicatur, iuxta rubricam, tit. X, num. 2, Missa de feria cum commemoratione Festi currentis, adhibenda sit Praefatio Temporis, an Praefatio Festi quod in Missa feriae commemoratur? — *Resp.* Adhibeatur Praefatio Temporis, utpote propria Missae.

XXX. — Quaenam Praefatio adhibenda sit in Missa, Praefatione propria carente, in qua commemoratur tum Festum simplificatum et Praefatione propria gaudens, tum Feria Praefationem Temporis item propriam obtinens? — *Resp.* Adhibeatur Praefatio Festi simplificati et prius commemorati.

(Ad proximum numerum).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Maio MCMXII).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: De Merode Westerloo, Comitissa; Mauritius Palffy de Erdod, Comes, e consilio Austro-Hungaricae legationis apud Apostolicam Sedem; diurnorum catholici scriptores plures e Belgica; peregrinorum Taurinensium, Barcinonensium et Vindobonensium manus; Coetus Tertii Ordinis S. Francisci e civibus Romanis atque Latinis; Schönberg-Tammenhaim, Dynasta eiusque uxor; De Liedkerke, Comitissa eiusque filius Carolus; Ioannes Schönburg-Hartenstein, Princeps, Austro-Hungarici Imperii legatus apud Apostolicam Sedem, eiusque familia; Quadt, Princeps foemina, cum filiabus Carola et Iosepha, atque Tattenbach, Comitissa; Eduardus Auersperg, Princeps; manus peregrinorum ex Helvetia, Hungaria et Sardinia; Jeannard, militum praefectus; Landis chiliarcha; Philippns Lancellotti, Princeps Urbanus; Consilium Supremum Pontificiae Academiae « Novorum Lynceorum »; Petrus Wolkonsky, Princeps, a secretis Russicae legationis apud Apostolicam Sedem; Constan ia de Salm, Princeps foemina; De Colleville, Comes; Victorius De Heessen, a Supremo Consilio Russicae civitatis; Carolus Gonzaga, Princeps; Carolus Lombardi, Comes; Elisabeth Solms Braunfels, Princeps foemina; Seidler, Dynasta; Huyn, Comitissa.

Pontificiae electiones.

R. p. Dominicus Pasqualigo O. P. inter Consultores S. Congregationis Consistorialis; et r. p. Iosephus Drehmans inter Consultores Congregationis S. Officii referuntur.

ANNALES

Gallorum difficultates in Mauritania.

Antequam de bello dico, quod inter Italos atque Turcas geritur, Gallorum difficultates in Mauritania enunciandas monet occasio. Aliquot enim diebus et in hac septentrionali Africae regione, imo cruentius quam eodem tempore in Libya, pugnatur.

Diximus in superiore numero, seditionem Fez in urbe ortam indeque ita diffundi, ut Gallicarum copiarum novum numerum mitti in Mauritaniam fieret necesse, quem reapse Galli constituerunt sub Liautey, militum praefecto, qui laudabilia iam in Africanis Gallorum coloniis experimenta fecerat. Nondum tamen imperium strenuus dux assumpsit, quum motus, ex fama profecto aucti, fore ut Mulay Afid se regno abdicaret, in interioribus provinciis late extenduntur; neque ii in Gallos unice, sed in exteras quasvis gentes, quae in Mauritania versentur. Sic, dum ad El Maasis hostiliter in Gallos proceditur, Beni-Essen Teutonicum emporium vastatur; denique, consociatis viribus, rebelles, qui viginti quinque hominum millia esse dicuntur, Fez ad urbem caput colliguntur eamque obsidione cingunt. Galli eruptionem tentant, ex qua tamen milites centum, inter mortuos ac vulneratos, reportant. Quod gravius est, Hispanorum quoque status in Mauritania fit, qui vim vi repellere ad Melillam et ipsi conati sunt. Quid inde? Eventus non sine quadam trepidatione exspectantur.

***

Bellum inter Italos atque Turcas.

Mense Maio huiusce belli theatrum productum est usque ad Aegeum mare; nam Itali, progressiones in Libya fere derelinquentes — Lebda enim urbem ulterius unice suam fecerunt — ad Sporades insulas occupandas se convertunt. Post Stampaliam insulam, in qua sub finem mensis Aprilis copias exposuerunt, Rhodo potiti sunt, cuius praesidium, et ipsum regium praefectum, captivos fecerunt, — ac deinde Scarpanto, Caxos, Thilos, Nisiros, Pathmos, Calimno, Leros, Symi, Cos insulis nullam aliam viam Turcico gubernio ad hostes propulsandos, prouti videtur, derelinquentes, nisi cives Italos omnes, qui Turcarum in imperio viverent, turmatim de improviso expellere. Optimum hercle! consilium, et cultis gentibus, quae Turcae sunt, apprime dignum!...

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Anglia** post ratam legem de ecclesiastica re a civili seiungenda in Gallensi principatu, rerum navalium rationes a Churchill administro propositae in examen revocantur.

In **Austria** Berchtold Comes, qui, ut omnes norunt, Aehrenthal, Comiti, in gubernio moderando successit, fusa oratione consilia praedecessoris sui non iri immutatum confirmavit.

In **Belgica** ob reformatam comitiorum legem publicorum legatorum coetus dimissus, novaque comitia ad d. II mens. Iunii indicta.

In **Gallia** Paulus Deschanel publico coetui legum ferendarum praeses electus.

In **Germania** rationes accepti et expensi pro coloniis adprobatae, acresque habitae disceptationes circa Caesaris minas, fore ut constitutio pro Alsatina provincia possit abrogari. Denique leges expensarum tum pro exercitu, tum pro classi sanctae.

In **Hungaria** tumultus a socialistarum factione excitati ut suffragii ius magis amplificaretur quam ut administrorum collegium proposuerat, repercussianem habuerunt in publicorum legatorum coetu, ubi magna cum difficultate lex de militaribus negotiis tutandis producitur.

In **Italia** contra, lex a Giolittio proposita per quam ius suffragii extenditur, plurima suffragia obtinuit.

In **Lusitania** per legem abrogata civitatis legatio apud Apostolicam Sedem.

In **Russia** latae leges de delectibus reficiendis, de expensis ad classem augendam, de operariis denique per praevidentiae rationes protegendis.

In **Suetia** rogatio legis ad ius suffragii mulieribus concedendum reiecta.

In **Turcarum imperio** publici coetus praeses renunciatus Halil, quondam administer; Nail *bey*, aerario praepositus, a munere abdicavit.

PER ORBEM

Die II mens. Maii MCMXII speculatoria Turcarum navis, cui nomen *Semendre*, in Hellesponto, contra incendiarium quemdam globum ex iis, qui in mari adversus Italos immissi fuerant, forte offendens, subvertitur. Dux ac nautae duodecim malo fato succumbunt.

— d. III Georgius, Leuchtenbergi-Dux, Lutetiae Parisiorun obit.

— d. VI nunciatur Raphaelis Sanctii tabula Elisabeth Gonzaga, Urbini Ducissam, referens, quam artis periti omnes peremptam autumabant, neco-

pinato eventu a Boyer d'Argene doctore apud Parisios reperta fuisse.

— d. VII novae eaeque gravissimae inundationes Luisianam, septentrionalis Americae provinciam, late pessumdant.

— d. VIII Aurelianensi in urbe sollemnia anniversaria in honorem Ioannae de Arc insolita pompa publice celebrantur, quingentesimo recurrente anno a beatae puellae ortu.

— d. IX in Mexicana regione vehemens terrae motus ingentia damna procurat.

— d. X Sain-Mans-Les-Fausses, in oppido Galliae, septuaginta et novem annos natus moritur Duployé ille canonicus, «stenographicae» rationis inventor, quae ab ipso nomen accepit.

— d. XIV Christianus Fridericus Gulielmus Carolus VIII de Holstein, Daniae rex, morte repentina perit Hamburgo in urbe, quam proxima die petierat. Natus erat Codaniae, in urbe Danorum capite, d. III mens. Iunii MDCCCXLIII ac solium ascenderat, per obitum Christiani patris, d. XXIX mens. Ianuarii MCMVI. Ei succedit filius natu maximus Christianus Carolus Fridericus Albertus Alexander Gulielmus, trigesimum ac tertium aetatis annum agens, nomine Christiani X.

— d. XVI Stocolmae obit Augustus Strindberg, Milesiarum fabularum scriptor in Scandia iure meritoque celebratus.

— d. XVII Alexander Madalada, physices Italicus doctor, in Vesevi latebras intimas studii causa impavide ac feliciter descendit.

— d. XVIII curruum series vapore acta, Lutetia Parisiorum ad Montoise profecta, in alteram occurrit. Viatorum nonnulli misere necantur, aliique plures vulnera patiuntur.

— d. XX Santander, Hispanico in oppido, supremum spiritum edit Marcellinus Menendez Pelayo, vir in Iberia nostris diebus omnium litteratissimus.

— d. XXI Georgius Gulielmus de Cumberland, automobili curru Codaniam petens, ad Freisack oppidum, devoluto vehiculo, heu! contunditur.

— d. XXIII Gatici, Chilensi in oppido, quum aquae improviso fodinas pervasissent, cunicularii quadraginta infelicissimam mortem oppetunt.

— d. XXIV Budae Aquinci, Hungarorum in urbe capite, ob operariorum a laboribus ex condicto desertionem, tumultus fiunt, per vim aegre a militibus sedati.

— d. XXVI novae opificum desertiones ex Anglia nunciantur.

— d. XXVII Hans Block, clarus musices auctor, Bruxellis vita fungitur.

— d. XXX inundationes post hominum memoriam in Hungaria nondum auditae Marmaros egionem vastant.

— d. XXX Vilbour ille Wright, studiis atque machinis suis maximus aviationis impulsor, Deyton, Septentrionalis Americae in oppido, febri, curis omnibus rebelli, viridi adhuc aetate interit.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis *eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

G. LAPERRINE D'HAUTPOUL. *Lettres à un homme du monde sur les Epîtres de S. Paul aux Galates, aux Thessaloniciens, aux Ephésiens.* — Romae edid. Desclée et Soc., 1912. (Ven. lib. 4).

Card. A. CAPECELATRO. *Amiamo il popolo.* — Indidem. (Ven. lib. 0,30).

LÉON DE SEILHAC. *L'utopia socialista.* — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

AENIGMATA

I (vulgo REBUS).

V. E. R. B. A dVuImM ORATIONI AD DUNT

II.

Flumine perpetuo me sanguinis irrigat unda;
Inseritur mihi *rho?* Servili munere fungor

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet I. B. FRANCESIA comoediam latinis versibus scriptam, cui titulus:

SATURIO.

Aenigmata an. XV, n. III proposita his respondent:

1) **Robur; Rubor.** - 2) **Spica; Pacis**

Ea rite soluta miserunt:

Petrus Tergestinus. - Christ. Del Fierro, *Mexico.* — F. Ortiz, *Morelia.* — Vinc. Starace; Ant. Pintauro, *Neapoli.* — Ant. Masia, *Terragona.* — I. Menendez, *Madrito.* — Diomedes Falva, *Constantia.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — Arm. Duval, *Massilia.* — Hern. Cayron, *Lugduno.* — Raim. Silvan, *Londino.* — Alb. Kain, *Dublino.* — F. X. M., *Drepano.* — Franciscus Salvatore, *Syracusis.* — Nic. Langumina, *Panormo.* — Ferd. Ricci, *Florentia.* — N. Bianchi, *Augusta Taurinorum.* — I. Martins, *Philadelphia.* — Georg. Archambeault, *Quebeco.* — Mart. Dunne, *Neo Eboraco.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — Nic. Endrigi, *Salisburgo.* — Rich. Müller, *Berolino.* — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio.* — R. Richi, *Traianopoli.* — Clem. Fiard, *Curia Rhetorum.* — Rich. Brondel, *Brugis.* — F. Arnori, *Mediolano.* — Lud. Kobiezzycki, *Leopoli.* — Alois. Cappelli, *Senis.* — Fr. Bernardinus a Monticulo, *Aveano.* — Fr. Baturewicz, *Zytomiria.*

Sortitus est praemium:

FRANCISCUS SALVATORE,

ad quem missum est PETRI ANGELINI opus, cui titulus:

DE POETIS ET NUMERIS LATINIS.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina *Societatis Editricis Romanae.*

ANTHEA (4

(Ex fabula H. SIENKIEWICZ Poloni: *Eamus ad Ipsum*).

Opportuna animadversione perculsus procurator paullum reticuit; dein collecto animo:

— Mihi quidem — inquit — nihil magis improbatur, quam eorum ratio qui nullum adhibent nec in opinando nec in agendo modum. Quid prohibet quominus medium quoddam teneatur iter? Nihil tamen in vulgo modicum, vixque reperias qui sibi dictum putet: *est modus in rebus*. Hîc dego, quia hîc mihi degendum; commorandum mihi est apud hunc obicem. Verum haec ad rem vestram nihil attinent. Itaque, ut ad propositum redeam, auctor sum vobis ut spectaculo adsitis Nazareni, fortiter profecto morituri. Edixeram quidem ut virgis caederetur, ratus, quae mea humanitas est, ita posse servari. Ille autem cruciatus et verbera, quasi agnus immolandus, patienti animo tulit; quumque rupto corpore manaret cruor, oculis in caelum conversis, bene precabatur populo. Equidem huic homini parem vidi neminem. Interim hodie, vel ab horis matutinis, mea non cessavit uxor urgere me assidue: « Ne quid tibi rei sit cum iusto: cave ne immeritum perire sinas ». Nec mihi molesta erat muliebris pietas. Nam prodivi bis e praetorio concionabundus, si forte possem efferatae plebis furorem compescere. At flagrantior inde vis: supinis cervicibus ac dehiscente rictu teterrime adstrepere omnes truculentis vocibus: « Crucifige! »

— Dedistine manus victas? — inquit Cinna.

— At, nisi fecissem, restingui hercle incendia illa non poterant. Meum autem munus est civium saluti consulere ac sedulo advigilare ne publica tranquilitas ulla de causa turbetur. Extrema vitare, medium se gerere, in neutris partibus esse, id mihi semper optimum visum est atque tutissimum. Ceterum huiusmodi negotiis adeo sum fractus,ut tertianae impetum timeam. Postremo agitur de homine obscuro, cuius nemo suscipiet curam; publica vero salus postulat ut unus det poenas; qui si meliore fortuna non utitur, dii immortales viderint, qui eum civem romanum esse noluerunt.

Cui Anthea:

— Non Romae tantum affulget Sol.

— Obsecro, Anthea, — inquit Pontius — ne mecum severius agas. Tuus te facile coniux docebit, latam semel sententiam revocari non posse; nisi quid vis ad haec, Cinna.

— Ita prorsus.

Haec ingrata mulieri acciderunt, secum mussitanti, qui fieri posset ut atrox esset obeunda mors homini, qui ab honesto discessisset nunquam.

Cui Pontius:

— Nemo culpa vacat. Neque tamen constat admissum quidquam ab isto fuisse quare videatur accusandus. Idcirco lavi procurator manus. Necesse autem est omnem ab illo mortis abesse metum, qui se resurrecturum affirmat.

— A mortuis excitabitur? — Ita coniux uterque, inauditae rei novitate perculsi.

— Imo intra dies tres, uti eius discipuli praedicant. Poteram quidem ex ipso quaerere; sed excidit mente. Ceterum parvi refert; siquidem mors omnia solvit, etiam promissa. Neque vero, si eius resurrectio nulla fiet, is quidquam detrimenti capiet. Profitetur enim, nec remisse quidem, sed ex animi sententia, quum corporibus excesserimus, tum demum initium fore vitae beatae; quo acerbiora quis tulerit, eo faciliorem illi aditum in caelum patere; amandum maxime: in omni vita semper amandum.

— Singularem plane doctrinam — inquit Anthea. — At certo scit ille, nos, relictis corporibus, posse aeternum ac iucundissime vivere?

— Persuasum sic habet: idcirco non deterret eum mors.

— Quam praeclare nobiscum actum esset, si ita foret! At, quaeso, unde ista novit?

— Accepisse se affirmat a patre hominum, qui Iudaeis idem est ac Iupiter nobis, sed illum dicit esse unicum Deum eumdemque clementissimum.

— Ecquid optabilius? — inquit aegra.

Substitit aliquamdiu Pontius haesitanti similis, fortasse de doctrina Nazareni cogitans. Tandem, petita venia abeundi, surrexit.

Tum Anthea:

— Duc, oro, Cai; duc ad visendum hominem.

— Properate; — inquit Pontius — mox enim feralis pompa procedet.

Diem, matutinis horis serena ac tranquilla luce nitentem, obruere tenebrae sub meridiem adductae, vacuo caeli spatio urbi tantum relicto.

Iamque ad collem, qui dicitur Golgotha, fit populi concursus, festinantium occupare sedes ad visendum apprime commodas. Qui vel ab orto sole convenere, a prospectu urbis late patenti non dimovent oculos, ne forte eos pompae inde processurae fugiant initia.

Prior conspecta est, media inter Cinnam et centurionem quendam, Antheae lectica, septa procuratoris militibus, quibus luctandum in turba erat ut sternerent viam, ac, si res postularet, contra invidae plebis iniuriam tutandi peregrini. Ceterum Anthea, quamvis meridianum tempus adesset, quo solebat exterreri visis, securior admodum videbatur atque tranquillior.

(Ad proximum numerum).

PETRUS ANGELINI.

Ann. XV. ROMAE, Mense Iulio MCMXII Num. VII.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

DE RELATIONIBUS

Ecclesiam inter et Civilem Potestatem

Paucis abhinc mensibus Romae romanaeque Universitatis praestantissimi viri duo, Ecclesiam inter et Civilem Potestatem relationes determinare, concione publica, conati sunt, eorumque primus Aloysius Luzzatti fuit, secundus Vincentius Simoncelli. Quum Civilis Potestas nequeat tamquam belli iudex, mere passive se habere respectu Ecclesiarum multarum in republica existentium, ideo Aloysius Luzzatti formulae Comitis de Montalembert, postea vero Comitis Camilli Cavour, statuenti: « Ecclesiam liberam in civitate libera », hanc modificationem attulit : « Ecclesias liberas sub civili suprematia » (italice : *Libere Chiese in Stato Sovrano*). Vincentius autem Simoncelli, magna eloquentiae vi praeditus, diversa de separatione civilis potestatis ab Ecclesia systemata, necnon eorum in civitatibus applicationes examini subiecit, atque neque Ecclesiam neque Civilem Potestatem posse separationem huiusmodi velle, ipse negavit. Ecclesia, - inquit, separationem a Civili Potestate velle non potest, quia mundus a Deo, creatura a Creatore separanda forent, ac simplex fidelis *unice* legibus reipublicae subditus esset. Neque respublica potest eamdem velle separationem, quum in illa includantur *a)* plena libertas pro individuis quamcumque societatem ingrediendi ; *b)* plena libertas acquirendi et possidendi; *c)* plena docendi libertas ; *d)* plena libertas in personis ad officia publica obeunda, quae quidem omnia nemini a Civili Potestate concedi possunt. Immo hodiernis circumstantiis perpensis, Civilis Potestas Ecclesiae petenti, separationem huiusmodi denegare cogitur. (1)

(1) Cf. Ephem. « *Conferenze e Prolusioni* », Marzo, 1912, p. 104-5.

Quaenam igitur est Ecclesiae mens, circa relationes Ecclesiam ipsam inter et rempublicam?

***

Modernistarum conceptus circa relationes Ecclesiam inter et Civilem Potestatem in Epistola Pii X « Pascendi « ita traditur : « Sicut igitur ratione obiecti fidem ac scientiam extraneas ab invicem vidimus : sic Status et Ecclesia alter ab altera extranea sunt ob fines quos persequuntur, temporalem ille, haec spiritualem. Licuit profecto alias temporale spirituali subiici; licuit de mixtis quaestionibus sermonem interseri, in quibus Ecclesia ut domina ac regina intererat, quia nempe a Deo, sine medio, ut ordinis supernaturalis est auctor, instituta ferebatur. Sed iam haec a philosophis atque historicis respuuntur. Status ergo ab Ecclesia dissociandus, sicut etiam catholicus a cive... Sed modernistarum Scholae satis non est debere Statum ab Ecclesia seiungi. Sicut fidem, quoad elementa, ut inquiunt, phaenomenica scientiae subdi oportet, sic in temporalibus negotiis Ecclesiam subesse Statui ». (1)

Anno 1897 Episcopus Cremonensis (2) scribebat: « Putamus eos omnes qui ad separationem Ecclesiae a Civili Potestate aspirant *(vagheggiano)* eamque cupiunt, atque Societatis atheismum propterea petunt, nunquam absque fundo abyssum quae ab ipsis aperitur intellexisse. Impossibile nobis videtur, mentis rectique cordis homines, tam enormem absurditatem, apertis posse velle oculis. « Statum » ab Ecclesia separare idem valet ac Statum totaliter a Religione et ab ipso Deo subtrahere, ipsumque Statum tamquam atheum considerare. Potest ne maior absurditas vel deterior error doceri ? »

(1) Cf. Programma § 3. *Stato e Chiesa*. « L' enciclica ci rimprovera di desiderare la separazione della Chiesa dallo Stato. C' imputa a difetto una delle migliori nostre aspirazioni ».

(2) *Questioni Religiose*, vol. 2. Desclée, Roma, 1897, p. 256. — *La Chiesa e i tempi nuovi*, 1906.

Haec olim; sed anno 1906 sententiam mutavit, enumeratisque utilitatibus ex Ecclesiae Statusque separatione provenientibus, *systema separationis* vocat « opportunius ad libertatem civilem cum religiosa libertate componendam, et ad ordinis publici tutelam, servandam » immo *separationis systema* est « difficillimi problematis solutio unica, bono fidei, pietatis, religionisque conferens ». Enumeratis utilitatibus *systematis* separationis, enumerat quoque inconvenientia ceterorum systematum, quae pro relationibus inter Ecclesiam Statumque determinandis proponuntur; quae inconvenientia a Francisco Xav. Kraus, necnon a Modernistis iam recensita fuere. (1) Pius Papa X tum in Epistola quadam privati iuris, tum in Epistola « Pascendi » systema separationis reprobavit.

***

Quaenam igitur est Ecclesiae doctrina circa relationes inter ipsam Ecclesiam Civilemque Potestatem existentes?

I. — Ex auctoritate Ecclesiae necnon ex fine proprio eiusdem, Ecclesia Christi est Societas distincta et independens a Societate civili.

a) Ex auctoritate. - Nam Pius IX (Syll. 19. *Denz.* 1567) propositionem damnavit: « Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino fundatore suo collatis, sed civilis potestatis est definire quae sint Ecclesiae iura ac limites, intra quos eadem iura exercere queat ». Et Leo XIII (Enc. « Immortale Dei » 1. Nov. 1885, *Denz.* 1705) scribit: « Haec societas (Ecclesia) distinguitur ac differt a societate civili et quod plurimum interest, societas est genere et iure perfecta, quum adiumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque conditoris sui, omnia in se et per se ipsa possideat ».

b) Ex fine Ecclesiae. — Finis enim Ecclesiae quum sit spiritualis, distinctus ac independens est a fine Societatis civilis, qui materialis est. Quum igitur cuiuslibet societatis natura et iura sint a fine desumenda, valeatque adagium: « Finis distinctus, societas distincta; finis independens, societas independens » propterea Ecclesia, societas est a civili societate distincta et independens.

II. — Ex auctoritate quoque necnon ex rationis momentis Ecclesia non est a Statu separanda.

a) Ex auctoritate. - Nam a Pio IX damnata fuit propositio Syllabi (55, *Denz*, 1601): « Ecclesia a Statu Statusque ab Ecclesia seiungendus est ». Et d. 18 Febr. 1865, scribens ad Comitem Solaro Della Margarita, occasione eiusdem operis *L'uomo di Stato,* idem Pontifex ait: « Supremus Auctor supernaturalis iuxta et naturalis ordinis, qui, utpote omnium principium et finis, omnia propter semetipsum fecit, dum hominem ad se creatum in similium eius consortio constituit in terris, profecto debuit utrumque ordinem ipsi praestitutum mutuo iungere nexu et inferioris explicationem, leges, vicissitudines ita superiori attemperatas velle, ut auxilio huic essent, nisuque concordi cum ipso humanam familiam ad verae aeternaeque felicitatis assecutionem dirigerent. Qui igitur hosce ordines dissociat, qui religionem Deumque ablegat a civili societate aut seponit; is certe quatit aedificium, disgregat partes, fundamenta suffodit, parat ruinam, illudque confirmat sacrarum Literarum oraculum: *gens et regnum* quod non serviet Tibi, peribit ». Et Leo XIII (l. c. *Denz.* 1707) de utraque potestate civili et ecclesiastica ait: « Itaque inter utramque potestatem quaedam intercedat necesse est ordinata colligatio: quae quidem coniunctioni non immerito comparatur, per quam anima et corpus in homine copulantur ». (1)

b) Ex rationis momentis. — Quia Ecclesiam a Civili Potestate separare, idem est, ac mundum a Deo, creaturam a Creatore seiungere. — Est hominem credentem legibus reipublicae unice relinquere ac submittere. — Est ipsi Deo aeterno debitum denegare honorem, ipsumque spernere. Quae tria admitti nequeunt.

Paucis verbis, Civilem Potestatem ab Ecclesia separare, significat: Statum totaliter a Religione et a Deo subtrahere, Statumque tamquam atheum considerare. Quae duo nunquam ab Ecclesia Christi et ab homine recte sentiente procul dubio admitti poterunt.

REGINALDUS FEI O. P.

(1) KRAUS, *Cavour*, p. 11. *Programma*, p. 123.

(1) Cf. Epist. *Pascendi.*

SELECTA EX BIBLIOTHECIS ET ARCHIVIS

De lectione in studio latinae linguae.

Lectionem inter illa subsidia ponimus, quae perficiunt iter ad vetus Latium, quoniam quidquid elegantia latini sermonis sinu suo complectitur, legendo optima et culta monimenta adsequimur. Cicero, *de Orat.*, lib. III: « Omnis loquendi elegantia, quamquam expolitur scientia litterarum; tamen augetur legendis orationibus ac poetis ». Quinctilianus (XII): « Nobis copia cum iudicio paranda est, vim orandi, non circulatoriam volubilitatem spectantibus: id autem consequimur optima legendo ». Plinius (lib. VI, ep. 30): « Quum ego ex comparatione sentio, quam male scribam ».

Legendi studium varium diversumque est, sive respicias ad diversa genera monimentorum, quae leguntur; sive ad diversam conditionem illorum qui legunt; sive ad diversam rationem ipsius lectionis: ipsa monimenta continent res et verba, ex quibus etiam capi

potest duplex fructus; quorum alter est rerum, alter verborum; de quo posteriore in praesenti sumus solliciti. Lectio, quae ob verba suscipitur, iterum triplex est: vel legimus aliorum scripta, ut inde accipiamus verborum copiam, quae lectio dici potest *grammatica;* vel ut adsequamur orationis vim atque elegantiam; quae lectio est *stili purioris;* vel ut philologiam accuratius cognoscamus, quae lectio vocatur *philologica.* Integro hoc opere stilus purior nobis curae est; quam ob rem de secunda lectionis specie in primis disputabimus, ea autem praescripta lege, ut primam ab ea haud seiungamus, quum utraque arctius coniuncta sit, nec secunda primae auxilio, atque ope carere queat.

* * *

Ante omnia considerandum est quinam ex tam multis latinae linguae auctoribus sint legendi.

Quintilianus (lib. x, cap. I): « Quidam solos veteres legendos putant, neque in ullis aliis esse naturalem eloquentiam et robur viris dignum arbitrantur; alios recens haec lascivia delitiaeque et omnia ad voluntatem multitudinis imperitae composita delectant» (1).

Sunt illi varii generis et differunt primum ratione aetatis: dantur scriptores linguae latinae, quos vetus et recentior aetas tulit; qui ergo ex illis ad lectionem imitationemque tradendi sunt? Controversia inter clarissimi ingenii viros non semel agitata, huius loci non est: num veteribus eruditis recentiores, an veteres recentioribus cedant? Namque de lingua veterum Romanorum disputamus, quorum auctores antiqui sine dubio praeferendi sunt recentioribus, quoniam illi fons sunt atque origo, ex qua hi omnia latina sua petierunt; consultius autem est, ipsos fontes audire, quam sectari rivulos, et dulcius ex ipso fonte bibuntur aquae; quod tritum nec a veritate alienum est proverbium. Nihilominus recentiores cum veteribus coniungendos esse existimamus, partim ut cognoscamus quomodo illi veteres sint imitati, et ex illorum exemplis discamus applicare et ad usum adferre quae in ipsa latinitate profecimus; partim, quia recentiores auctores viam ostendunt ad habitum de illis rebus dicendi, de quibus nostra aetate loquendum est, comparandum, quarum magna est copia, quae veteribus fuerunt incognitae. Ubi adolescentes ad solos vetustiores scriptores accedunt, discunt quidem de rebus bellicis, civilibus similibusque latine loqui; sed quando dicendum est de argumentis aliis, quae aevi nostri sunt propria, nesciunt quomodo eleganter, quae cogitant, sint exprimenda; sed tamen eiusmodi recentioris aevi scriptores eligamus, qui veteres latini ac puri sermonis laude celebres imitati sunt, et illorum copiam vim atque elegantiam expresserunt, quorum ingeniorum aetas et patrum et nostra ipsa ferax fuit.....

(1) Adde et lib. II, cap. 5.

* * *

Neque non in argumentis est discrimen. Alii enim sunt auctores orationum, alii epistolarum, alii historiarum, alii rerum philosophicarum; quae diversa argumenta faciunt, ut stilo quoque ac dicendi forma differant. Consultum est, quodvis horum scriptorum genus cognitum sibi reddere, ac rectum ordinem in evolvendis illis accurate servare; qui generatim in eo consistit, ut cum ad argumenta, tum dicendi genus advertamus animum et prius versemur in libris historiarum, quam philosophiae; prius in libris epistolarum, quam orationum. Bene agit, qui in latinitate studet proficere, si varii generis scriptores sibi reddat familiares, quoniam ex libris historicorum perspicit nativas vocum significationes; rhetorum metaphoricas et translatas; philosophorum stilum philosophicum. Caracteres suas habent regiones, quibus circumscribuntur, et constitutis finium rationibus differunt, et verborum usu et elocutione alii ab aliis separantur: omne dicendi genus suo et proprio caractere definitur, a quo in multis dependet cultus orationis; etenim in caractere oratorio inest plus dignitatis et maior verborum delectus nitorque dictionis requiritur, quam in philosophico, in quo est oratio simplex et subtilitati congruens, non copiosa admodum neque ornata. Hoc modo pura oratio dicitur, quae propria est et veritate contenta, non laborat de copia et ubertate, nec suavitatis gratiam captat; sic tamen, ut vitii expers sit, et remota ab omni impuritate, quae sermonem vitiat et latinam loquendi munditiem corrumpit.

* * *

Accedit dicendi genus, quo itidem auctores latinae linguae discrepant; alii utuntur sermone ligato, ut poetae; alii vero soluto. Poetae omnino coniungendi sunt cum solutis scriptoribus; quoniam poesis latina multum facit ad culturam et conservationem ipsius linguae: poetae solliciti sunt de epithetis, quae congruant, de similibus et aptis descriptionibus, de veris synonymis, unde copia verborum, item de accentu.

Quantum poetae contulerint ad linguam hanc conservandam, patet ex historiarum monimentis. Ab Ennii temporibus poetae primi fuerunt, qui latinitatis cultum susceperunt, saltem tentarunt; quumque soluta oratio amitteret suam auctoritatem dignitatemque, poesis restitit barbariei, cuius rei testes sunt Caelius Sedulius, Prosper Aquitanicus, Sidonius Apollinaris, Alcimus Avitus, Venantius Fortunatus. Praeter haec lectio poetarum alumnis latinae linguae vel ideo necessaria est, ut rationem latinitatis poeticae curatius perspiciant, et id quod bonum sit, ad suum usum afferant, malum autem fugiant. Is autem cum fructu legere potest ligata monimenta, qui in latinitatis studiis iam eas progressiones fecit, ut valeat facultate discernendi ac diiudi-

candi, quid sit elegans atque horridum, quid castum purumque ac barbarum.....

Cicero, ut testis est Quinctilianus (lib. X, c. 1), putabat « in lectione poetarum requiescendum ». Verum quum caracter poeticus a soluta oratione maxime differat, maturo debet reservari ingenio: nemini est facultas utendi omnibus verbìs in classem poetarum descriptis, quae latina quidem sunt, sed prosae dignitatem non semper tuentur; sunt locutiones, quae in prosa nitore aliquo minus dignae sunt; in ligata vero fulgent, veluti propriae poetarum et lumina carminum: ipsi poetae propter diversas dicendi rationes et formas distingnendi, et alii aliis praeferendi sunt, ac interdum grandidatis quoque causa imitandi. Utilitatem, quam in ipso addiscendae latinae linguae studio praestat poetarum lectio, demonstrat prima eruditissimarum de poetis dissertationum Ol. Borrichius, academiae Hasniensis quondam decus: « Grammaticorum - inquit - praeceptiones fulciunt, casus obliquos roborant, genera nominum certiora reddunt, orthographiam stabiliunt, praeteritis et supinis praestant securitatem, et quidem constantiorem, quam historici et oratores; dirigunt verborum pronuntiationem, immo absque his esse iam propemodum actum videremus de mora vocabulorum in pronuntiando, et quaelibet natio idiotismos linguae suae in eloquendo perperam sequeretur; et haec quidem universa ideo a poetis certius petuntur, quia quum solutae dictionis scriptores ob libertatem sibi permissam varias hodie lectiones facillime admittant, poetae vi legis et numeri, cui se adstrinxere, constantiora tradunt ».

***

Denique in latinae linguae auctoribus deprehendimus diversitatem stili, qui est modo circumductus, modo concisus aut mediocris; item alii utuntur caractere sublimi ac magnifico, alii humili, aut eo, qui inter utrumque priorem mediam tenet rationem.

Huius quoque discriminis ratio habenda est in perlegendis veterum monimentis; quumque caracteres circumductus, mediocris et concisus, multum dependent ex indole ingenii auctorum, nec quodlibet ingenium ad hoc vel illud scribendi genus aptum, necesse est ut heic ad captum nostrum monimenta veterum accommodemus; quamquam ingeniis haud maturioribus heic aliquid dandum est, quibus sufficit vim et copiam sermonis percepisse; confirmati vero atque exercitati primo latinae linguae studio animum quoque ad caracteres hos convertere debent.

In altero stili discrimine id observandum, ut primum iuvenibus scriptores stili humilis, deinde mediocris, tum sublimis praelegamus.

At summa stili virtus continetur in castitate. Linguae fata sua habent; id est per aliud tempus coluntur, et sunt nobilissima pectora, quae castitatem earum custodiunt; per aliud vero exulant quasi, nec quisquam est, qui consulat illarum elegantiae ac nitori, ut ista sarta tectaque conserventur. Quo fit, ut barbarae saepe dictiones iuvehantur, et ipse dicendi mos, cuius elegantiae nullam operam dant, ita corrumpatur, ut loquentes inter barbaras gentes educati videantur. Quum eadem fata subierit Romanorum lingua, necesse fuit auctores in classes et ordines dividere, ut pateat quantum quisque in probanda latinitate valeat. Proinde quoniam scriptorum Romanorum alii scripserunt pure, alii vitiarunt immunditie sermonem suum, decet prudentem tersioris atque elegantis stili Romani cultorem duces optimos sectari, quos praecipue aetas aurea atque argentea tulit; quodsi solos auctores saeculi aurei sequi vellemus, latinitas sane angustis circumscripta esset limitibus; nec lumen in aetate argentea erat extinctum, quo floruerunt viri suo dicendi genere atque eleganti linguae usu clarissimi. Sed qui adolescentibus commendant monimenta eo tempore edita, quo latinus sermo remisit de pristino vigore atque elegantia, immo ipsa latinitas penitus cecidit, minus rebus scholasticis prospiciunt.

Alia est illorum ratio qui ita in his studiis profecerunt, ut sibi ipsi possint consulere, ac facultate bona a malis discernendi sint praediti. Hi ubi operam dant philologiae Romanae, in his monimentis, licet sint barbara atque horrida, evolvendis versantur, ut videant quo misero casu ceciderit latinitas, ac quid de pristina pulcritudine sensim amiserint Sed illorum magistrorum temeraria et noxia docendi ratio reiicienda est, qui promiscue auctores, sive puri sint atque elegantes, sive minus, adolescentibus explicant. Quum Tiberius vocem non satis latinam vellet usurpare, intercessit Marcellus, et: « Tu - dixit - Caesar civitatem dare potes hominibus, verba non potes ». (1) Adriano de Romana lingua reformanda cogitanti, Favorinus grammaticus cessit quidem, sed ita, ut testaretur non iure quidquam nova moliri in sermone latino, sed vim ei inferre. Ac certatum quoque fuit utrum « Consul tertium » an « tertio » in monimento quodam scriberetur. (2) Tanta olim puri atque incorrupti sermonis cura fuit!

WALCHIUS.

(1) SPARTIAN. in *Vita Adriani*, cap. XV.
(2) GELLIUS, XI, cap. I.

Quo modo stirpes mediocribus aquis aluntur, abundantibus suffocantur, eodem animus etiam moderatis crescit laboribus, nimiis obruitur.

PLUTARCH., *de Liberis educ.*

. . . . . . *Prima est haec ultio, quod se*
Iudice, nemo nocens absolvitur, improba quamvis
Gratia fallacis praetoris vicerit urnam.
. . . .
Poena autem vehemens . . . . . .
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.

IUVENAL., *Sat.* XIII-XIV.

PUTEUS DESERTUS

(Il pozzo abbandonato) (1)

Carmen ADAE NEGRI - Latine vertit MARCUS GALDI.

Iam nox incumbit puteo tenebrosa relicto:
Viscida lichenum vis algarumque veneno
Inficit et putres lymphas lapidisque salebras.

Nullus adest trochleae stridor, non concrepat uncus
Cui sitlae infixae pondus per lora ligatur,
Dum stillans salit: ecce latex nigrescit in imo.

Ipsâ al tur venâ, ceu fontis origine vivi,
Qui fluit e saxo renovatis viribus usque
Garrulus atque scatens recubantia saecula turbat.

Immemor heu quondam optatum tribuisse levamen
Quem prope dira sitis fessum consistere adegit,
Quique refectus abit tandem vultuque sereno.

Quid nunc guttatim nitidi de margine labi
Crateris iuvat? et fauces et pectus anhelum
Murmure vel gelidis rivis recreare vel haustu?

Quod si per puteum scintillat pallida Phoebe,
Sidera quam cingunt tamquam gemmata corona,
Est hilaris fons et fortunae ridet amicae.

Tunc vero dicas misceri sensibus undam:
Nunc trepidat properans, gestit modo, murmurat, effert
Sese, dum praeceps vis longa oblivia pellit.

Namque venit scatebras baccatus fulgor ad imas:
Per tremulum lumen, per guttam prosilit omnem
Laetus amor: lux est radians, non amplius unda.

... Sic quoque consurgis puteo, mi pectus, ab alto,
Quod fossum ante diem retines, quo condis amata,
Postquam mature, miserum, tua cessio facta est.

Sic quoque cum fremitu confestim surgis inane
Per visum, et capiunt dum te portenta quietis,
Rursus amas, rursus divinis ignibus ardes.

Consentiae, a. d. IX kal. Iunii MCMXII.

(1) Vid. *Il Marzocco,* anno XVII, n. 18, 5 Maggio 1912. — Firenze.

Poëtriae illustri, quae huiusmodi versus hexametros, in quos eius egregium carmen italicum utcumque conversum est, benigne excepit edendique mihi dedit veniam, quamplurimas gratias ex animo ago.

M. G.

DE INFLUXU CHRISTIANAE DOCTRINAE

IN IUS ROMANUM

Ius veterum Quiritium, quo tempore Severi atque Antonini imperitabant, apicem attigit naturalis suae perfectionis; neque id sane sine influxu doctrinae Christianae, quae iam per totum fere orbem pervagata fuerat. Inde enim hausisse visi sunt praeclari saeculi III iurisperiti puriores illas, quas profitentur, iuris et aequi notiones. Quae opinio ex eo confirmatur, quod postea felix ea iustitiae et aequitatis progressio interrupta est, quum sub Iuliano illo *Apostata* idolorum cultus reviviscere tentavit.

Verum Constantino, Theodosio et Iustiniano imperatoribus referenda est ulterior et suprema iuris Romani ad Legem christianam conformatio. Constantinus enim, paulo post devictum apud pontem Milvium Maxentium tyrannum, celeberrimum edidit Decretum illud Mediolanense, quo, data Christianis libertate religiosa, finem imposuit cruentis ac saepe renovatis persecutionibus. Coepit item imperialis neophyta veteres Romanorum leges ad normam iuris christiani accommodare, vitata tamen vi et praecipiti celeritate. Quam felicem iuris reformationem anno CCCXXI Nazarius rhetor, etsi paganus, laudare non dubitavit, allegatis novis legibus, quae mores emendarent, resecarent vitia, pudorem securum redderent, matrimonium firmarent et a iudiciis captiosas amoverent subtilitates, quibus simplicitas irretiretur.

Influxus hic Christiani spiritus in leges civiles luculenter patet apud iurisperitum Lactantium, qui vergente saeculo III a parentibus ethnicis natus, christianam religionem amplexus est ante annum CCCIII. Discipulus Arnobii et rhetoricae ipse doctor, merito ob stili elegantiam appellatus est *Cicero christianus.* Praeceptor fuit Crispo, Constantini Magni filio. In quaestionibus iuridicis optime versatus, insigne conscripsit opus, a *Divinis Institutionibus* appellatum, ubi haec advertit (cap. I): « Si quidam prudentes et arbitri aequitatis Institutiones civilis iuris compositas ediderunt, quibus civium dissidentium lites contentionesque sopirent: quanto melius nos et rectius *Divinas Institutiones* litteris persequemur, in quibus non de stillicidiis aut aquis arcendis aut de manu conserenda, sed de spe, de vita, de salute, de immortalitate, de Deo loquemur, ut superstitiones mortiferas erroresque turpissimos sopiamus? » Hasce Institutiones, libris septem comprehensas, auctor Constantino Magno dedicavit, in iisque sibi proposuit summa capita christianae doctrinae breviter attingere, uti factum est de iure civili in In-

stitutis per iurisconsultos romanos compositis. Quare scriptor noster saepe utitur iuridicis vocabulis, et affinitatem quamdam prodit cum Ulpiano, eximio saeculi III iurisperito. Porro Lactantius in libris V et VI suarum Institutionum egregie delineat legislationem « socialem » ab Evangeliis profectam.

Aliud iuris christiani caput, idque omnino novum, in ius civile hoc tempore transivit, arbitratus nempe ecclesiasticus. Christiani enim, Pauli Apostoli monitis obsequentes, quum inter ipsos lis oriretur, solebant, non ad iudices profanos, sed ad episcopos tamquam arbitros causam deferre: qua quidem ratione et certior spes affulgebat iustae sententiae, ac nimiae vitabantur litium ambages et expensae. Atque ad huiusmodi arbitratus ipsi pagani non raro confugiebant. Iamvero mos ille Christianus auctoritate etiam civili probatus fuit; necessario quidem sequendus in rebus ad religionem et clerum spectantibus; in ceteris vero, si litigantes in id consensissent. Quod arbitratûs et iudicii munus adeo late se extendit, ut, quemadmodum ex litteris S. Augustini patet, grave saepe atque onerosissimum evaserit episcopis. Hos enim uti patronos et iudices adibant non solum viduae, orphani, captivi et miseri quicumque; sed ipsi imperatores iisdem curam demandabant, ne institores pretium plus aequo mercium augerent, ne milites minorem iusto annonam acciperent, ne pupilli et mente capti tutore ac curatore carerent, etc.

Evolutio haec iuris Romani Christiano iure informata, sexto tandem saeculo legum illarum complexum peperit et Codicem Iustinianeum, quem ille imperator « Deo auctore et in nomine Domini nostri Iesu Christi » promulgavit; ubi sub « divinae Providentiae et summae Trinitatis » numine non solum aeternae hominum saluti consulitur, verum etiam eorum temporalis vita ad iustitiae, aequitatis et caritatis cultum dirigitur. Leges Iustinianeae, non paucis in capitibus, iisque praecipui momenti, alia statuunt principia a veteri iure Romano diversa, et in alias abeunt conclusiones, spiritui evangelico conformes. Temperatur ibi prisca legum severitas mansuetudine, pietate, misericordia: quod explicitis saepe fit verbis, saepe etiam addita ad veterum sententiam sententia mitiore, huiusmodi clausulis: *Satius tamen est; praestat; benignius, iustius, consultius, tutius, humanius, aequius, commodius est.* Arbori nempe veteris iuris Romani, — ut finem dicendi faciamus, — Iustinianus non solum multos inseruit ramos ex agro evangelico desumptos, verum etiam succum infudit ac spiritum Christianum.

R. F.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Aethiopem lavare seu dealbare.

Adagium peculiariter quadrabit, quum res parum honesta verborum fucis adornatur, aut quum laudatur illaudatus, aut docetur indocilis. — Ortum videri potest ab Aesopica fabula: Quidam mercatus Aethiopem, existimans eius colorem non natura, sed superioris domini negligentia accidisse, nihil non adhibuit eorum, quibus vestes candefieri solent, adeoque perpetuis lotionibus miserum divexavit, ut illum in morbum impulerit, colore, qui fuerat, manente.

Inaniter aquam consumere.

Haec paroemia in eos maxime adhibetur qui frustra suadent; a prisco more iudiciorum sumpta, in quibus ad clepsydrae modum dicebatur. Aeschines contra Demosthenem ostendit primam aquam infundi solere actoribus, alteram patronis, tertiam iudicibus ad poenam constituendam, nisi primis sententiis reus fuisset absolutus. Et Demosthenes Aeschinem provocat, ut vel in sua aqua, si possit, dicat, quod decretum fuerit ipso nunquam auctore scriptum. Huc adludens Lucianus, in rhetorem quemdam iocatur, qui apud barbaros in convivio diceret, non ad aquae, sed ad amphorae vinariae modum. Videtur id etiam subindicare Plato in *Theateto*, quum ait, ad pusillum aquae docere posse, quae gesta sint. Appuleius in *Asino aureo* scribit: « Rursum praeconis amplo boatu citatus accusator quidam senior exsurgit, et ad dicendi spatium, vasculo quodam in vicem colli graciliter fistulato, ac per hoc guttatim defluo, infusa aqua, populum sic adorat ».

Plinius iunior Falconi: « Et qui iuberet posset tacere quemcumque, huic silentium clepsydra indici ». Idem Arriano: « Dixi horis paene quinque. Nam viginti clepsydris, quas spatiosissimas acceperam, sunt additae quatuor ». Quinctilianus (lib. XII): « Et si quid ipse tibi sumas, probandum est et laboratam congestamque dierum ac noctium studio actionem, aqua deficit ». Demades iocabatur in Demosthenem quod « ceteri quidem ad aquam dicerent, Demosthenes ad aquam scriberet. Philostratus denique in *Adriano sophista* sophistas appellat: « qui aquae exercentur ».

Alii serunt, alii metent.

Id est: alii laborarunt, alii perceperunt emolumentum. Consimili figura, quam de Fabio tradit Livius (lib. X) atque etiam adhibuerant Hesiodus in *Theogonia de Fucis* ac Theognis, dictum est a

Diocletiano nondum Caesare, se apros occidere, alterum vero pulpamento frui. Quod quidem in illius vita ad hanc fere sententiam refertur: Quum Diocletianus apud Tungros in Gallia, in minoribus adhuc locis militans, in caupona quadam moraretur nimiaeque parsimoniae incusaretur, ioco non serio respondisse traditur se fore liberalem quum Imperator fuerit. Haec foemina quaedam adstans quum audivisset: « Noli — inquit — iocari, Diocletiane; plane Imperator eris simul ac aprum occideris ». Quam quidem mulieris vocem ominis arripiens vice, studiose ille sectari coepit apros in venatu, haud intelligens videlicet ominis aenigma, quod eventus postea explicavit. Nam Numerianus Imperator, factione Arrii Apri, soceri sui, interemptus quum fuisset, re prodita, milites Diocletianum vindicem creant, et Augustum consalutant. Is itaque pro concione quo Druiadis illius foeminae dictum expleret, Aprum manu sua confodit, addens Maronianum illud: « Aeneae magni dextera cadis ». Ceterum interea dum privatus adhuc Diocletianus multos apros confecisset, nec affulgeret usquam imperii spes, dicere solitum ferunt: « Ego quidem apros occido; verum alter fruitur pulpamento ».

Ne Hercules quidem adversus duos.

Hoc est: Nemo usque adeo viribus excellit, ut unus pluribus par esse possit. Potest item metaphora significare et neminem quantumvis eruditum adversus duos in disputando sufficere; aut eundem hominem pluribus negotiis sustinendis non esse simul parem; aut non posse resisti precibus duorum rem eamdem petentium, etc. Sed poterit quoque aliam in formam verti proverbium, ad hunc modum: Si negant vel Herculem adversus duos esse parem, quinam ego tam imbecillis adversus duos Hercules stabo? — Plato *(De legibus, XI)*: « Verum est illud, et iam olim proverbio celebratum, arduum esse adversus duo, eaque contraria pugnare, quemadmodum in morbis aliisque compluribus ». Significat nobis esse geminam pugnam tum adversus divitias, tum adversus egestatem. Idem in *Phedone* usurpavit, ubi Socrati, per iocum hortanti, ut Abetem ac Symmiam confutet argumentatione, respondet Phedo, contra duos ne Herculem quidem suffecisse. Eodem adlusit Catullus in *Carmine nuptiali*, quum ait: « Noli pugnare duobus ». Haec denique sententia, tametsi non iisdem verbis aliquoties legitur etiam apud Homerum, uti ex. gr. in *Odyssea*, quando Telemachus de se ac Procis loquens ait difficile esse ac durum, unum compescere multos.

Occasionem adagii varie narrant. Quidam tradunt Molionidas adortos aliquando Herculem ex insidiis fuisse, atque illum, hominum multitudine territum, non ausum contra resistere, sed fuga saluti consuluisse; idque in vulgi sermonem abiisse. Suidas vero refert, Herculem constituto certamine Olympiaco, fretum viribus suis, primum ausum certare cum duobus et utrosque confecisse. Hos aiunt fuisse Creaton et Eurytum, Neptuno patre et Moliona matre prognatos. Deinde proxima Olympiade consimili modo congressum fuisse cum duobus quibusdam, atque ab his fuisse superatum. Quamquam sunt, qui hos existiment fuisse Lacum et Pherandum, sed qui vicerint Herculem, non qui victi discesserint.

At Plato in *Euthydemo* longe diversam ab his historiam adducit: Herculem scilicet cum hydra pariter et cancro quodam immani, qui e mari emerserat, congressum, inferiorem discessisse, atque ob id Iolai nepotis auxilium implorasse. In eo dialogo Socrates cum duobus fratribus sophistis, et, ut sunt illi, contumeliosis disputans, quasi cum duobus monstris unus congressus, quum illi probro obiiceret Dionysodorus, quod fugeret neque ad interrogata responderet, ad hunc modum respondit, quem latine reddimus: « Non iniuria fugio. Nam quum alterutri sim impar, cur non fugiam ambos? Equidem Hercule multo sum imbecillior, qui tamen pugnare pariter non valuit et adversum hydram sophisticam, cui propter sapientiam pro uno sermonis capite amputata multa repullulabant, et adversum cancrum sophistam quemdam e mari profectum, et nuper, ut arbitror, advectum. A quo quum Hercules ad sinistram angeretur, verbisque acriter morderetur, nepotis sui Iolai auxilium imploravit, qui abunde illi succurrit. Meus autem Iolaus Patroclus si veniret, magis alteram certaminis partem sustineret ».

Mordaci videlicet allegoria, Socrates e fratribus sophistis alterum hydram, alterum cancrum nominat; se Herculem, Ctesippum, Iolaum.

In dolio figularem artem discere.

De iis, qui protinus maximis in rebus artificii sui capiunt experimentum, quum paullatim a minutis ad summa proficisci conveniat. Neque enim figulus statim a dolio, id est, vase maximo, artem auspicatur, sed a pusillis quibusdam vasculis, in quibus non sit grave dispendium, si quid secus accidat. In hanc ferme sententiam usurpat Plato in *Lachete*, dum Dicaearchus ad aliam sententiam torquet proverbium, ut admoneat unumquemque artificem in suis negotiis exerceri oportere, velut aurigam in ducendis curribus, nauclerum in gubernanda navi, medicum in curandis morbis. Tamquam absurdum sit, figulum in aurigatione versari, re videlicet aliena, ac non magis in dolio. Atque ita huc pertinebit illa sententia: Quam quisque

novit artem, in hac se exerceat ». Et Horatianum illud in *Epistolis:*

Navim agere ignarus navim timet, abrotonum aegro
Non audet, nisi qui didicit dare; quod medicorum est
Promittunt medici; tractant fabrilia fabri.
Scribimus indocti, doctique poemata passim.

Sic propemodum usurpat Gregorius Theologus in apologia *De fuga;* cuius verba sic latine sonant: « Itaque alios velle docere, priusquam ipsi satis edocti sint, et in dolio, quod aiunt, figulinam, in aliorum animis meditari pietatem, mihi quidem videtur hominum insigniter desipientium ».

HORAE SUBSECIVAE

I.

Amico, ut molossum e montibus mittat

Deucalioneis saxis fert fama creatos
Erupisse homines, genitosque cruore Medusae
Innumeros colubros Libyae reptasse per oras;
Sic modo, non novi pravo quo semine, magnam
Cernimus hac illac furum succrescere turbam.
Non domino Pomona rubet, non Bacchus apricis
Incoquitur saxis, rapitur gallina per agros,
Furtivamque timent herbae frumentaque falcem,
Denique nil tutum. Celso velut aethere milvus
Fur inopinus adest, avidas atque explicat ungues.
Quorsum haec? respondes. Adverte atque accipe paucis:
Quem dederas domino blandus, terrorque latronum
Indomita occubuit consumptus tabe molossus.
Quo mihi nunc alium quaeram? De montibus istis,
Unde venit genus acre, lupis pugnare vel ipsis
Non impar, nostris custodem suffice campis.
Robore sit praestans, magnis latratibus arva
Personet, atque omnis metuat vicinia morsus.
Sic mea tu servans dulcem tutabere amicum
Qui, ut datur, effugiens urbem, secedit in agros,
Nec curis angi, nec vult trepidare pavore.
Rides? Curanti an caute prohibere minores
Auribus instillas, praedones pelle togatos,
Qui emungunt populum claro sub lumine solis,
Plenasque exsiccant gazas, dum pectora signis
Condecorata ferunt et regia limina calcant.
Hi verae Italiae pestes, hinc omnis egestas.
Novi; sed primis satis est cum fuste molossus
Arcendis: istis nec Cerberus ore trifauci.
Fertur Alexander quendam cum paupere cymba
Praedantem pelagus iecisse in vincula. At ille;
Qui modica abripio, obstringor praedoque vocor; tu,
Urbes ac regna usurpans, cognomine magnus
Diceris, et populi flexo te poplite adorant.
Tempora magnorum nunc illuxisse putato.
Quid facias? Nil ira iuvat: res vertere ineptus,
Demitto auriculas nimio sub pondere curvus.

II.

Amico, quaedam vitae documenta exhibentur

Noscis sextilis quantum delasser ab aestu,
Utque domo egrediar cum vespertilio rimis
Erumpît stridens, tacitis ac noctua campis
Ad praedam volitat. Dulces invisere amicos
Ne me igitur tentes dum torrent tela diei,
Et Canis arentes e caelo verberat agros.
Nigra istic, memini, nodoso robore silva
Frondebat, sed cuncta manus succidit avara.
At ne forte putes rebus studiisque teneri
Segnius absentem vestris, mihi vivitis omnes
Iucundi, nemoque isthinc venit unus ad urbem
Quin ego sollicitus de cunctis plurima quaeram.
Sed nunc te scriptis adeo: festiva caterva
Ut valet? An furtim saliens discurrit in agros
Dulces decerpens uvas, curisque soluta,
Dum laute in libris agitant convivia blattae,
Mille iocos nectit? tumido cum ventre Valenus
Quid mihi lentus agit? Speculatus in aethere nubes
Praedicit pluviam cum fossae atque arva redundant,
Aut avium generi exitium meditatus acerbum,
Trudit et in somnis pingues ad retia turdos?
Vir prudens, carus pueris, sincerus amicus;
Ac nisi difficilis persaepe ac nubilus ore
Praeda ubi deficiat, summis laudandus et imis.
Quod si nos aliqui nigris incessere dictis
Haudquaquam cessant, cunctis, mihi fare, probantur
Qui modo non carpunt? - aut quisnam accepit honorem
Dentemque invidiae numquam persensit? Ineptus
Qui magis est oneri dignos ille acrius urget,
— Cede locum, mihi iure venit, - quae iuris origo? —
Utile; rem facere atque alieno crescere marte
Cuique datum, expulsis aliis. — Suspendere tignis
Ut solet ac filis innectere aranea muscas,
Sugat ut ad mortem captas, sic explicat artes,
Ut perdat gens prava bonos, gemat aemula virtus.
Nulla salus igitur? — rectos invertere mores.
Tunc quaque indutus tunica, quocumque colore,
Invenies multos, urgent si adversa, patronos. —
Ast herbis satius, satius vel pane secundo
Vescier et vilem sperni, quam serpere terrae
Aut unguem a recto virtutis tramite flecti.
Hi tibi sint animo sensus; te crimina iure
Compellunt? Sapiens obliquos corrige mores:
Te insontem feriunt? clamores inter et iras
Perge iter inceptum generosi more leonis
Inter latrantes arguta voce catellos.
At si me officio eiiciant? imitare Catonem,
Laetum post magnam, mendax ni fama, repulsam,
Ludentemque pila; ride discede animosus
Atque novos homines erecta despice fronte.

Auximi.

P. RECANATESI

ADSCENSUS IN ALPES

Iam venit aestas, Iulioque mense fervente lassi iam lacerti elanguent. Quid urbes et agros, quos siccos Cancer adurit, non relinquimus, illasque nives hiemali tempore formidine quadam et horrore conspectas non adsequimur? Adscensus in Alpium surrectos caelo scopulos, non vires tantum corporis roborat, sed animos erigit, atque ad invisibilium amorem rapit. « Equidem in huiusmodi commercio quod cum natura instituimus — scripsit Contardus Ferrinius, Papiensis ille athenaei doctor pientissimus, quem Itali defunctum paucis abhinc annis luxerunt, tantoque honore adhuc prosequuntur ut a Summo Pontifice nuper commissionem rogaverint ad causam beatificationis et canonizationem pro eo probandam — in huiusmodi, inquit, commercio Deum proximum sentimus, eiusque portenta admiramur: mens nostra pulcritudinis ac boni capacior fit, fortitudinem ac decorem attingit, grandia fata sua praevidet. Illos vere beatos, qui ad hunc ludum gravem eundemque potentem vocantur! Date mihi puerum, ut hederam, maternis vestibus iampridem adhaerentem, excellentiae cuiusvis, vel rationis quae proprie singulis tribuatur, expertem; contra, imbellis timoris plenum, imbellis magis posterae licentiae indicii; date, inquam, puerum istum mihi, quem per Alpes perducam, atque in naturae obstaculis futuras vitae difficultates vincere ediscat; ediscat ex oriente sole in montis quadam crepidine conspecto, aut ex occidentis luminis fulgore per glaciem, aut ex amicis lunae silentiis in deserta valle iocantis, laetitia efferri; qui denique carpat flores in finibus perpetuarum nivium crescentes, tantoque caeli risu inter tot montis horrores exsultet; puer iste factus inde homo, salvoque conscientiae suae officio redibit ».



Montis Albi et Camonii oppidi prospectus.

Quae si de Alpibus generatim iure meritoque dicenda sunt, quid de Alpium, imo universae Europae, regalibus iugis loquamur, quae Montem Album, prouti vulgo nuncupatur, constituunt? Ad quatuor metrorum millia et octingenta quindecim attollitur in Sabaudia, ex eiusque fastigiis, trium numero, conglaciata flumina sexdecim variae magnitudinis per septentrionis collum, viginti vero per australe defluunt. Ex cacumine, cuius Phoebus magis quam octoginta per anni dies duratas nescit flammis mollire pruinas, amplissimum quem Europae reperire quaesieris prospectum videre est: Helvetiam omnem, Galliae, Italiae ac Germaniae aliquam partem. Ab anno MDCCLX, quum Saussure, Genevensis doctor physicus, praemium ei constituit qui aditum ad Montem Album inveniret, complures eius fastigia evadere conati sunt, quae tandem mense Augusto an. MDCCLXXVI Iacobus Balma et Paccard doctor attigerunt, annoque post cum iis Saussure ipse, qui horas quinque ibi remansit ut disciplinae suae experimenta ageret, montisque altitudinem dimetiretur. Nostris diebus iter facilius apparet, ipsisque mulieribus pervium: comitatus Camonio procedunt, parvo illo ex oppido ad pedes Albi montis, quod originem duxisse ferunt ex coenobio quodam Fratrum Ordinis S. Benedicti, an. millesimo nonagesimo nono post Christum natum a Genevensi duce in ea valle condito.

DE LUSU QUI VULGO DICITUR " LA DAMA „

Prudentissimus vir Ioannes Bosco, sacerdos Taurinensis, qui vitam omnem in erudiendis pueris docendisque transegit, eo potissimum spectabat, ut suae doctrinae alumni corpora identidem ludis gymnicis exercerent, sicque animos a curis recrearent. Ac propterea eos cursu iocari modo cupiebat, nunc corporis exercitationibus, nunc saltu; denique lepide huc illuc cursitando clamitare, ut essent « sollicitae porro, plenaeque sonoribus aures ». Ita suos animi causa ludere exoptabat sanctissimus ille magister, « utiliumque sagax rerum ». Haud aliter, temporibus suis, Philippus Nerius facere consuevit, ut Romana soboles iis artibus formaretur, quae ad humanitatem atque ad religionem pertinent. Sic moribus iuventutis recte inserviens, suos semper monebat ut honeste iocarentur, eosdemque ad diversandum diebus feriatis haud procul ab urbe ducebat.

Lepide iis indulgens: « Vobis permitto, — dîcebat, — ut reboantes sitis aliquando et stridentes, dummodo peccato abstineatis, cursitare atque ita tenuiter corpus recreare volo ». Idque pio sedebat homini, et plurimis nos verbis saepe saepius ad cursitandum vel exemplo incitabat.

Quae quum ita sint, aegrius admodum suos latrunculis ludere patiebatur, et modo quum saeviente hieme late ludere haud permitteretur: — « Currite, — aiebat, — nunquam sistite, vel saltem colloquentes deambulate ». Argute enim addebat: « *Hi latrunculi* sunt vobis admodum nefasti; vobis qui salutem insidiose auferunt ».

Hisce tandem posthabitis, ad rem venio. Si tu spatium praeteriti temporis respicias, iam illud illico in mentem subvenit, quo beatiores, rebus gravioris momenti ablegatis, genio unice servientes, ut tempus tererent, in aedibus suis rusticanis, cum paucis amiculis, in primis latrunculis luderent, qui armis plerumque indurati rem bellicam vel iocando exercerent, dum matronae, levioribus rebus adsuetae, ne suam saepe mentem nimis aggravarent, scrupis humiliter ludunt, qui suum sibi nomen ab ipsis usurparunt.

Quid enim ipsae utilius, quid levius agerent? Sic ipsis abibas:

Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas!

— Quid struis hisce ceptis?

— Venio ad vos, seu melius ad *duodecim scrupos*, seu clarius « *alle dame* ».

Adest in medio alveolus, et tamquam acies consistit in agmen quadratum. Ibi in parvulis quadratis, albo pictis colore nigroque, ex copiarum ordine, scrupi aliis alii obvii. Quorsum tandem omne luctantium spectat propositum? Illuc omnino, ut admovendo e more scrupos, ita progredi possit, ut in ultimam alveoli partem incolumis perveniat. Sed multa sunt equidem animadvertenda. Cave ne adversarius e latere tacitus adveniens, te supergredi possit! Si tamen tu facile velis ad finem pervenire, cura ut identidem tuus scrupus adversarium oppetat seiunctum. Sic eum e medio eripies; quod optime, ludentium vocabulo, dixeris: *Comedo!*

Sed ut cito hoc tibi facere contingat, et, nullo prohibente, cursum pergere, arte tibi opus erit, ut aciem ita perficias, ut sine vulnere adversarium continuo ferias ac vulneribus confodias. Quod quidem eveniet, si comedere hinc atque illinc in media acie prolapsus milites seu scrupos destruas. Et res erit tibi felicior, si alterum post alterum, uno modo transvecto quadrato, offendas.

Tunc enim, omnibus remotis periculis, quum in ultimam alveoli partem perveneris, facile princeps eris, quoniam scrupus hic, *dama* nomine donatus, poterit in adversarii aciem liberrime incurrere, vel ante vel retro, pro voluptate atque arbitrio irrumpere usque ad interitum. Hisce peractis, adversarius ad incitas redactus, unum post alium, nullo prorsus obsistente, scrupos e medio eripere fastidiose viderit. Hic demum, ut dux in hominum certamine, in ancipitia coniectus, suis omnibus captis, adversario victoriam demisse relinquit.

SUBALPINUS.

COLLOQUIA LATINA

Auditiones. (1)

ELEUTHERIUS. — Cur vos, Modeste et Damiane, hesterna die et nudius tertius non adfuistis in gymnasio?

MODESTUS. — Nihil dissimulabo. Ob cruditatem minus belle valui; nunc sum meliusculus.

DAMIANUS. — Ab amico in hortos suburbanos, hoc mense anni amabilissimo et laetissimo invitatus, recusare nec potuissem, si voluissem; nec si maxime potuissem, voluissem: est enim ille de amicis meis veterrimus et fidelissimus. Inde autem aliquanto post, quam putabam, in urbem reverti.

E. — Undenam discetis quae nos interea magister docuit?

M. — Legi iisdem de rebus, quem anno praeterito accepi muneri a patruo meo commentarium.

D. — Ego ex autographo condiscipuli alicuius ea mihi describam.

E. - - Arbitramini igitur vos isto modo eadem assequuturos et intellecturos perfecte omnia?

M. — Quidni? Quin iam assequutus sum; nihil requiro.

D. — Perpaulum aut nihil interest, ut quidem opinio mea fert, audiverisne an postea descripseris.

(1) Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Progymnasmata latinitatis* passim retractavit I. F.

Et hoc est commune eorum solatium, qui vel voluntate vel casu aliquo abfuerunt a ludo, posse aliunde describere. Sunt qui nullum idcirco angorem capiunt, nec ideo fortunis suis desperant quamquam menses totos docentem non auscultaverint.

E. — Magno errore uterque ducimini.

M. — Si placet, demonstra nobis istum errorem.

E. — Longe praestat audire quam legere, etiam si multo diligentissime legas.

D. — Quid ita vero? Non egemus libris disertis, elegantibus, eruditis, unde hauriamus scientiam; et quae legimus intelligimus, neque enim adhuc nucibus ludimus, ut proinde iactura audiendi, paucorum praesertim dierum, tam graviter et inique ferenda non sit.

E. — Legendi semper est occasio; non est semper audiendi.

M. — Non sit; quid tum?

E. — Lectio solitaria est veluti quidam somnus; auditio veluti vigilia. Viva vox praeceptoris magis nos afficit, plenius quasi pascit et alit, et altius descendunt in animum, in eoque tenacius inhaerent, quae pronunciatio, vultus, habitus, gestus docentis affixerit. Quid, quod illa moderatio et variatio vocis cuiusdam commentarii efficacitatem obtinet, et quaedam eorum quae dicuntur est illustratio? Quid, quod plura fere dicuntur de una eademque re in schola, quae non item scribuntur; quia neque possunt commode scribi, neque vult ea magister calamo excipi?

M. — Nihilominus acriora absolutioraque sunt quae legimus in auctoribus.

E. — Ut hoc concesserim, quoniam plus operae consumunt qui libros edunt, quam qui de superiore loco docent, tamen obscuriora et involutiora esse quae scribentur, tu mihi vicissim concedas oportet. Non enim se liber ipsemet explicat, ut praeceptores facere consueverunt, qui multis exemplis, sententiis, argumentis utuntur et nihil quod verentur non intellectum iri, praetermittunt quin declarent. Quod autem scriptum est semel, hoc per saecula tale, quale fuit ab initio, sive clarum, sive obscurum, sive facile et expeditum, sive difficile impeditumque manet. Interroga millies quid hoc, quid illud sibi velit, nunquam respondebit liber tuus quem volvis. Conquerenti Alexandro regi cum Aristotele, quod libros physicorum edidisset, quos rex compressos teneri cupiebat, ut quomodo imperii, sic scientiae gloria praestaret multis mortalibus, rescripsit philosophus, sciret illos libros esse editos et non editos; neque enim posse intelligi nisi ab iis, qui sibi docenti praesentes dedissent operam. Praeterea fieri aliquando potest, ut tam probatus et doctus non sit liber, et ita te parum adiuvet, quin immo multum tibi noceat. Atque ut probatissimus sit, ego certe eximium praeceptorem malo, quem tamquam ex multis libris unum quemdam, vivumque librum contempler: qui scilicet multa et multos pervolutaverit, et tamquam sedula apis e diversorum flosculornm succo unius cuiusdam dulcissimique saporis succum expresserit.

D. — Tam ingeniosi acutique nos haud eramus, ut ista animadverteremus, quae tu nos modo nec opinantes docuisti.

M. — Ad tuam sententiam meum aggrego iudicium. Providebo ut post hunc diem audiam quotidie, nisi morbi alicuius gravitas prohibuerit, aut medicus publico abstinere edixerit.

D. — Ego in dies festos convivia et hortorum istas invitationes reiiciam.

E. — Tantum tribui a vobis orationi meae, et non displicuisse consilium, magnopere, non mea quidem, qui tantum nec agnosco nec postulo, sed vestra caussa laetus sum.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Indicis.

Per decretum d. IX mens. Maii MCMXII in Indicem librorum prohibitorum relata sunt opera quae sequuntur:

ABBÉ JULES CLARAZ, *Le mariage des prêtres.* — Paris 1911.

IZSÒF ALAJOS, *A gyakori szent áldozás és az eletpszichologia.* — Budapest, 1910.

TH. DE CAUZONS, *Histoire de l' inquisition en France.* Paris, 1909.

— *Dubium:* Utrum Episcopus loci, in quo aliquis auctor eidem non subditus librum, a proprio Ordinario iam examinatum et praelo dignum iudicatum, publici iuris facere desiderat, istius libri impressionem permittere possit, quin eum novae censurae subiicere debeat.

Resp. — Affirmative, apponendo iudicium «Nihil obstare» censoris alterius dioecesis, ab istius Ordinario sibi transmissum.

(Ex decr. eiusdem diei IX mens. Maii MCMXII).

Ex Congregatione Rituum.

Dubia resoluta circa novas Rubricas. (1)

XXXI. — Num occurrente Festo novem Lectionum in Feria II et IV Rogationum et in feriis Quatuor temporum Adventus et mensis Septembris, legi possint et debeant Lectiones de Scriptura, quae die immediate antecedenti vel sequenti fuerint impeditae, si festum illud novem Lectionum Lectiones proprias vel de Communi non reposcat? — *Resp.* Affirmative.

XXXII. — Et quatenus affirmative ad XXXI, 1) utrum Lectiones de Scriptura diei praecedentis, an

(1) Cf. num. sup.

Lectiones de Scriptura diei sequentis sint praeferendae, si ambae fuerint impeditae; 2) num a sua die Lectiones de Scriptura occurrente amoveri possint ut in feriis Homiliam habentibus Lectiones de Scriptura legi possint, ita ut, exempli gratia, si Lectiones Feriae II infra hebdomadam III Adventus impediantur, poni possint et debeant in feria III, et Lectiones Feriae III in Feria IV, et ita in similibus? — *Resp.* Quoad primam partem, legantur Lectiones diei praecedentis; quoad secundam partem affirmative.

XXXIII. — Num initium alicuius Libri, si aliter poni nequeat, reponi possit et debeat in Festo novem Lectionum, quod Lectiones revera proprias et historicas in I Nocturno habeat, prout habent utraque Cathedra et Vincula S. Petri Apostoli, Conversio S. Pauli Apostoli, Inventio S. Stephani Protomartyris et similia? *Resp.* Negative.

XXXIV. — Et quatenus negative ad XXXIII, num idem dicendum sit de Lectionibus appropriatis, prout sunt appropriatae in festo Dedicationis Basilicarum SS. Petri et Pauli, S. Mariae Maioris et in similibus? — — *Resp.* Negative.

(Ex decr. d. XIX mens. Apr. MCMXII).

Dubia varia.

I. — Utrum decretum n. 3096 — quo declaratur die XXV mens. Aprilis occurrente in Dominica, in Ecclesiis ubi unicus est Sacerdos, Missam cum cantu Rogationum, quando fit Processio, valere etiam pro adimplendo onere Missae Parochialis — extendi possit ad Missam quae cani permittitur de Festo Commemorationis solemnis SSmi. Corporis Christi Dominica infra Octavam eiusdem, saltem ubi fit Processio? — *Resp.* Negative, nisi obtineatur indultum.

II. — An decretum d. XI mens. Maii MCMXI ad II — quo edicitur organum adhiberi posse, in casu necessitatis solummodo ad associandum et sustinendum cantum, silente organo quum silet cantus in Officiis et Missis in quibus sonus organi prohibetur (1) — semper valeat, sive adhibeatur cantus Gregorianus, sive polyphonicus? — *Resp.* Affirmative.

III. — Lectiones II Nocturni in festo S. Agnetis V. M, suntne historicae, ita ut legi possint et debeant tamquam IX lectio si idem festum ob occurrentiam festi superioris ritus vel dignitatis simplificatur? — *Resp.* Affirmative.

IV. — In Completorio post secundas Vesperas Dominicae Palmarum debentne diei preces, quando in Vesperis facta sit commemoratio duplicis die sequenti occurrentis, proindeque simplificati? — *Resp.* Negative.

V. — In locis in quibus festum B. Gasparis del Bufalo C. recolitur sub ritu duplici maiori vel minori, dicendae ne sunt lectiones I Nocturni propriae, an potius de Scriptura occurrente? — *Resp.* Serventur propriae, si fuerint concessae, iuxta novas Rubricas, tit. I, n. 4.

VI. — Antiphonae et psalmi ad Matutinum commemorationis omnium Ss. Romanorum Pontificum, e communi Apostolorum desumpta, itane censenda sunt propria, ut recitari debeant etiam si eiusmodi festum celebretur sub ritu duplici maiori vel minori; an potius, utpote de communi desumpta, cedere debent antiphonis et psamils de feria? — *Resp*, Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

VII. — Idemque estne dicendum de responsoriis I Nocturni, ita ut, omissis lectionibus de Scriptura occurrente, recitandae sint lectiones « Laudemus viros » de communi? — *Resp.* Affirmative.

VIII. — Infra octavam Commemorationis solemnis sanctissimi Corporis D. N. I. C., si fiat commemoratio duplicis simplificati, debetne adiungi tertia oratio, an potius omitti? — *Resp.* Omittatur tertia oratio.

IX. — In Missis de vigilia vel de feria propriam Praefationem non habente, dicendane est Praefatio propria festi vel octavae, cuius factum sit officium? — *Resp.* Affirmative.

X. — Itemque in iisdem Missis dicendumne est *Credo* ratione festi vel octavae symbolum habentis? — *Resp.* Negative.

XI. — In Missis pro Sponsis, sicut in aliis Missis votivis ex privilegio celebratis, in duplicibus adiungendane est tertia oratio? — *Resp.* Negative.

(Ex decr. d. XXIV mens. Maii MCMXII).

Instructio super privilegiis quae in triduo vel octiduo solemniter celebrando intra annum a Beatificatione vel Canonizatione per rescriptum Sacrae ipsius Congregationis a Summo Pontifice concedi solent.

I. — In solemniis, sive triduanis sive octiduanis, quae in honorem alicuius Sancti vel Beati celebrari permittuntur, Missae omnes de ipsa festivitate ob peculiarem celebritatem dicantur cum *Gloria* et *Credo*, et cum Evangelio S. Ioannis in fine, nisi legendum fuerit ultimum Evangelium Dominicae aut feriae aut vigiliae, quoties de his facta fuerit commemoratio.

II. — Missa solemnis seu cantata, ubi altera Missa saltem lecta de officio currenti celebretur, dicatur cum unica oratione; secus fiant illae tantummodo commemorationes quae in duplicibus primae classis permittuntur. Missae vero lectae dicantur cum omnibus commemorationibus occurrentibus, sed orationibus de tempore et collectis exclusis. Quoad Praefationem serventur Rubricae ac Decreta.

III. — Missam cantatam impediunt tantum Duplicia primae classis, eiusdemque classis Dominicae, nec non feriae, vigiliae et octavae privilegiatae quae praefata duplicia excludunt. Missas vero lectas impediunt etiam Duplicia secundae classis, et eiusdem classis Dominicae, et feriae, vigiliae atque octavae quae eiusmod Duplicia primae et secundae classis item excludunt. In;

(1) Cfr. *Vox Urbis* an. XIV, n. VII, pag. 108.

his autem casibus impedimenti, Missae dicendae sunt de occurrente festo vel Dominica, aliisve diebus ut supra privilegiatis, prouti ritus diei postulat, cum commemoratione de Sancto vel Beato et quidem sub unica conclusione cum oratione diei in duplicibus primae et secundae classis; aliis autem diebus commemoratio de Sancto vel Beato fiat sub distincta conclusione post orationem diei.

IV. — In Ecclesiis ubi adest onus celebrandi Missam conventualem, vel parochialem cum applicatione pro populo, eiusmodi Missa de occurrente Officio nunquam omittenda erit.

V. — Si Pontificalia Missarum de festivitate ad thronum fiant, haud tertia canenda erit, episcopo paramenta sumente, sed Hora Nona; quae tamen Hora de ipso Sancto vel Beato semper erit; substitui nihilominus eidem Horae de die pro satisfactione non poterit.

VI. — Quamvis Missae omnes vel privatae tantum impediri possint, semper nihilominus secundas Vesperas de ipsa festivitate solemniores facere licebit absque ulla commemoratione; quae Vesperae tamen de festivitate pro satisfactione inservire non poterunt.

VII. — Aliae functiones ecclesiasticae praeter recensitas, de Ordinarii consensu, semper habere locum poterunt, uti Homilia inter Missarum solemnia, vel vespere oratio panegyrica, analogae in honorem Sancti vel Beati fundendae preces, et maxime solemnis cum Venerabili Benedictio. Postremo vero Tridui vel Octidui die hymnus *Te Deum* cum versiculis *Benedicamus Patrem, Benedictus es, Domine exaudi, Dominus vobiscum* et oratione *Deus cuius misericordiae* cum sua conclusione nunquam omittetur ante *Tantum ergo* et orationem de SSmo. Sacramento.

VIII. — Ad venerationem autem et pietatem in novensiles Sanctos vel Beatos impensius fovendum, Sanctitas Sua, thesauros Ecclesiae aperiens, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus qui vere poenitentes, confessi ac Sacra Synaxi refecti, ecclesias vel oratoria publica, in quibus praedicta triduana vel octiduana solemnia peragentur, visitaverint, ibique iuxta mentem eiusdem Sanctitatis Suae per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces fuderint, indulgentiam plenariam in forma Ecclesiae consueta, semel lucrandam, applicabilem quoque animabus igne piaculari detentis benigne concedit: iis vero qui corde saltem contrito, durante tempore enunciato, ipsas ecclesias vel oratoria publica inviserint, atque in eis uti supra oraverint, indulgentiam partialem centum dierum semel unoquoque die acquirendam, applicabilem pari modo animabus in purgatorio, existentibus, indulget.

(Dat. d. XXII mens. Maii MCMXII).

Pueri neque nimia severitate contineantur, neque deliciis assuescant.

PLATO, *De leg.* VII.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Iunio MCMXII).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Carolus Magalhaes de Azeredo, a secretis Brasiliensis legationis apud Apostolicam Sedem; Bernardus Blumensthihl, Comes; Maria de Ferrari, Ducissa; iuvenes choralis scholae S. Mariae de urbe Chicagine; Pontificii Instituti Biblici doctorum collegium a r. p. Leopoldo Fonck, praeside, coram adductum; r. d. Ioannes Maria Zonghi, Academiae Nobilium Ecclesiasticorum Rector, cum sacerdotibus sex, qui iam Evangelici, prouti vulgo nuncupant, Pastores in Anglia, Catholicam Fidem recens professi sunt et Sacris Ordinibus aucti; Chigi, Aldobrandini et Lancellotti, Urbani Principes, eorumque familiae; D' Erp dynasta, Belgicae legationis administer apud Apostolicam Sedem; coetus catholicorum iuvenum in Romano athenaeo studiis vacantium; doctores et alumni Urbanae « Superioris Scholae de Musica Sacra »; manus catholicorum a Chilensi civitate ex Palaestina reducum; Otho de Ritter de Gruenstein, Dynasta, Bavariae administer cum omni potestate apud Apostolicam Sedem; Ioannes Schonburg-Hartenstein, Princeps, Austrorum Hungarorumque legatus apud Apostolicam Sedem; Petrus Iosephus de Roda y Gamio, a secretis Peruvianae legationis apud Apostolicam Sedem; De Hoeckher, Dynasta; pueri ac puellae ex Calabro-Siculo terraemotu superstites in Romanis ephoebeis munificentia ipsius Summi Pontificis ad quadringentorum numerum alti; peregrinorum manus ex Neapolitana archidioecesi et ex insula Maiorica; catholici iuvenes in Urbe scholis ordinis secundi vacantes.

Pontificiae electiones.

Provisio ecclesiarum. — Per decreta S. Congregationis Consistorialis SS. D. N. Pius PP. X has quae sequuntur ecclesias de proprio pastore providit, scilicet; cathedrali ecclesiae Pactensi praefecit rmum. Ferdinandum Fiandaca, hactenus episcopum Nicosiensem; titulari ecclesiae archiepiscopali Trapezuntinae revmum. Iosephum Camassa, iam episcopum Melphiensem et Rapollensem; cathedr. eccl. Feretranae sac. Raphaëlem Santi, archidioec. Bononien., ibidem parochum loci vulgo « Pieve di Budrio »; metropolitanae eccl. Ianuensi revmum. Andream Caron, hactenus episc. Cenetensem; cathedr. eccl. Mandatriensi r. p. Aloisium Misic, O. F. M. Unionis Leonianae; tit. eccl. episc. Lyrbensi sac. Antonium Papp, Vicarium generalem dioec. Munchacsiensis Ruthenorum, quem constituit coadiutorem cum iure futurae successionis revmi. Iulii Firczak, episcopi Munchacsien. Ruthenorum.

Nominationes Episcoporum. — Brevi Apostolico nominati sunt: r. p. Beda Beckmeyer, e Congregatione Silvestrina O. S. B., episcopus Kandiensis in Indiis Orientalibus; r. p. Ioannes Biermans, e Societate Missionariorum S. Iosephi De Mill-Hill, episcopus tit. Gargarensis et Vicarius Apostolicus Nili Superioris; r. d. Paulus Dumond, ex Instituto Sacerdotum a Missione, episcopus tit. Curubitanus et Vicarius Apostolicus novi Vicariatus Ce-li maritimi in Sinis.

Nominatio Praefecti Apostolici. — Per decretum S. Congregationis de Propaganda Fide r. p. Liberatus ab Exel (Iacobus Cluts) Praefectus Apostolicus novae Praefecturae Apostolicae Sumatranae nominatus est.

— R. p. Antonius ab Assumptione, Minister generalis Fratrum excalceatorum Ord. SSmae Trinitatis, inter Consultores S. Congregationis de Religiosis adnumeratur.

— Rr. pp. dd. Alfonsus Foucaul, episc. S. Deodati; Ioan. Bapt. Fallize, episc. tit. Elusan. et Vicarius Apostolicus Norvegiae; Gislenus Veneri, episc. Aquaependen., inter episcopos Pontificio solio adstantes referuntur.

Varia.

Die vigesima octava, sub vespere, Pontifex in Vaticanam basilicam descendit, sepulcrum Apostolorum Petri et Pauli veneraturus.

ANNALES

Regalia itinera.

Iunius mensis ob regalia itinera praeter ceteros huius anni insignis evasit, Primum enim Gulielma, Batavorum regina, cum « Principe consorte » Lutetiam Parisiorum tenuit, cuius apud cives illam prope dicam naturalem fascinationem renovavit, quae Batavos cum regina sua arcto vinculo tenet adstrictos.

Fere iisdem diebus Vindobonam Franciscum Iosephum visitaturi adiverunt Ferdinandus, Bulgariae rex, et Nicolaus, rex Montis Nigri: alius alii propinantes regales viri amicitiam palam ostendere voluerunt inter Austrorum Hungarorumque imperium atque finitimas Balkanicas civitates, quasi pignus pacis haud facile illic perturbandae.

Bulgarorum Caesar deinde Berolinum petiit humanissime a Gulielmo Imperatore acceptus tum ob interruptas nunquam duorum populorum rationes benevolentiae plenas, tum etiam ob cognationem inter utramque regiam stirpem intercedentem.

Denique praetereundum non est Russorum Caesarem, post multos absentiae annos, cum familia omni Moscoviam rediisse, ut inibi aliquamdiu commoraretur ; quod quidem de interno Russici imperii statu in melius verso non adspernabile indicium praebet.

Bellum inter Italos atque Turcas.

Diaria huius belli non retulerunt eventus, unde certior spes affulgeret, fore ut pax brevi restituatur. Turcarum enim gubernium cuivis hortatui reluctans, ne proculdubio Iuvenum Turcarum factionis auctoritatem apud populum suum aliqua ratione minuat, cives falsis omnino nunciis ludit; quae tamen facere non possunt quin revera Itali, lente quamvis, possessiones suas amplificent. Itaque die Iunii mensis tertia litus ad meridiem Bengasi urbis Ghemiez usque tormentis bellicis flagellarunt ; die octava insignem victoriam ad Zanzur de hostibus retulerunt; die decima sexta ad Misurata novas copias in litus exposuere ; denique postremis mensis diebus, post alacrem strenuamque oppugnationem, Sidi-Said, Turcico magni momenti propugnaculo, potiti sunt.

Ad hasce Turcarum miserias accedunt rebelliones militumque defectiones in Albania, civilis belli praenuncia ; quae fortasse administros ad meliora consilia tandem adducent.

Mauritanae res.

Nihil ex Mauritania hodie memorabile : rerum enim status immotus per proximum mensem mansit. Lyautey, supremus Gallorum militum illic praefectus, imperii summam tranquille consequutus est, dum Mulay Afid, Mauritanorum imperator, Fez ab urbe tranquille pariter Rabat pervenit.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Anglia** quum malae valetudinis causa Loreburne, Magnus Cancellarius, a munere recessisset, ei Haldane suffectus est ; in cuius locum, ut belli negotiis praeesset, Seely chiliarca delectus, ex populi legatis.

In **Bavaria** de rationibus acceptorum et expensarum non sine acrimonia disceptatur.

In **Belgica** comitia tum ad publici coetus tum ad senatus oratores eligendos favorabilia catholicorum parti omnino cesserunt.

In **Hungaria** ut « obstructionismi » — prouti vulgo aiunt — artes contra leges de militari re instauranda firma manu vinceret, Tisza Comes, publici coetus praeses, ipsas leges conglobatim suffragio proposuit, quumque opposita factio clamoribus omnis generis obsisteret, eam militari manu ab aula expulit. Haec causa condemnabilis illius eventus, per quem Kovacs, populi legatus, post praesidis vitam manuballistula frustra (bona sorte) petitam, in se ipsum arma iniecit.

In **Italia** a Senatu confirmata lex de iure suffragii amplificando.

In **Lusitania** administrorum collegium, praeside ipso Vasconcellos, reformatum. Nulli iuris a Senatu facta lex de legatione apud Apostolicam Sedem abolenda.

In **Turcarum** imperio commercii foedus cum Germania ad annum prolatum.

PER ORBEM

Die IV mens. Iulii MCMXII vehemens incendium Constantinopoli exoritur, unde ad duo millia domorum absumuntur.

— d. V Leodii et per Belgicam passim a socialistarum factione, quae a comitiis ad publici coetus legatos eligendos inferior recesserat, tumultus excitantur, quos armata manu nec sine sanguinis effusione cohibere necesse est.

— d. VI Mediolani obit Iulius Ricordi, musices artis cultor et Maecenas apud Italos valde notus.

— d. VII Bodalte, Canadensis civitatis oppidum, fere omne fortuito incendio vastatur.

— d. VIII Woellersdorfiensis pyrogranae custodia et ipsa necopinato casu inceditur magna tum rerum, tum hominum ruina.

— d. IX coram immensa populi multitudine Washingtonia in urbe monumentum, Christophoro Columbo dicatum, sollemni ritu inauguratur.

— d. XI Cuba ex insula cruenta nigritarum rebellio nunciatur.

— d. XII Lutetiae Parisiorum, senectute conficitur Fridericus Passy, oeconomicae disciplinae magister late celebratus, auctor inter primores internationalis foederis ad pacem fovendam, an. MDCCCCI Nobelio praemio ob id donatus. Natus erat anno MDCCCXXII.

— d. XIII Reichenhall, Hungariae in oppido, moritur Winter doctor, historicus et milesiarum fabularum scriptor, Pragae natus an. MDCCCXLVI.

— d. XIV immane aliud incendium Constantinopoli furit in vico Galata.

— d. XVI curruum series vapore actorum Stocolmam urbem recto cursu petens, ad Malmstaett stationem, in aliam mercibus onustam incidit. In congressu viatores viginti confringuntur, pluresque vulnerantur.

— d. XVII Anatolius Leroy Beaulieu, Gallicus historicus, criticus civilisque disciplinae magister merito probabilis, Lutetiae Parisiorum vita fungitur. Ortum duxerat in oppido Lisieux anno MDCCCXLII.

— d. XIX nova Luxemburgi Magna Ducissa suo populo fidelitatis iuramentum sollemni ritu praestat.

— d. XX maritimorum opificum a laboribus ex condicto desertiones tum in Anglia, tum in Gallia renovantur.

— d. XXII in Caucasi vallibus ex atra procella inundationes lugentur, quae ferreis axibus stratam viam subvertunt, humanasque victimas adducunt.

— d. XXVIII ad Hyeres insulas dum Gallica classis ad scopum sese exercet, tormento quodam bellico loricatae navis *Iules Michelet* disrupto, classiarii tres supra viginti gravia vulnera reportant.

— XXIX Lutetiae Parisiorum dum Ioannis Iacobi Rousseau centenaria commemoratio habetur, manus civium regio gubernio faventium tumultus provocant.

LIBRORUM RECENSIO

IOSEPHI BONAVENIA, S. I. *Carmen Philumenianum.* — Romae, typis Cuggiani MCMXII, in 16° pag. 56. — Pret. lib. 1.

Auctoris nomen late inclaruit ob insignem, qua pollet, archaeologiae sacrae scientiam, quam disciplinam in Universitate Gregoriana publice docet. Nec minus ille versatus est in poesi latina: quod patet cum ex aliis eiusdem elucubrationibus poeticis, tum ex hoc nuperrimo *Carmine Philumeniano.* In quo auctor non solum faciles comptosque hexametros effundit, sed eosdem quoque sacro aestu inflammatos. Neque id mirum. Agit enim de argumento sibi apprime caro: de celebri translatione in oppidum Mugnano corporis S. Philumenae, cuius virginis martyrium et sepulcrum clarus auctor doctis illustraverat et vindicarat dissertationibus. Triumphalem igitur pompam, qua sacrae exuviae deductae fuerunt, poëta noster ample describit; nec solum ea memorat quae in hoc itinere mira contigerunt, sed veteres etiam attingit glorias Campanae regionis, uti S. Paulinum, episcopum Nolanum, et S. Felicem presbyterum, quos pulchre inducit obviam euntes S. Philumenae eique de caelo plaudentes. Furentes item commemorat cacodaemones e vicino Vesuvio erumpentes atque immanem excitantes tempestatem.

Quae omnia lectorem iucunde afficiunt et ad pietatem movent. Ad faciliorem autem carminis intelligentiam non parum conducunt et *Summarium* quod in fronte ponitur, et *Adnotationes* quae opportune in calce accedunt. Nec quisquam profecto id auctori vitio vertet, quod in voce *Philumenae* variam, pro metri necessitate, adhibuerit prosodiam.

Iuvat tandem ea hic referre, quae Pontifex Maximus ad clarum poetam et archaeologum rescribere dignatus est: « Dilecto filio Religioso Viro Iosepho Bonavenia S. I. de excellenti carmine philumeniano gratulamur ex animo, et fausta quaeque per intercessionem praeclarae Virginis Martyris Philumenae a Domino adprecantes, grati et benevolentis animi testem, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus. — Ex aedibus Vaticanis, die 14 Iunii, 1912. — Pius PP. X ».

FR. XAV. REUSS.

AENIGMATA

I.

I (vulgo REBUS).

SE INCOMMODUM INCOMMODUM INCOMMODUM INCOMMODUM INCOMMODUM..... NE

II.

A teneo: vado per vicos, vado per urbes.
E teneo: cupas fabricor arte mea.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHI
DE AENEIDE CUM FRUCTU LEGENDA
ACROASIS.

Aenigmata an. XV, n. IV proposita his respondent:

1) **Os-iris**; - 2) **Re-do.**

Ea rite soluta miserunt:

Alois. Cappelli, *Senis* — St. Dantas, *Natal. in Brasilia.* — F. X. M. *Drepano.* — Rich. Müller, *Berolino.* — Petrus Tergestinus. — Vinc. Starace, *Neapoli.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — Rich. Brondel, *Brugis.* — Lud. Goux, *Bituricis.* — Stan. Pini; F. Arnori, *Mediolano.* — Frid. Horwath, *Vindobona.* — Ad. Kozlowski, *Petricovia.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — Alb. Kain, *Dublino.* — F. Wawer, *Marianopoli,* — Eug. Dolmar, *Neo-Eboraco.* — Georg. Archambeault, *Quebeco.* — P. Prado, *Venetiis.* — St. Kempa, *Agrodinia.* — Lud. Dubois, *Massilia.* — A. Bounin, *Aureliano.*

Sortitus est praemium:

ADAM KOZLOWSKI,

ad quem missa est IOANNIS FRANCESIA actio dramatica, cui titulus:

EUPLIUS.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina *Societatis Editricis Romanae.*

ANTHEA

(5

(Ex fabula H. SIENKIEWICZ Poloni: *Eamus ad Ipsum*).

In eorum enim cogitatione defixa, quae de Nazareno homine a procuratore acceperat, a cura molestiaque animum avocabat. Inter quae abditum aliquid a suaque mente longe remotum frustra conabatur assequi intellectu atque tenere. Nam qui tranquille mortem appetiissent noverat quidem multos; sed eos intellegebat aut iactanter fato occurrisse, aut necessitati cessisse sapienter; nondum tamen extitisse quemquam, cui exploratum omnino esset, utrum cum vita omnia extinguerentur, an mors verae sempiternaeque vitae esset initium. Unus id se certo nosse profitebatur publice, mox cruci adfigendus.

Interea prodit ex urbe pompa, recta petens destinatum spectaculo collem.

Effunditur multitudo portis; omnes, relictis domibus, dextra laevaque sese catervae adiungere, alius alium sciscitari, mirari complures tantum in eo viro fuisse momenti, ut universae civitatis in se oculos ac suspensa ora converteret. Iamque hominum fremitus ad remotissimas aures pervenerat, armorumque internitentium rumor, quibus in media turba conspicui romani milites erant, sollicitas exspectatione mentes compleverant, quum tandem propius Anthea agmen accessit.

Anteibant, magno cum strepitu et iactatione fanatica corporis, ex ima plebe adolescentes, laceris vestibus, zona succincti, abrasis capillis, cirris hinc inde per genas effusis. Cohors ingens sequebatur aetatis omnis et conditionis, ore attonito, succensis oculis, sudore madidis prae aestu ac festinatione frontibus. Horum claudebat agmen Consilium Iudaeorum supremum in quo medii duo principes eminebant: Anna, falcato vultu et lippis oculis senex; Caipha bicorni infula ornatus, ac lamina circa pectus gemmis distincta. Extremi subeunt, interiectus aestuanti populo murus, pharisaei, gravi incessu, vultu composito, defluentibus tunicis, quasi quietae felicitatis vexillis.

Cinna, fastu romano, oculis lustrabat singulos. Antheam stupor primum, deinde anxiae trepidationis penetraverat sensus. Cuius quasi mortuae species omnium in se rapiebat admirationem, haerebantque in ea defixi insolentius obtutus. Inhibebant milites proterviam turbae, contemptione atque odio prosequentis, quum peregrinos omnes, tum etiam mulierem illam pene morbo confectam. Tum demum miserae patuit totius ratio consilii quod gens illa cepisset, perdendi hominis amantissimi.

Auctum clamorem sibilis, rugitibus, improvisum ac perbreve silentium excepit. Tum vero exaudiri coeptus tinnitus armorum, et gressus in numerum gravis legionariae cohortis.

Turba hinc inde semota, fit aditus novissimo agmini. Septae militibus agitabantur, tamquam in aëre natantes, cruces tres, curvante pondere terga subeuntium. Facile autem intelligi poterat in iis non esse divinum hominem; nam nefarios duos ipse prodebat vultus; tertius erat, alii suffectus, rusticus quidam.

Tandem exiguo intervallo, medius inter custodes milites duos, conspicitur Nazarenus. Impositum vestibus gerit purpureum pallium; regium insigne capiti inhaeret spinea corona; qua laceratione cereus pallore vultus rigatur sanguine. Singulis passibus defatigato recrudescit dolor intumescitque corpus ulceribus. Una languentem prosequitur, pari emissa consensu, vox « crucifigatur ». Alternis autem inconditus editur clamor isque terribilis, ritu ferarum, praedam modo quam expetant truci rictu intuentium. Interea demisso vultu procedit innocens victima, non suam quidem vicem, sed populi salutem dolens supremo periculo obiectam.

Anthea, defixis oculis in augustissimam faciem eandemque pacis et misericordiae nuntiam gentibus universis, trepido labiorum murmure:

— Tu es — inquit — veritas.

Anxiae vero propter motum ne cito esset ille praeteriturus, sors insperatam attulit occasionem contemplandi diutius. Quum enim eo loci nimium stipata turba intercluderet iter, eius amovendae causa, obnitentes milites constitere. Tum Antheae licuit considerare totum hominem adeo sibi iam proximum, ut flavos illius crines cerneret agitari vento, cerneret in pallido vultu repercussos colores purpurae. Multa simul spectaculo erant; multitudo, vix a militibus compressa ne in ipsum rueret praeceps; intenta, facto pugno, tot brachia; tot oculi emissitii; tot albicantes dentes, tot linguae ad exsecrandum conversae. Quibus omnibus ille petitus ictibus, interdum circumspiciens, velle videbatur quaerere, quidnam tandem fecisset mali.

Inter haec Anthea iteratis vocibus revocatur a Cinna. Oblita enim se multos iam dies iacere immotam, irae simul atque amoris acta impetu quodam repente surrexerat, turgidisque oculis ac tremebunda collectos e lectica flores coeperat spargere, pedibus Nazareni calcandos.

Occupat late stupor animos secum agitantes, qui fieri posset ut romana foemina, genere nobilissimo, eius honoris testimonium publice exhiberet damnato homini. At ille, converso ore, rexpexit Antheam, motisque leniter labiis visus est eidem velle bene precari. Ad haec resupina cecidit mulier in pulvinaria lecticae; mox interiore quadam luce circumfusa in spemque optimam erecta:

— Tu, — inquit — tu es ipsa Veritas.

(Ad proximum numerum).

PETRUS ANGELINI.

Ann. XV. ROMAE, Mense Augusto MCMXII Num. VIII.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

An Heterodoxi exegetae, fidelius quam Catholici, sensum rerum Scripturarum expresserint

Leo XIII (Enc. *Prov. Deus*), diffitendum non esse, ait, religiosa quadam obscuritate sacros Libros involvi, ut ad eos, nisi aliquo viae duce, nemo ingredi possit. Et ipsemet S. Petrus (II *Ep.* 3, 15, 16) de « charissimi Fratris Pauli » epistolis loquens, scribit: « In quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti, et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem ». Propter quae omnia. de Sacrae Scripturae libro versiculus ille recitatur:

Hic liber est, in quo quaerit sua dogmata quisque.
Invenit et pariter dogmata quisque sua.

Quinam est igitur dux, ad verum sensum S. Scripturae iudicandum? Conc. Vaticanum (Sess. 3, c. 2, Denz. 1637) declaravit: « In rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus est, quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sacrarum ». Hisce firmiter retentis, quaestiuncula nova exsurgit: « An, - videlicet, - Heterodoxi exegetae, fidelius quam catholici, sensum verum Scripturarum expresserint ». Affirmativam partem Modernistae, solo novitatis amore ducti, amplectuntur; negativam vero vir catholicus amplecti debet.

***

Heterodoxi exegetae non expressisse fidelius sensum verum Scripturarum apparet:

a) Ex quibusdam falsis S. Scripturam interpretandi principiis eorum, quorum primum est, systema *luminis interni,* iuxta quod, quilibet christianus a Spiritu Sancto immediate illuminatur ad verum sensum Scripturae tenendum, neque ullis regulis indiget. Quod quidem systema facto contradicit; quum enim unus et idem sit Spiritus illuminans, non unus et idem est sensus, sed prouti Vinc. Lerinensis ait (1): « Eiusdem (Scripturae) eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, ut paene quot homines sunt, tot illius sententiae erui posse videantur ».

Secundum systema, a Rationalismo biblico saec. XVIII edoctum, est systema *accommodationis* iuxta quod fatendum est Iesum Christum, Christique Apostolos, respectu librorum N. Testamenti, Iudaeorum erroribus sese conformasse tum moraliter tum paedagogice, tum dogmatice. *Moraliter* quidem actionem praescriptam ponendo, vel licitam actionem omittendo, ne eorum conscientia scandalum pateretur. *Paedagogice* etiam vel doctrinam suam Iudaeorum intelligentiae attemperando, vel doctrinam mentem eorum transcendentem omittendo. *Dogmatice* vero, et quidem *negative,* non statim sed convenienti tempore eorum errores reiiciendo, vel indirecte tantum refutando; *positive* autem aperte, externeque errores docendo, quos forsitan interius reprobabant.

Accommodationis systema tum Christi tum Apostolorum sanctitatem offendit. Christus enim (IOA. XVIII, 37,) fassus est: « Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati »; dum Apostolus *(Ad Gal.* I, 8*)* ait: « Sed licet nos, aut Angelus de caelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit ».

Tertium systema, systema *interpretationis moralis* vocatur, iuxta quod in Scriptura Sacra, nonnisi moralia praecepta inquirenda sunt, quum cetera omnia idest revelatio, dogmata, miracula, prophetiae, historia, nullum possideant valorem.

Ex christianae apologiae documentis scimus, quam leviter absurditates a systemate interpretationis moralis affirmentur.

(1) *Commonit.*, 2.

Adest quartum Rationalismi biblici systema, idest systema *interpretationis psychologicae.* Non secus ac in tertio systemate docetur in hoc, sola praecepta moralia esse in sacra Scriptura quaerenda, miracula vero, doctrinasque supernaturales methodo quadam psychologica explicanda esse. Ex. gr. miraculum de turbis famelicis a Christo quinque panibus saturatis, ita explicandum est, videlicet non Iesum Christum solummodo, sed etiam alios omnes, quinque panes liberaliter dedisse, ad turbas saturandas.

Systemate tam puerili relicto, ad ultimum systema heterodoxorum exegetarum, sive *interpretationis mythicae,* veniamus. Iuxta mythicam interpretationem, meri mythi sunt narrationes Geneseos capitis primi, Samsonis, Esther, aliaeque totius Veteris Testamenti. Mythi puri sunt miracula, prophetiae ceteraque omnia supernaturalia, quae de vita I. Christi in Novo Testamento narrantur. Hoc vero interpretationis mythicae systema, a negatione cuiusque ordinis supernaturalis procedit, atque factis manifestis contradicit. « Si enim Christi miracula, — animadvertit optime Lamy, (1) — non sunt nisi figmenta, explicent rationalistae, quomodo absque miraculis efformata sit Ecclesia, quomodo creverit et adoleverit, quomodo per omnes gentes propagata sit, quomodo, devicta idolatria, devictis principibus, devicta haeresi, devicta corruptione, devicto tempore, cui nec fortissima resistunt imperia, usque hodie subsistat totius mundi victrix et triumphans; quomodo duodecim viri illiterati, rudes, agrestes, absque divitiis, absque eloquentia, absque armis, absque potentia potuerint, quod nec philosophi celeberrimi nec principes potentissimi efficere valuerunt; quomodo duodecim viri absque ullo humano auxilio hominibus persuaserint ut idola desererent, mores suos corrigerent, omnibus commodis renuntiarent, ut hominem infami crucis supplicio damnatum adorarent, mortemque pro ipso libenter sustinerent. Certe non sunt fictitia, non sunt mythica ista Evangelia, pro quorum veritate innumeri martyres sanguinem suum fuderunt. Qui enim pro fabulis mortem pati vellet hucusque non est inventus ».

* * *

b) Ex auctoritate Leonis XIII. — « Id nimium dedecet, ait Pontifex *(Prov. Deus),* ut quis, egregiis operibus, quae nostri abunde reliquerunt, ignoratis aut despectis, heterodoxorum libros praeoptet, ab eisque cum praesenti sanae doctrinae periculo et non raro cum detrimento fidei explicationem locorum quaerat, in quibus catholici ingenia et labores suos iamdudum optimeque collocarint. Licet enim heterodoxorum studiis, prudenter adhibitis, iuvari interdum possit interpres catholicus, meminerit tamen, ex crebris quoque veterum documentis, incorruptum sacrarum Litterarum sensum extra Ecclesiam neutiquam reperiri, neque ab eis tradi posse, qui verae fidei expertes, Scripturae non medullam attingunt, sed corticem rodunt ». Nonne Clemens Alexandrinus *(Strom.* 1, 7*)* asserit, « illos, qui adversus ecclesiasticam traditionem Scripturas interpretantur, regulam veritatis amisisse » ? Nonne pulchre Vincentius Lerinensis *(Commonit.* 2*)* statuit: « Aliter illam (Scripturam) Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, aliter postremo Nestorius. Atque idcirco multum necesse est propter tantos tam varii erroris anfractus ut propheticae et apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur » ?

(1) Thom. I. Lamy. *Introd. in s. Scripturam,* 1, p. p. 265, Ed. 5ª.

* * *

c) Errore hoc adserto, catholicorum exegetarum auctoritas parvi facienda esset, et in rebus quidem gravibus, quod admitti nequit. Nam M. Cano fatente (1), in quacumque arte peritis credendum esse ratio monstrat. Nec enim sanus haberetur, qui nautis in navigandi ratione non crederet. Qui igitur in arte hac de Theologiae dogmatibus disserendi, experientibus et exercitis nullam fidem habet, aut parum sanus, aut certe temerarius est.

Merito propterea Pius Papa X damnavit propositionem XIXam Syllabi, quae sonat: « Heterodoxi exegetae fidelius expresserunt sensum verum Scripturarum quam exegetae catholici ».

Reginaldus Fei O .P.

(1) *De Locis Theol.* Lib. VIII, c. IV.

DISPUTATIONES PHILOSOPHICAE
MODERNISTAM INTER ET THOMISTAM (1)

Modernista. — Tu ultimo asserebas, cum tuo Angelico, in singulis actibus liberis dari quid naturale et necessarium, nempe amorem boni in communi, ita ut nihil faciat homo neque facere possit nisi « quia placet » in voluntate facere, etsi aliunde addantur et angustiae; ille enim qui mortem tremens appetit, appetit « quia placet appetere », non obstante tremore. Seu, si malueris, amor boni in communi a natura ipsa est, atque cum natura a Deo et creatur et conservatur et applicatur; neque, posito obiecto, esse potest quod non existat. Si quis hunc amorem boni in communi, qui in omni actu prorsus et naturaliter existit, atque demum causa etiam est cur deveniatur, etsi libere, ad amorem boni particularis, veri aut apparentis, praemotionem reipsa physicam vocaverit, non videtur esse erroris culpandus: amor quippe ille et motio est physica et motio praevia a Deo ipso creante, conservante, applicante est.

Sed tamen nondum soluta difficultas ex integro est, siquidem in actibus nostris, praeter illum amorem boni

(1) Cf. num. v.

in communi, datur et amor boni in particulari; boni, inquam, aut veri aut apparentis. De quo altero hoc amore interpretamentum tuum exposco, siquidem res mihi semper salebrosa prorsus visa est.

Thomista. — Res prorsus salebrosa, amice carissime, et a saeculis, ut noveris, disputata. De qua plurima inquiruntur passim, sed praeprimis quomodo transitus fiat ab actu rationis ad actum voluntatis, et quomodo integra remaneat creaturae intellectualis libertas et activitas, sub actione Dei pariter integra et libera, in electione boni particularis. Utrumque paucis summisque principiis, omissisque variis sententiis, me tibi proponere liceat, ita ut quasi omnia compendiose prae oculis habeas, simulque et connexionem et convenientiam omnium possis perspicere. Quod praestabo, nisi fallar, per analysim summariam iudicii practici, qualem exhibet Angelicus, imprimis in suo *De veritate*. (1)

In omni igitur actione humana practice decernenda duo dantur necessario iudicia: unum quod vocatur examinis, seu consilii, alterum electionis, seu executionis.

In hoc conveniunt, quod utrumque est conclusio singularis de eadem actione, Sed multipliciter simul differunt: primo quod illud sit de obiecti dignitate, cur nempe unum sit prae alio eligendum, istud vero decernit executionem illius quod per iudicium consilii fuerit approbatum, sicut et in iudiciis forensibus decernitur primum sententia, deinde executio sententiae; secundo quod illud respicit obiectum in se, istud vero ut ab illo approbatum; tertio quod illud habet rationem principii, istud conclusionis; quarto quod illud non supponit necessario actualem amorem obiecti, istud vero omnino supponit; quinto quod illud respicit τὸ posse, istud τὸ facere; sexto quod illud praecedat electionem prioritate existentiae, imo et temporis, ita ut ab electione seiungi possit, istud vero necessario comitem habeat electionem, ut mox dicturi sumus; septimo quod illud a voluntate reiici possit, istud vero, *dum perdurat*, non possit electionem ipsam retractare, licet potuerit impediri ne esset, atque possit cessare, iubente voluntate, vel attentione etiam cessante.

Istae, inquam, duae ultimae differentiae sedulo sunt investigandae quoad iudicium electionis, siquidem ex hac intelligentia apparet quo respectu sese mutuo habeant iudicium electionis, quod actus rationis est, et ipsa electio, quae est voluntatis actus. Rem Sanctus Thomas, brevi, clara et firma sententia expressit more suo dicens: « Animus, quando perfecte imperat sibi ut velit, tunc iam vult ». (2)

Videlicet, etsi iudicium electionis et ipsa electio quoad singularem actum distinguenda sint, attamen separari nequeunt, ita ut si quis iudicet hic et nunc esse agendum reipsa agat infallibiliter; et si iudicet hic et nunc esse eligendum, reipsa eligat; de ratione existentiae unius sit existentia alterius, nec detur ullus inter illa eadem ordo successionis, sed coexistentia omnimoda. Iudicium electionis et electio ipsa sunt sibi invicem causae: siquidem electio, ut est amor finis, causat actum iudicii, cuius aliunde est etiam causa finalis; sicque est prior iudicio electionis prioritate naturae; dum e contra iudicium electionis, vi amoris finis, applicat voluntatem ad eligendum, atque electionem ipsam vi propria specificat: seu, ut aliis verbis explicem, iudicium electionis non est nisi applicatio actualis voluntatis ad electionem, quae esse nequit absque passiva applicatione voluntatis eligentis, seu sine electione; sicut aliunde electio ipsa, quum sit ex cognitione finis et mediorum, non potest esse sine iudicio electionis.

Licet tamen, illa duo, dum perdurant, sese invicem importent, integra remanet libertas, tum quia ante electionem animus potuit non procedere ad iudicium electionis; tum quia, perdurante ipsa electione et iudicio electionis, possit animus ab hoc iudicio et ab hac electione alio divertere et cessare, sicut de facto frequentissime divertit et cessat.

Patet autem, sub electione poni et imperium et executionem, quae electionem sequuntur.

Omnia igitur in actibus humanis pendent ultimo ex iudicio practico, quod ubi perduret, importat infallibiliter et iudicium electionis et ipsam electionem, inter se necessario coniuncta, licet utrumque quis vel potuerit non admittere, vel admissa possit reiicere, mutato iudicio, unde salvatur libertas.

Atque demum in hoc consistit rectitudo et iudicii praedicti et ipsius electionis, quod iudicium electionis sit rerum veritati conforme, nempe decernat id esse bonum hic et nunc exequendum, quod reapse hic et nunc bonum est.

Ita igitur electio boni, quae voluntatis actus est, dici potest infallibilis et contingens: infallibilis, inquam, eo sensu quod infallibiliter concomitetur iudicium electionis; contingens et fallibilis, eo sensu quod illud iudicium potuit non assumi et possit dimitti.

Si quis igitur primo id efficiat ut intellectus obiectum apprehendat quale in se est, atque inquirere velit ut oportet; secundo si ita dirigit intellectum ut iste iudicet agendum id quod est agendum, unde infallibiliter voluntas in huius electionem prodeat; tertio iudicium istud perdurare faciat, proindeque et electionem, is, inquam, voluntatem in bono infallibiliter firmabit.

Deum autem quam facillime praestare posse in comperto est: et quidem, sicut a principio diximus, ita ut homo velit iuxta modum cognitionis: Deus videlicet dirigere et illuminare potest iudicium illud examinis et consilii ut res apprehendat atque decernat ut oportet; ut perduret huiusmodi iudicium, et tunc eo ipso electionem voluntatis infallibiliter firmet in bono. Et haec iterum erit aliqua praemotio physica.

Unde Angelicus: « Alio modo quando ex concursu causarum multarum contingentium et deficere possibi-

(1) Quaest. 17, a. 4, 4.
(2) XIIae q. 17, a. 5. 1m.

lium pervenitur ad unum effectum, quarum unamquamque Deus ordinat ad consecutionem effectus, loco eius quae deficit, vel ne altera deficiat ». Et infra : « Liberum arbitrium deficere potest a salute. Tamen, in eo quem Deus praedestinat alia adminicula praeparat quod vel non cadat, vel si cadat quod resurgat : sicut exhortationes ac suffragia orationum, donum gratiae et alia huiusmodi, quibus Deus homini adminiculatur ad salutem. Si ergo consideramus salutem ex parte causae proximae, scilicet liberi arbitrii, non habet certitudinem, sed contingentiam ; respectu autem causae primae habet certitudinem ». (1)

Quod intellige, uti patet ex verbis, non hoc sensu, quod Deus adminicula illa praeparet, quibus praevidet hominem recte usurum, sed quod illa eadem praeparet ut homo recte utatur.

Si attente legeris conversionem Sancti Pauli, vel sancti Augustini, haec omnia quasi prae oculis tibi prostabunt. Sed de his alias.

I. I. B.

(1) *Verit.*, q. 6. a. 3.

RELIGIOSA MUSICE IN THEATRO

Communi ex sententia, palam recepta, certos modos certasque leges omnino esse servanda, ut musices cantusque tributum Deo in templis offeramus, illud evenit, ut quoties inter musices dramata quae in scaenam prodeunt, aliquid religiosum aut sacrum agatur, toties vocum sive fidium concentus eas induat formas, quae a profanis reliquum per drama descriptis quam maxime distinguantur et religiosis sensibus perquam aptissimae videantur. Quae profecto non ita ad unguem in templorum cantu forte servabantur, ubi nulla proxima comparatio cum solutiore concentu pertimescenda erat.

Res vero a primis musicorum dramatum scriptoribus parum tentata fuit, neque XVII aut XVIII saeculo religiosi concentus unquam in scaena auditi sunt. Prima enim aetate sive apud Italos, sive mox apud Gallos atque in Germania musices dramata Graecorum Romanorumve tantum gesta obtulerunt.

Primi sacri cantus specimina in theatro, Galli medio saeculo XIX edidere, quum drama agerent cui titulus: *Robert le Diable.* Quamquam enim dramata italica duo, *Vilhelmus Tell* et *la Muta di Portici*, religiosum aliquod ante Robertum illum habebant, religiosam tamen musicen proprie adhuc non protulere. Nam chorus Vilhelmi, operis pulcherrimus atque suavis plenus moestitiae, non in templo, sed prope illud exauditur. Sed quum *Robertus* ageretur, ipsum templum actores ingrediuntur totumque drama inter sacros hymnos coramque altare resolvitur.

Scaena quidem magnificentissime lateque solemnis est, ubi Robertus atque Bertramus anxii atque furentes in templo manent, dum sacrum melos diffunditur religiosum atque pium ; nec suae maiestatis quidquam amittit, ita ut non iniuria Richardus Wagner de Meyerbeerio diceret traditum illi esse munus, ut doceret in scaena quomodo de divinis rebus ageretur. Huius simile melos in dramate, cui *Propheta* titulus, profertur, cuius quarta actio in templo ita proponitur, ut una cum hominum cantu divini atque religiosi cantus seorsim atque pulcherrimi audiantur.

Similia fiunt Gallico in dramate *Faust,* quod Goethe scripsit et Carolus Gounod cantu vestivit : ibi enim duos inter modos, religiosum alterum, alterum satanicum, scaena agitur, ita tamen ut modus uterque invicem innodetur vocemque divinam Satanas quodammodo imitetur, quo magis ei irrideat.

At quum Margarita Deum precatur ut ad altare ipsa accedere possit, pulcherrimus cantus est, atque tum verbo, tum prece, tum supplici concentu sensus in animo piissimi commoventur, ita plane ut nullis tunc organis vocem comitantibus aliquid paene *Gregoriani* qui dicitur cantus, iam praebeat ; quod si plurimae voces concinerent, religiosum omnino melos haberemus. Neque alias forte auctor ipse simile pium melos adinvenit, neque quum *Felix culpa,* neque quum *Mors et vita*, aut *Ave Maria* cantus notissimos componeret.

Sed religiosae musices maximum opus *Parsifal* Richardi Wagnerii habetur: sacrum ibi omne drama; neque una scaena est tandem, quae in templo prodeat, sed omnis actio pium sacrumque sensum praebet. Ibi enim et tempus, et locus, et dramatis personae sacra sunt, et a christianae religionis ritu praecipuum actionis argumentum praebent.

Ipsae tunc tubae fidesque, quas Wagnerius tanto studio ludere voluit, hominum vocibus locum cedunt; atque sacrum organum peculiare adhibetur, nempe aes campanum. Quod enim campanum aes in Wagnerii dramate pulsat, ita cantat, ita precatur, ut nulla humana vox sciverit unquam; vivamque fidem studiumque Dei fervidum ita pandit, quae anima hominum perraro senserit. Eo in dramate campanum idem aes pergrave dedit sacrae musices exemplum, quod sane iuxta modum omnes imitarentur.

Piissimi pariter atque purissimi cantus sunt quos Parsifalii equites concinunt a *Sancto Gradalio* nuncupati: tum enim Wagnerius, ut proprium sacrarum rerum melos adhiberet piisque concentibus uteretur, gregorianam monodiam atque polyphoniam illam assumpsit, cuius Petrus Aloisius Praenestinus inventor exstitit atque magister.

Ibi imo in modis sacris qui in templis adhibentur, ab hominum vocibus organa vincuntur, atque humanis modis adorationes, preces, supplicationes exprimuntur.

Parsifalii itaque scaena, pulcherrima inter eas quae unquam in theatra prodierint, veluti exemplar apparet, aut ego fallor, futurae etiam musices, quae in templis exaudiatur, servatis ipsis monitis, quae Pius PP. X in *Motu proprio* notissimo sapientissime postea edidit.

I. A. C.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Oleum et operam perdere.

Hoc est: quidquid insumpsisti, seu rei, seu laboris, id frustra insumptum est. — Metaphora ducta est a gladiatorum ac palaestritarum certaminibus, in quibus certaturi unguentis quibusdam oleaceis perungebantur. Cicero in *Epistolis:* «Nam, quid ego te athletas putem desiderare, qui gladiatores contempseris? In quibus ipse Pompeius profitetur se et oleum et operam perdidisse».

Quamquam potest et ad lucubrantium lucernas referri, sicuti Cicero fecisse videtur, scribens ad Atticum (lib. XIII): «Ante lucem quum scriberem contra Epicureos, de eodem oleo et opera exaravi nescio quid ad te, et ante lucem dedi». Idem ad eumdem alibi: «Non deflemus, ne et oleum et opera nostrae philologiae perierit; sed conferamus tranquillo animo». Quo quidem in loco plus habet gratiae, quod ad rem animi translatum sit. Ergo hic oleum pro «sumptu» positum est. Nam et sic effert adagium Plautus in *Rudentibus*: «Et operam et sumptum perdunt». — Eodem pertinet etiam illud quod corvus ille salutator sonare didicerat: Opera et impensa periit. Cuius fabulae meminit Macrobius in libro *Saturnalium* secundo: «Sublimis — inquit — Asiatica victoria revertebatur Octavius. Occurrit ei inter gratulantes corvum (quidam) tenens, quem instituerat dicere: Ave Caesar, victor, imperator. Miratus Caesar officiosam avem viginti millibus nummûm emit. Socius opificis, ad quem nihil ex illa liberalitate pervenerat, affirmaverat Caesari illum habere et alium corvum, quem ut afferre cogeretur, rogavit. Allatus, verba quae didicerat, expressit: Ave, victor, Imperator Antoni. Nihil Caesar exasperatus, satis duxit iubere illum dividere donarium cum contubernali. Salutatus similiter a psittaco, emi iussit eum. Idem miratus in pica, hanc quoque redemit. Exemplum sutorem sollicitavit, ut corvum institueret ad parem salutationem; qui, impendio exhaustus, saepe ad avem non respondentem dicere solebat: Opera et impensa periit. Aliquando tamen corvus coepit dicere dictatam salutationem.Hac audita dum transit, Augustus respondit: Satis domi salutatorum talium habeo. — Superfuit corvo memoria, ut et illa quibus dominum querentem solebat audire, subtexeret: Opera et impensa periit. — Ad quod Caesar risit, emique avem iussit quanti nullam adhuc emerat». Hactenus Macrobius.

S. Hieronymus ad Pammachium videtur huic adagio velut alterum quoddam adagium substituisse: «Oleum perdit et impensam qui bovem mittit ad ceroma»; siquidem hoc ipsum «bovem ad ceroma mittere», proverbium sapit pro eo quod est docere indocilem, aut ad id muneris quempiam adsciscere, ad quod obeundum minime sit idoneus, videlicet ingenio repugnante. Nam ceroma dicitur unguentum, quo olim ungebantur athletae; id ex oleo certisque terrae generibus conficiebatur. Porro ad certamina bos inutilis est.

Ne sutor ultra crepidam.

Dictum est ne quis de his iudicare conetur, quae sint ab ipsius arte professioneque aliena. Adagium natum est ab Apelle, nobilissimo illo pictore, de quo Plinius (lib. XXXV, c. 10) scribit in hunc modum: «Idem perfecta opera proponebat in pergula transeuntibus, atque post ipsam tabulam latens, vitia quae notarentur, auscultabat, vulgum diligentiorem iudicem, quam se praeferens; feruntque a sutore esse reprehensum, quod in crepidis una pauciores fecisset ansas. Eodem postero die superbe, ob emendationem pristinae admonitionis cavillante crus, indignatum prospexisse, denunciantem, ne supra crepidam sutor iudicaret. Quod et ipsum in proverbium venit». Hactenus Plinius.

Huic simillimum est quod refert Athenaeus. Stratonicus citharoedus fabro secum de musica contendenti: — Non sentis — inquit — te ultra malleum loqui?

Eodem pertinet, quod huius nepos in epistolis scripsit de artificio non recte iudicare quemquam, nisi et ipsum artificem. Quodque primo *Moralium* libro dixit Aristoteles earum rerum unumquemque iudicem esse idoneum, quarum sit eruditus. Et quod idem scripsit lib. II *Naturalium*, coecum disputare de coloribus. Quae etiam verba in proverbium abierunt, quoties quispiam de rebus ignotis disputat. Ad eamdem sententiam referendum quod ait Fabius Pictor apud Quinctilianum, felices futuras artes, si soli artifices de iis iudicarent.

Suo Marte.

Quoties, nullis auxiliis adiuti, nostropte ingenio, propriisque viribus rem peragimus, nostro Marte operari dicimus. Tullius *(Offic.* lib. III*)*: «Hanc igitur partem relictam explebimus, nullis adminiculis, sed, ut dicitur, Marte nostro». Idem de Deiotaro loquens (*Philipp.*, II): «Rex enim ipse sua sponte, nullis commentariis Caesaris, simulatque audivit eius interitum, suo Marte res suas recuperavit». — Cod. (lib. II, tit. *Ne liceat potentioribus*, cap. I): «Bene admodum constituit Claudius consultissimus princeps, parens noster, ut iactura causae afficerentur ii, qui sibi potentiorum patrocinium advocassent, ut, hoc proposito metu, iudiciariae lites potius suo Marte decurrerent, quam potentiorum domorum opibus niterentur». Rursus (lib. III, tit. *De iudiciis*, cap. XI): «Illo proculdubio observando, ut, si neque per alterutram litigantium partem,

nec per iudices steterit, quo minus lis suo Marte decurrat, sed per patronos causarum, licentia detur iudici ».

Translatum videtur ab Imperatoribus, qui suis ipsorum auspiciis et copiis bellum sustinebant; siquidem Plautus etiam « meis copiis » dixit, pro « meo Marte ».

Sapiunt proverbium etiam illa: « Vario Marte — Dubio Marte — Iniquo Marte, » neque longe diversum est illud: « Non absque Theseo ».

Cantherium in fossa.

Rusticum proverbium, quamquam e re militari natum; quo licebit uti quoties quis ad id negotii trahitur, in quo nequaquam valet; aut ubi res vehementer erit impedita periculosave. Refertur a T. Livio (*Decad.* III, lib. III). Narrat autem, quum Fabius Capuam obsideret, bello Punico secundo, Iubellium Tauream, inter equites Campanos nobilissimum, e Romanorum exercitu quemvis ad singulare certamen evocasse, ausumque prodire Claudium Asellium. Deinde, ubi diutius uterque alterum libero campo elusisset, Campanus in cavam viam descendere iussit, alioqui equorum non equitum fore certamen. Eo quum Romanus, re quam verbis ferocior, extemplo descendisset, rursum elusit Taurea sermone, qui postea in rusticum versus est proverbium: Minime scis, inquiens, cantherium in fossa?

Quamquam ex Livianis verbis parum liquet adagii sensus, tamen coniecturis facile deprehenditur. Pugnat autem cum adagio illo altero communi: *Equus in planitie;* etenim, quemadmodum plurimum valet equus in planitie, ita minime valet in fossa.

Equus in planitie.

Quoties ad id aliquis provocatur, in quo plurimum valet, quoque vel maxime gaudet, adagium aptari potest: equus enim in campo, tamquam in sua est harena. Apud Lucianum in *Captivo*, quum ipse iudices postularet, Plato respondit: « Hoc ipsum, quod dici solet, equum in planiciem », hominem rhetoricum significans et in agendis causis exercitatum. — Synesius in epistola quadam: « Ad hoc ipsum certe provoco, equum in planitiem, iuxta id quod dicitur adhortari me putans ». — Translatum videtur a militia; nam quoties res est pediti cum equite, pedes fugit campestria, sectaturque loca impeditiora.

Principatus Scyrius.

De frigido tenuique regno; Scyrus enim insula petricosa et infrugifera, nec ullius bonae rei ferax. Suidas addit quosdam referre proverbium ad Theseum, qui quum Lycomedis ditionem invasisset, brevi praecipitatus sit. — Adagium eleganter accommodabitur ad munus aliquod, unde praeter inanem tilulum et molestam administrandi curam nihil emolumenti capitur.

Auctor Zenodatus.

Callipides.

Callipides olim proverbio dicebatur qui in moliendis negotiis quum multa se facturum minaretur, nihil tamen conficeret, aut, quemadmodum ait Terentius, qui sedulo movens sese, nihil promoveret. Tullius (*ad Att.*, lib. XIII) hoc verbo notat M. Varronis tarditatem, qui, quum magnas quasdam spes ostenderet, se nihil unquam absolveret. — Suetonius in *Tiberio:* « Ad extremum vota pro itu ac reditu suo suscipi passus est, ut vulgo iam per iocum *Callipides* vocaretur, quem cursitare, ac ne cubiti quidem mensuram progredi, proverbio Graeco notatum est ».

Parum vero liquet utrum omnis proverbii ratio sita sit in Callipidis cognomine, a pulchritudine equorum deducto, quemadmodum indicat Aristophanes in *Nebulis;* an aliud quoddam fuerit proverbium, quod in Callipidem sit dictum, uti ex Suetonii verbis coniectura sumi posse videtur. Deinde quis hic fuerit Callipides, cuius tardam celeritatem notarit adagium, nec satis perspicuum est, nisi quod haud veri dissimile videtur accipiendum esse de Callipide tragoediarum histrione, cuius meminit Plutarchus in apophthegmatis Laconicis, unde coniicere licet hominem ita gesticulationibus uti solere. ut, quum mira agilitate moveri videretur, a loco tamen non discederet.

Gladiator in arena consilium capit.

Admonet paroemia e re nata mutandum aliquando consilium, et tempori, quod aiunt, serviendum.

Refertur a Seneca (*Epist. ad Lucil.*, III): « Iam intelligis — inquit — educendum esse te ex istis occupationibus speciosis et malis. Sed quomodo consequi possis, quaeris.

Quaedam nonnisi a praesente monstrantur. Non potest medicus per epistolas cibi aut balnei tempus eligere: vena tangenda est. Vetus proverbium est, gladiatorem in arena capere consilium: aliquid adversarii vultus, aliquid manus mota, aliquid ipsa inclinatio corporis intuentem monet. Quid fieri soleat, quid oporteat in universum et mandari potest et scribi. Tale consilium non tantum absentibus, sed etiam posteris datur. Illud autem quando fieri debeat, aut quem ad modum, ex longinquo nemo suadebit: cum rebus ipsis deliberandum est ». — Caesar (*Bell. Gall.* V): « Quod plerumque his accidere consuevit, qui in ipso negotio consilium capere coguntur ».

ROMA

CARMEN IACOBI IOANNIS HARTMAN BATAVI (1)

Urbs aeterna! tuas (vix possum credere) iamiam
Augustas sedes, mox, o, tua templa videbo,
Miraborque tuas artes! Quot nomina clara
Iam mihi nunc aurés permulcent murmure dulci!
Quodque magis pectus gestit mihi, ponere gressus
Iam dabitur quacunque tulit vestigia quondam
Gens antiqua virûm: Flaccum spectare videbor
Quosque alios fecit caros mihi pagina lecta
Iam puero; nunc hac spatiabor qua prius ille,
Nunc illac alius mecum ibit priscus amicus.

Talia mente agito quassat dum publica rheda
Insomnem, volvoque eadem cum corporé toto
Languidus optatae tandem do membra quieti.
Tunc, o tunc sensim mihi quae spectacula surgunt,
Quas voces audire datur! Quas denique rumpit
Certior atque eadem cunctis mihi gratior una.
« Roma » sonat; voci iuncta est vox *Terminus* illi... (2)

Excutior somno; mihi terminus ille malorum
Pristinus ut redeat vigor efficit. Haud mihi curaest
Pulveris et fumi quod turpia sordibus ora,
Utraque nigra manus, color est nec vestibus ullus.

Iam properant omnes, propero magis omnibus ipse
Linquere fumosam rhedam sedemque molestam.
Sarcina cuique manu pendet, iamque agmine longo
Angustum per iter luctatur densa caterva.
E tenebris turbae tandem lux laeta diei
Affulget, pressisque diu iam purior aër
Hauritur tandem..... Nunc, nunc patet omnibus illa
Urbs divina.., mihi tantum per somnia visa!

Heu miseros homines, oculi quibus irrita semper
Crudeles faciunt sibi quae pulcherrima finxit
Mens ignara mali!..... Plateas longasque domosque
Conspicio celsas, quas linea recta coërcet:
Omnibus una est materies similisque figura,
Nulla habet ipsa suum quidquam, color omnibus idem..

Hoccine erat puero iam quod mihi pectus avebat
Utpote divitiis cunctis praeclarius? Ergo
Tantum iter effectum est hominum ut stabula alta viderem
Tristia, nil illis distantia. quae mihi semper
Prospectum rapiunt dulci cum lumine solis?
Sed toleranda minus res his accedit; ab omni
Parte sonant strepitus varii, vox Itala nulla,
« *Billig Hôtel mein Herr* » clamant et « *Deutsche Bedie-*
[nung ».
Discutio tamen hos tandem fugioque molestos;
Ad puerum me converto, quem lumina nigra
Commendant, lepidus vultus, crispique capilli.
Et simul ille ad me se proripit..... heu, decus oris
Illud abit subito, nam vox me laedit acerba:
« *Wollen Sie Mosaik?* » Non ultra taedia ferre
Sustineo, rapiuntque pedes; mihi baiulus ipse
Hospitium, modicum quamvis, laeto ore saluto,
Perfugium quoniam certe praestabitur illo.

Aediles, quibus Italiae sunt oppida curae,
Quique urbes magnas, terrarum qui caput ipsum
Augustum custoditis! laus magna manet vos,
Ut bene de patria meritos; ne barbara verba
Hospitibus vexent aures; sint Itala posthac
Quaecumque ad portas resonant; vox illa canora
Excipiat cunctos intrantes omine laeto.
Hic labor, hoc pretium Vobis insigne decusque;
« Ipsa aget Italia » at certe nunc *ipsa loquatur!*

« Roma - mora » o sapiens dictum! Quid quaerit in Urbe,
Saecula cui capiti sanctam imposuere coronam
Tot numero, praeclarorum fecunda virorum
— Nam quidquid sapimus, quidquid spiramus ab illa
Huc venit — quid, quaeso, igitur, quid quaerit in Urbe
Qui properans nunc hac amens, nunc cursitat illac?
Quid sibi vult pecus hoc quod mercennarius iste
Per plateas ductat mutum, dein, siquid adest quod
Demonstrare liber iussit, subsistere cogit,
Stridulus et recitat sublata voce magister
Nomina, cumque annis longum quaecunque per aevum
Artifices posuere manus? Non templa profanat
Grex rapide tabulas circumque altaria ductus,
Et praetervolitans sanctorum signa virorum?
Historiam non ludibrium sibi fecit ineptus,
Flavia qui postquam perlustravit monumenta,
Festinat spectare ducem, qui torvus et iram
Vix capiens populum, cui per deserta salutis

(1) Auctor, qui in certamine poetico Hoeufftiano unus est ex iudicibus, quum nuper Romam altera iam vice inviseret, subiectum carmen in Urbis laudem composuit, nobisque dedit veniam in nostris paginis vulgandi. Ob summam erga Commentarium nostrum viri humanitatem amplissimas gratias referimus. V. U.

(2) Ferriviarum maxima Urbana statio *a Terminis* vulgo audit; quae vox apud populum a propinquis Diocletiani thermis corrupta est.

Fecit iter, verbis merito castigat; (1) ab illo
Conversus miser, heu, fora pervolat, inscius ipse
Se sacram calcare viam — dux ingerit illud —
Et neque rostra videt populi nec templa senatus;
Sancta Petri delubra........ nihil nisi cogitat illud
Tum se coniicit in rhedam, qua ductus ad ipsa
De sibi concesso quantum sit tempore gaza
Pontificum sumptura — dies namque exigit hicce
Visitet ut Thermas; tum quid, dic, quid sequitur, dux?
Appia, quam nosti latebris celare sepulcra
Condita Christicolis antiquis; inde Latina
Exhibuit postquam nobis monumenta virorum,
Sculptilis artis amor quos claros reddidit, Urbi
Restituet; prius at visenda est regia Pauli
Sancta; sed hinc propera, ne nobis vespera sera
« Pantheon » obscuret tenebris vel claudat Agrippae —

Historiam hic non ludibrium sibi fecit ineptus
Et simul Urbem ipsam? Scin Romam visere quid sit?
Romanum fieri primum. Se civibus addat
Qui Romam venit, et sedem sibi quaerat in Urbe,
« Vivere » ubi possit, reditus neque cogitet ullos.
Non antiqua etenim Roma est tantummodo, prisca
Tempora non solum dat conspicienda: Latinos
Terra premit veteres, ubi nunc gens ambulat illis
Haud indigna...... minus certe nunc spernitur hospes
Illic quisquis adest; vultus iam cernit amicos
Advena, qui civem Romanum consulit ore
Inculto: quamvis balbutiat hospes, acutus
Hunc « capiet » civis respondebitque benigne.
Quodsi nil aliud nisi vocem mitteret ille,
Auribus haud duris sentitur mira voluptas
Romanus loquitur quoties. Tunc aspice vultus
Ingenui quam sint, quam sint robusta virorum
Corpora; iudicium et si te non deficit omne,
Haud mora cognosces quae sit « Romana venustas ».
Lumina Romanae quo sunt ardore, capillos
Undantes lepidus comptus quam condecet ille,
Quamque hic ornatus graciles teretesque figuras
Incessusque levis! Quin et natura maligna
Cui fuit, omne decusque simul sors dura negavit,
Saepe oculos tamen ille tuos mentemque moratur:
Contemplare inopes pauloque attentius hosce
Aspice, nonne gregem sanctus Laurentius olim
Hunc habuit, Frater quem pinxit amabilis ille
Angelicus? Sed quid pictores hic loquor et non
Romanos laudo pueros laudoque puellas,

(1) Is est Moses, cuius marmoreum signum, opus immortale Bonarrotii, in basilica Eudoxiana, sive S. Petri ad Vincula, conspicitur.

Dulce decus populi? Caelestes sumite vestros
Inde choros, Urbinatis vestigia quisquis
Nunc premis.
Haud, mihi crede, unquam spectacula Roma
Grata magis dedit hospitibus, fastidia nostrae
Dummodo ne teneant illos aetatis inepta.
Adde quod huic praesunt lepido blandoque popello
Nunc proceres, quorum est nocturna diurnaque cura
Hospitibus ne quid desit quod commoda vitae
Praebeat, utque illis mirabile quidquid in Urbe
Apte dispositum et perfusum lumine claro
Sit, quacumque iter, ante oculos: antiqua tuentur,
Quidquid et aetati clarum decus attulit ulli
Progeniem gratam ne possit fallere curant.
Non salebrosa via est, non frustra quaeritur index,
Et rapido curru cupies quocumque veheris.

Gratior at multo res his accedit: abundat
Omnis aqua dulci vicus, quae flumine largo
Decidit hic, salit hic, hic cursu ludit amoeno.
Solis et ardorem si vis vitare, parata est.
Haud procul umbra tibi; non usquam gratior aura
Captatur, patet aut prospectus pulchrior usquam
Quam qua Romanus spatiatur cives et hospes.
Praeclarum meritum non illis excidet unquam,
O proceres vestrum, numquamque silebitur illud:
« *Edita depressis iunxerunt, collibus hortos* ».

Ergo, age, in Urbe, hospes « placidam » circumspice [sedem
Sis « placidus » cura, nunc otia grata capesse,
Festina nunquam; ne sint tibi tempora curae;
Hic etenim frustra non est quae praeterit hora:
Semper adest aliquid dignum quod lumina quodque
Aures detineat, modo sit tibi pectus apertum
Moribus humanis populi verbisque iocosis.
Exspecta « placidus » quid sit tibi Roma datura:
Multa dabit: nostro non est locus ullus in orbe
Largior, aut possis opulentior unde redire.
Nempe ipse invenies gazam, te quae manet illic.
Nam dum delectant bona te praesentia gratum,
Ingenium tibi fit sollers: antiqua resurgunt,
Et quaecunque hominum moverunt pectora quondam
Iam te cuncta movent. « Romam qui visere dignus
Doctior inde redit »... Doctrinam quid mihi cantas?
Orbilios tolle hinc omnes. Vis noscere signo
Quo pateat Romae te « mente animoque » fuisse?
Laeta domus quamvis maneat te, tristis abibis,
Dulcique in patria stabit sententia certa:
Dulcius esse nihil quam Romae **degere vitam.**



SPINELLI ARETINI TABULA

DEIPARAM REFERENS IN CAELUM ASSUMPTAM

Nicaenum Concilium de sacra pictura adnotavit (art. 7), « non esse imaginum structuram pictorum inventionem, sed Ecclesiae catholicae probatam legislationem et traditionem »; scilicet qui ad rerum sacrarum repraesentationem accedat, nulli alii scholae sese conformare debere, non aliunde genii fervorem deducere, nisi ex catholicae Ecclesiae doctrina.

Id optime pictores illi prae ceteris senserunt, qui renovatae artis saec. XIII et XIV fuerunt auctores, industriaeque ac diligentiae suae propositum singulare sibi fecisse visi sunt, vim ac vigorem in vultu Domini Nostri Iesu Christi ac Deiparae divino quodam flamine exprimere. Mundi sane Redemptor, infinitae caritatis holocaustum, in singulis mortalis vitae suae tum secundis tum acerbis eventibus, ineffabili pulchritudine radians semper effingendus est; item in Mariae imagine mulier affulgere debet specie maior quam pro humano habitu, eiusque divinae matris natura, augustior; aliquid denique ab omni mortali, ut ita dicam, concretione segregatum, et in Sanctorum quoque repraesentatione est exhibendum.

Divinitatis huius reddendae studium in tabula

quam lectorum oculis hodie subiicimus clarissime patet, qua Spinellus Aretinus una cum discipulis aliquot aut sociis, inter quos Laurentius Nicolai filius, Deiparam in caelum assumptam et a Christo regali diademate redimitam inter Angelos et Sanctos pure ac sobrie retulit.

Quem quidem Spinellum eo religionis sensu comprehensum fuisse narrant, ut, quum in rebellium Angelorum e caelis expulsione depingenda Luciferum horribilis monstri sub specie reddidisset, tam multum ipse ex opere suo terrorem conceperit, ut per reliquam vitam omnem mentem exagitatam et convulsam reportaverit. Tantum pietas et ars in illo animo poterant!

COLLOQUIA LATINA

Explicationum repetendarum ratio. (1)

THEOPHILUS. — Repetistine hesternam explicationem epistolae Ciceronis?

URBANUS. — Nondum.

T. — Quid egisti?

U. — Fui in aliis occupatus.

T. — In quibus?

U. — In praeceptis grammaticae ediscendis.

T. — Utrumque faciendum fuit.

U. — Si socio non caruissem, hoc quoque forsitan praestitissem.

T. — Vis tecum repetam?

U. — Nihil malo.

T. — Agedum.

U. — Principio revocabo tibi in mentem ipsum epistolae argumentum: tu si diffidis memoriae, poteris in chartaceum libellum referre.

T. — Nullo negotio retinebo, si iterum audiero; nec enim est ita longum.

U. — Postea Ciceronem exponam verbum verbo, sequens constructionis ordinem; mox sententiam sententia, ut assolet praeceptor.

T. — Et ut nos vult, sese imitantes, facere in repetendo.

U. — Postremo themata indicabo cum accidentibus, et syntaxes quasdam faciliores.

T. — Obstringes me non vulgari beneficio. Secedamus in locum solitarium, ne quis hic nostra dicta arbitretur.

U. — Ecce nobis Gabrielem, Iacobum, Ferdinandum... Opportune conveniunt.

GABRIEL. — Tenesne, Urbane, memoria praelectionem?

U. — Propemodum.

G. — Vis una repetamus?

(1) Ex latinis colloquiis ANTONII VAN TORRE. — Passim retractavit. I. F.

U. — Maxime velim. Sed cum Theophilo praestiturus antea eram explicationem epistolae Ciceronis, quam nobis commisit magister.

G. — Optime quidem; audiemus nos vicissim... Excutiamus igitur interpretationem vernaculam tertiae huius epistolae Ciceronis.

U. — Quid tertiae? Secundae dixeris.

G. — Falleris; tertiam enim praeceptor praescripsit exponendam.

U. — Quando istud fuit?

G. — Sabbato a meridie.

U. — At ego tunc non interfui.

G. — Ergo poenam meruisti.

U. — Siccine censes, severe iudex? Occupatus eram domi, nec abfui iniussu patris.

G. — Esto; sed tamen quaerere inde debebas quid, te absente, in schola actum fuerit.

U. — Fateor: cedo scholasticos commentarios tuos, quaeso, ut videam definite quid nobis cras reddendum sit.

G. — Signato eadem opera quam praescripsit magister praelectionem, et vale; alium mihi adiungam socium, quocun repetam lectionem; tecum tempus absumo inutiliter. — Iacobe?

IACOB — Quid vis?

G. — Repetamus una praelectionem.

I. — Non est mihi nunc otium.

G. — Quid habes negotii?

I. — Ludendum.

G. — An non potes semihoram detrahere ludo tuo?

I. — Gaudere consuevi cuncta relaxandi animi facultate: tu stude quantum lubet; ego vero ludam quamdiu licebit.

G. — Tandem nactus sum socium percommodum quocum repetam. Ferdinande, complecterisne memoria praelectionem?

FERDINANDUS. — Quasi digitos meos, aut nomen proprium.

G. — Visne examinemus nos inter nos?

F. — Quorsum istud? Solus repetivi satis: omnia teneo.

G. — Tamen ad confirmandam memoriam.

F. — Sit. Tu age praeceptoris partem; ego discipuli.

G. — Equidem incipiam; sed alternabimus vices. Coniuga verbum *feror* in futurum infiniti modi.

F. — *Latum iri.*

G. — Varia.

F. — *Ferendum, am, um esse.*

G. — Recte. Quem casum admittit praepositio *subter?*

F. — Accusativum aut ablativum.

G. — Ad libitum est ubique?

F. — Minime quidem. Sed pro varia significatione, motus scilicet vel quietis, vario casu gaudet.

G. — Forma gradum comparativum et superlativum a nomine adiectivo *malus*.

F. — *Peior, peximus*.

G. — Phui! Et tu in frequentem illum errorem incidisti, quem toties praeceptor reprehendit!...

F. — Ah! *Pessimus*.

G. — Dicas nunc...

F. — Satietatem qua sum captus alterni huius sermonis? *Magnam, maiorem, maximam!* Vale.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione S. Officii.

De dispensatione super impedimento disparitatis cultus absque debitis cautionibus.

Sub die XVI mens. Aprilis MDCCCXC propositae quaestioni: « An in concedendis ab habente a Sancta Sede potestatem dispensationibus super impedimento disparitatis cultus praescriptae cautiones semper sint exigendae, » a S. Congregatione S. Officii responsum est: « Dispensationem super impedimento disparitatis cultus nunquam concedi, nisi expressis omnibus conditionibus seu cautionibus ». Nunc a Sacra eadem Congregatione quaesitum est:

1° Utrum dispensatio super impedimento disparitatis cultus, ab habente a Sancta Sede potestatem, non requisitis vel denegatis praescriptis cautionibus impertita, valida habenda sit an non?

Et quatenus negative:

2° Utrum hisce in casibus, quum scilicet de dispensatione sic invalide concessa evidenter constat, matrimonii ex hoc capite nullitatem per se ipse Ordinarius declarare valeat, vel opus sit, singulis vicibus, ad Sanctam Sedem pro sententia definitiva recurrere?

Responsum: Ad 1m Dispensationem prout exponitur impertitam esse nullam. — Ad 2m. Affirmative ad primam, negative ad secundam partem.

(Ex decr. d. XXI mens. Iunii MCMXII).

De Parochi adsistentia matrimoniis mixtis, in quibus praescriptae cautiones a contrahentibus pervicaciter detrectantur.

Quum per Decretum *Ne temere* diei II Augusti MCMVII, n. IV, expresse ac nulla facta distinctione edicatur parochos et locorum Ordinarius valide matrimonio adsistere, dummodo invitati ac rogati... requirant excipiantque contrahentium consensum; graves in praxi difficultates ortae sunt relate ad mixtas nuptias in quibus, denegatis pervicaciter a partibus debitis cautionibus, Sancta Sedes, attentis peculiaribus quorumdam locorum circumstantiis, materialem tantum parochi praesentiam, per modum exceptionis ac veluti ultimum tolerantiae limitem, antea aliquando permiserat. Re delata ad S. Congreg, S. Officii, cui ex praescripto apostolicae Constitutionis « Sapienti consilio » integra manet facultas ea cognoscendi quae circa impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis versantur, Emi. ac Rmi. Dni. Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores generales, decreverunt « praescriptionem decreti *Ne temere* n. IV, §. 3, de requirendo per parochum excipiendoque, ad validitatem matrimonii, nupturientium consensu, in matrimoniis mixtis in quibus debitas cautiones exhibere pervicaciter partes renuant, locum posthac non habere; sed standum *taxative* praecedentibus S. Sedis ac praesertim sa. me. Gregorii PP. XVI (Lit. Ap. d. XXX mens. April. MDCCCXLI ad episcopos Hungariae) ad rem concessionibus et instructionibus: facto verbo cum SSmo ». Qui quidem SS. D. N. Pius PP. X relatam sibi resolutionem adprobavit ac suprema auctoritate sua in omnibus ratam habuit.

(Ex decr. d. XXI mens. Iunii MCMXII).

Ex Congregatione Rituum.

Declarationes circa novas Rubricas.

I. — Quandocumque in feriis maioribus Missam propriam habentibus ceterisque diebus, de quibus tit. X n. 2 et 5, Missa de feria celebretur, dummodo reapse pro defunctis applicetur, addi potest oratio pro defunctis in quorum suffragium celebratur, etiamsi in ea agenda sit commemoratio de occurrente festo duplici minori vel maiori.

II. — Huiusmodi oratio pro defunctis non excludit in casu orationes de tempore, nisi occurrat commemoratio duplicis.

III. — Quando additur ista oratio pro defunctis, non est attendendus numerus orationum utrum sit dispar an non.

IV. — Haec eadem oratio pro defunctis semper recitari debet paenultimo loco inter orationes ea die a rubricis praescriptas vel permissas, non computatis collectis ab Ordinario imperatis.

V. — Oratio pro defunctis, in quorum suffragium Missa de feria applicatur, addi potest, etiamsi ea die a rubricis praecipiatur oratio *Omnipotens sempiterne Deus* pro vivis et defunctis, vel *Fidelium* pro omnibus defunctis.

VI. — Ut rite legitimeque applicari possit pro defunctis indulgentia altaris privilegiati, oportet ut, diebus in quibus a novis rubricis permittitur, missa de feria omnino celebretur, addita ut supra oratione pro defunctis pro quibus Missa ipsa celebratur.

VII. — Licet iuxta novas rubricas tit. VIII, n. 2, cessata sit obligatio recitandi in choro officium defunctorum, nihilominus adhuc servari debet rubrica missalis tit. V, n. 1 et 2, circa Missam pro defunctis celebrandam, sive in cantu cum praesentia choralium, si agatur de Missa conventuali, sive lectam extra chorum iuxta novas rubricas tit. XII.

(Ex decr. d. XII mens. Iunii MCMXII).

Dubia.

I. — Quando Dominica occurrit a die 25 ad diem 28 mens. Decembris inclusive, Rubrica praescribit Officium huius Dominicae die libera 30 Decembris celebrandum. Nunc vero pluribus in dioecesibus die 30 Decembris impedita est aliquo festo novem Lectionum. Quaeritur quid agendum in casu. — *Resp.* Officium Dominicae infra Octavam Nativitatis transferendae ea die ponatur quae festum minus nobile in occurrentia, a die 29 usque ad 31 Decembris; secus peragendum foret, salvis Dominicae iuribus in concurrentia. Quod si omnia festa a die 29 ad 31 Decembris occurrentia ritum duplicem I aut II classis obtineant, commemoratio Dominicae fiat in Festo ut supra minus nobili. In paritate nobilitatis Officium aut commemoratio Dominicae fiat in festo prius occurrente.

II. — Iuxta recentem Constitutionem *Divino afflatu*, tit. IV, n. 3, festum sanctissimi Nominis Mariae perpetuo assignatur diei duodecimae mens. Septembris. Quaeritur ergo: Num ecclesiae quae hoc festum tamquam Titulare usque ad hodiernam diem coluerunt Dominica infra octavam Nativitatis B. M. V. sub ritu duplici I classis cum octava, ipsum recolere in posterum debeant die duodecima mens. Septembris cum Ecclesia Universali, servatis privilegiis quae Titularibus competunt? — *Resp.* Affirmative.

III. — Pluribus in locis festum Sanctissimi Nominis Mariae ritu duplici I classis cum octava recolitur. Quaeritur: An istis in locis Octava Nativitatis B. M. V. cesset omnino, adveniente festo Sanctissimi Nominis; an potius suspendatur tantum, ita ut die XV mens. Septembris agendum sit de die Octava ipsius Nativitatis, omissa commemoratione Octavae Sanctissimi Nominis? *Resp.* Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

IV. Ex novis dispositionibus saepe accidit ut festa, sive duplicia maiora, sive sanctorum Doctorum simplificanda sint ob occursum alicuius festi translati ritus duplicis II classis. Quaeritur ergo: Num symbolum addendum sit in Missa de isto festo translato quod per se symbolum non admittat, si in ea facta sit commemoratio alicuius festi occurrentis ritus duplicis maioris aut minoris, quod ius habeat ad symbolum in Missa? — *Resp.* Affirmative.

V. — Collectae ab Ordinario imperatae, ex novis rubricis, tit. XI, omittendae sunt, quandocumque in Missa dicendae sint plusquam tres Orationes a Rubrica eo die praescriptae. Quaeritur ergo: An Collectae omittendae sint, quando in Missis privatis, post tres Orationes eo die praescriptas, addita est oratio Sanctissimi Sacramenti publice expositi, vel pro Papa aut episcopo in respectivis anniversariis electionis, seu consecrationis aut coronationis? — *Resp.* Affirmative.

VI. — Quum in tabella Occurrentiae perpetuae nuper a S. Rituum Congregatione edita evidenter mendum irrepserit typographicum in quadrangulo in quo sibi invicem occurrunt Simplex cum Simplici, ubi legendus est numerus 7, et non 8, dubium oritur, an aliud pariter mendum sit in quadrangulis in quibus sibi invicem obveniunt Duplex maius et minus, cum Vigilia Epiphaniae, ubi loco numeri 3 videtur quod legi debeat numerus 6, eo quod Officium ipsius Vigiliae gaudeat privilegiis Dominicae, ac proinde praevalere debeat, ex novis Rubricis, duplici minori et maiori quod non sit festum Domini. Quaeritur: An revera in praedictis duobus quadrangulis legendus sit numerus 6, ita ut in casu agi debeat de Vigilia Epiphaniae, cum perpetua repositione Duplicis occurrentis? — *Resp.* In tabella Occurrentiae perpetua menda corrigantur ita ut in quadrangulo in quo sibi invicem occurrunt Simplex cum Simplici, ponatur numerus 7, et in quadrangulis in quibus occurrunt Duplex maius et minus cum Vigilia Epiphaniae, ponatur numero 6: et Vigilia Epiphaniae, privilegiis Dominicae gaudens, tum in occurrentia quam in concurrentia, Duplici etiam maiori semper praeferatur.

(Ex decr. d. XXI mens. Iunii MCMXII).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Iulio MCMXII).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Pontificium Hispanicum Collegium de Urbe; Bruno Chaves, doctor, Brasiliae administer apud Apostolicam Sedem; Carolus De Loppinot, Comes; Ulixes De Nunzio, Comes, apud Atheniensem nuperum Orientalium rerum studiosorum conventum Pontificis legatus; manus peregrinorum Castellanorum; Otho von Muehlberg doctor, Borussorum administer cum omni potestate apud Apostolicam Sedem; Aloisius ex Urbanis Principibus Lancellotti; Caffarelli, Urbanus Dux; Nicolaus Boulatzef, Russici Imperii legatus apud Apostolicam Sedem; Ioannes Schomburg-Hartenstein, Princeps, eodem munere fungens pro Austrorum Hungarorumque Imperio; Carmelus Arango, doctor, Columbiae apud Apostolicam Sedem cum omni potestate administer, Bartolomaeus Nogara, Comes, Musei Hetrusci Gregoriani praefectus; manus peregrinorum ex Moravia, ex nordica America, ex Peruviana civitate.

Pontificiae electiones.

Provisio ecclesiarum. — Per S. Congregationis Consistorialis decreta SS. D. N. Pius PP. X has quae sequuntur ecclesias de proprio pastore providit, scilicet: Titulari ecclesiae episcopali Clazomensi praefecit sac. Patritium T. Ryan, dioec. Pembrokiensis, ibique vicarium generalem et parochum loci vulgo Renfrew; tit. eccl. archiepiscopali Chersonensi sac. Donaldum Aloisium Mackintosh, archidioec. Glascuensis, ibique vicarium generalem et praepositum capituli metropolitani; metropolitanae eccl. Bambergensi sac. Ioann. Iacob Hauck, eiusdem dioec., ibidem parochum eccl. S. Elisabeth in civitate Nürnberg; tit. eccl. episc. Lamiensi

sac. Ioann. Mc Intyre, canonicum theologum metropolitanae eccl. Birmingamiensis; tit. eccl. episc. Azotensi sac. Ioannem Iosephum Mc Cort, archidioec. Philadelphiensis, ibidem vicarium generalem, quem constituit auxiliarem reverendissimi Edmundi Prendergast, archiep. Philadelphiensis; tit. eccl. episc. Philippopolitanae sac. Georgium Gauthier, eccl. metropolitanae Marianopolitanae canonicum et parochum, quem constituit auxiliarem revmi. Pauli Bruchési, archiep. Marianopolitani.

Nominationes Episcoporum. — Brevibus Apostolicis nominati sunt: r. p. Petrus Ludovicus Genoud, sacerd. Congregationis a Spiritu Sancto, episcopus Guadalupensis; r. d. Ioannes Petrus Rey, alumnus Seminarii Parisiensis pro missionibus ad exteras gentes, archiepiscopus Tokiensis; r. p. Ioannes Ephrem Bartreux, e Societate Mariae, episc. tit. Mustitanus et Vicarius Apostolicus novi Vicariatus Apostolici insularum Salomonicarum meridionalium; r. d. Ioannes Claudius Combaz, alumnus Seminarii Parisiensis pro missionibus ad exteras gentes, episcopus Nagasakiensis; r. p. Henricus Léonard, e Societate Missionariorum Africae, episcopus tit. Tipositanus et Coadiutor cum iure futurae successionis Vicarii Apostolici Unaniembensis in Africa centrali.

— Qui Purpuratum Patrem Gulielmum Van Rossum, Pontificium legatum ad Conventum Eucharisticum Vindobonae proxime habendum, comitentur, deputati sunt: Iacobus Sinibaldi, Protonotarius Apostolicus, Canonicus Vaticanus atque Rector Lusitani Collegii de Urbe; Hernestus Schönberg - Roth - Schönberg Dynasta, Eques ab ense et lacerna *de numero* apud Pontificem; Aloisius e Principibus Lancellotti, eques ab ense et lacerna *supra numerum;* Ioannes Borkovic, Camerarius honoris SSmi., Rector ecclesiae S. Hieronymi Illyricorum de Urbe.

— Rmus. Dnus. Eugenius Pacelli, Pro-Secretarius S. Congregationis Negotiorum Ecclesiasticorum extra ordinem renuntiatur; et revmus. dnus. Sanctes Tampieri, alter a secretis ipsius S. Congregationis.

— Rr. pp. dd. Petrus Maria Gendreau, episcopus tit. Chrysopolitan, et Vicarius Apostolicus Tonkini occidentalis; Sylverius Gomes Pimenta, archiepiscopus Mariannen.; Carolus Lavigne, episc. Trincomalien.; Adulfus Medlycott, episc. tit. Tricomien.; Thomas Kennedy, episc. titul. Adrianopolitan. et Rector Urbani Collegii Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis, inter Episcopos Pontificio solio adstantes referuntur.

— Rmus. dnus. Ioannes Maria Zonghi, Praeses deligitur Pontificiae Academiae Nobilium Ecclesiasticorum.

— Rmus. dnus. Albertus Arborius Mella de Santo Elia ex intimo cubiculo Summi Pontificis dicitur, loco r. p. d. Adam Sapieha, nunc Episcopi Cracovien.

Varia.

Die XX mens. Iulii in Xystino sacello adstante Pontifice iusta funebria peraguntur pro Leone XIII P. M., nono recurrente anno ab eius obitu.

Vita functi viri clariores.

Die XXXI Purpuratus Pater **Antonius Hubertus Fischer**, archiepiscopus Colonien., Julich in oppido natus d. XXX mens. Maii MDCCCXL, Episcopus tit. Iuliopolitan. renunciatus an. MDCCCLXXXIX, ad metropolitanam ecclesiam Colonien. promotus d. XXVIII mens. Ianuarii MDCCCCIII, in Sacrum Senatum cooptatus, titulo SS. Nerei et Achillei, die XXII Iunii eiusdem anni; vir multarum litterarum, ac pietate insignis.

ANNALES

Bellum inter Italos atque Turcas.

Italica virtus novam postremis hisce diebus eamque singularem sibi peperit gloriam, qualem fortasse nemo antea unquam. Quum enim dubitaretur an Turcica classis e suis stationibus in Aegeum mare improviso adveniret, naviculae quinque ex iis, quae silurantes vulgo appellantur, ad pugnam instructae, Henrico Millo duce, die XIX mens. Iulii, noctu ausae sunt in Hellespontum se immittere, neque, detectas atque ignivomis tormentis impetitas, prius recedere, donec certiores fierent, hostes, ceretariis ex chalybe protectos et quasi in cavea custoditos, mari, nunc saltem, nec offendere nec offendi posse. Iuvit audentes fortuna; nam heroes tam strenue de vita sua dimicantes incolumes omnes ad suos Stampaliam in insulam reverterunt.

In Libya autem lenta illa penetratio perdurat, quam summus belli moderator sibi tamquam supremam belli rationem prospere constituit. Elapso mense, Misurata urbem, impetu facto, occupavit, ac deinde Sidi Ali oppidum; hostiumque copiae dissipatae facile sunt Ascian et Gheran in oasibus, et prope Bengasi ac Derna urbes. Subaqueus denique telegraphus Syracusis ad Tripolim est positus.

Turcarum internae res.

Quod si Turcae ad proeliares pugnas hostes lacessere vitant, eoque magis in proposito hoc insistendum hodie iis est, quum civiles illorum res in gravi discrimine versentur. Epirotarum enim regio fere omnis a rebellibus submovetur, quumque ad morbo huic efficienter medendum discordes essent administrorum sententiae, Said praeses a munere abdicavit, eumque ceteri collegae sequuti sunt. Tum vero quam rerum status difficilis esset apparuit, optimo quoque viro huiusmodi successionem recusante, cuius reapse gestio apud Iuvenum Turcarum factionem illam remaneret, unde tot tantaque mala civitati parta sunt, quum e contra nova inter partium studia factio militaris constitueretur, statim et aperte minitans sese ferro et igni usuram, nisi legatorum publicus coetus dimitteretur, per vim omnem adversus civium voluntatem creatus. In tanta rerum iniquitate gubernacula imperii tandem suscepit Ashmed Ghazi Muchtar, praeses Senatus, vir prudens satisque versutus. Quo tamen se convertet? Dum scribimus in incerto adhuc manet.

Regia itinera.

Praeter huiusmodi eventus, nihil aliud memoria dignum Iulius mensis obtulit, si regalia itinera exceperis, cuius exitus, ut verum dicatur, nondum

sensibiles facti sunt. Gulielmus, Germanorum Imperator, ad Portum-Balticum convenit cum Nicolao, Russorum Caesare, qui deinceps ad Petropolim Suetiorum regem ac reginam sollemniter excepit.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Anglia** secunda vice de comitiorum reformatione disceptatum. Agitata pariter quaestio est de « transpersiana ferrivia », deque nuova pecunia pro classi suppeditanda.

In **Gallia** de nova comitiorum lege a se proposita, cui radicalium et socialistarum factiones acerrime obstabant, Poincaré, administrorum praeses, triumphum reportavit.

In **Russia** de coloribus in civitatis vexillo immutandis lata his terminis lex, ut vexillum idem in posterum albo, flavo nigroque constet.

In **Sinis** prima generalia comitia ad Novembrem mensem indicta.

In **Suetia** pecunia ad classem augendam decreta.

PER ORBEM

Die IV mens. Iulii MCMXII Gutehoffnung in fodinis ex gasio improvisio incenso disruptio fit, qua opifices quatuordecim misere necantur.

— d. V Lutetiae Parisiorum Leonardus ille *da Vinci*, Italorum pictor maximus et machinator, tamquam aviationis quoque preecursor sollemniter celebratur.

Corming, in ferriviarum statione Neo-Eboracensis civitatis Septentrionalis Americae, ex curruum serie vapore actorum in aliam occursu, quadraginta viatorum victimae lugentur.

— d. VII Stocolmae in urbe, Olympici ludi, ad quos heroes ex omnibus orbis populis conveniunt, coram Suetico rege inaugurantur.

— d. VIII novae ex fodinis ruinae nunciantur. Sheffield enim, Anglico in oppido, horrendam mortem in iis inveniunt septuaginta et ultra cunicularii, ipseque effossionum magister.

— d. XII autem, in fodinis apud Moundsville, in civitate Virginia occidentali, operarii ad centum numero crudeli eidem fato immolantur.

— d. XIV Massiliae in urbe ab opificibus maritimis rebus vacantibus, labores suos deserentibus, tumultus fiunt, in quo tum urbani vigiles, tum ipsi rebelles vulnera reportant.

— d. XVII nuncium affertur Hubertum Latham, Gallicum illum aviatorem notissimum, dum in equatoriali Africa animi recreandi causa venationi intendit, a feroci bubalo occisum fuisse.

— d. XXII in Scotia Andreas Lang, Anglorum scriptor magna laude merito celebratus, supremum diem obit.

— d. XXIV Londini immane incendium *celluloidis* quamdam officinam absumit, neque vitae operariarum mulierum septem eheu! parcit.

— d. XXVI incendium alterum, in vinariis cellis Epernay civitatis exortum, in pulverem doliarios aliquot acerbe reducit.

— d. XXVII et tertium incendium Kotan ex urbe nunciatur, quatuor millia domorum comburens.

— d. XXVIII Fischer aviator eiusque machinator ab excelso aëre in terram cum velivolo praecipitant, subitamque morte oppetunt.

— d. XXIX Tokio in urbe vita fungitur Mutsuhito, Iaponiae Imperator, civitatis suae tam optime meritus, ut iure pater patriae meruerit cognominari. Natus erat Kioti die III mens. Novembris MDCCCLII, thronumque ascenderat d. XXXI mens. Ianuarii MDCCCLXVII. Ei succedit Yoshihito filius natu maximus, trigesimum ac tertium nunc annum agens.

LIBRORUM RECENSIO

Etude morphologique sur les Pronoms personnels dans les parlers actuels du Nivernais... par JEAN MARIE MEUNIER. — Paris, H. Champion, 1912, in 8° pag. XVIII-124.

— *Monographie phonétique du parler de Chaulgnes (Nièvre)* per eumdem. — Ibid,, in 8° pag. XX-222.

In duplici hoc opere, quo auctor sibi nuper lauream doctoris litterarii splendide emeruit, mira scriptoris elucet eruditio cum in veteri lingua latina, praesertim rustica, tum recentiorum linguarum et dialectorum, quae a latina originem duxerunt. Quum tamen universa haec materia nimium sit ampla quam ut paucis voluminibus expediatur, auctor noster suas investigationes ad unam restringit regionem Nivernensem, ubi, quo tempore Caesar suos *Commentarios* scripsit, Aeduenses degebant, populi Romani amici, immo et fratres, uti eos appellat Cicero in suis *Epist. Famil.* (VII, X) et *ad Attic.* (L., XIX). Horum lingua, Caesari cognita, Celtica erat, quam Bardi canebant Druidesque oretenus suos docebant discipulos. Qui disciplinae cursus interdum ad viginti perdurabat annos, donec nempe memoriter tenerentur viginti illa versuum millia, quibus Galli seu Celtae doctrinam suam omnem complexi fuerant. Mature tamen horum lingua, nullis aut fere nullis tradita scriptis, sub dominatione Romana apud Aeduos in desuetudinem abiit periitque, ita ut

rarae admodum ibi supersint celticae inscriptiones. Multorum tamen oppidorum fluviorumque nomina celticam produnt originem, ea imprimis quibus affixa erat gallica desinentia *acos* vel *acum*, uti Amatiacum *(Amazy)*, Atiacum *(Azy)*, Certiacum *(Cercy)*, etc.

His generatim praemissis, Meunierus noster in priori suo libro erudite persequitur rationem, qua pronomina latina paulatim, saeculis labentibus, immutata fuerunt in eas voces dialecticas, quae hodie apud Nivernenses existunt, quaeque in locis etiam vicinissimis aliae ab aliis differunt. — In altero autem libro ostendit quomodo, in ipso suo pago nativo, vocales, diphthongi et consonantes paulatim a sonis primitivis rusticae linguae latinae deflexerunt in eum modum, qui nunc in illa dialecto obtinet. Quae omnia ut clarus scriptor secure assequeretur, nihil operae et laboris fugit, impensis in hoc studio annis compluribus, et consultis centenis variorum pagorum incolis, praesertim senioribus, apud quos dialectorum forma sincerior permanserat. Gratulamur egregio philologo arduum quidem, at studiosis linguarum proficuum, opus aggresso.

Franciscus Xav. Reuss.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis *eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

J. M. Meunier. *Etude morphologique sur les Pronoms personnels dans les parlers actuels du Nivernais.* — Lutetiae Paris. edid. H. Champion, 1912.

Id. *Monographie phonétique du parler de Chaulgnes* (Nièvre). — Ibidem.

E. Meric. *Guida e conforto nel dolore.* Traduzione Italiana sulla terza edizione francese di F. R. C. — Romae edid. Desclée et Soc. — (Ven. lib. 2).

Ordo Divini Officii recitandi Missaeque celebrandae iuxta Kalendarium Cleri Romani, additis variationibus pro Kalendario Ecclesiae Universalis pro anno MCMXIII. — Ibid. — (Ven. lib. 0,75).

Mgr. D. S. Caracciolo di Torchiarolo, vescovo di Aversa. *Il celibato ecclesiastico.* Studio storico teologico. — Ibid. — (Ven. lib. 1,25).

Trilogja Józefa z Wielkopolski. Milose i Sztuka — Czy Milosc, czy Namietnosc? — Magdalena. Warszawa. Sklad Glóvny w Ksiegarni E. Wende, 1912 — (Ven. 75 *kop.)*

NUMISMATUM COLLECTORIBUS
MONITUM

Apud *Vocem Urbis* numismata plura ex iis quae gesta Romanorum Pontificum referunt et quotannis in festo Apostolorum Petri et Pauli cudi solent, venalia prostant.

Sunt inter haec *numismatum aeneorum Leonis XIII et Pii X integra collectio; collectio pariter integra argenteorum numismatum Pii X; et Leonis XIII ab anno XIII ad XXVI Pontificatus eius inclusive.*

Si quis aliquod vel omnia habere cupiat, rogationem et oblationem suam scriptis mittat ad *Doctorem Iosephum Fornari* Commentarii *Vox Urbis* Moderatorem, Romam *(Via del Governo Vecchio, 96).*

AENIGMATA

I.

I (vulgo REBUS).

LUPUS
AGNUS

II.

Peram teneto, nam veniunt duo
A te, parati, ferre pecuniam.
Sed fac ut hic post alterum stet:
Quodque sues comedunt habebis.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

POETARUM LATINORUM EGLOGAE
(Edidit BRANDT).

Aenigmata an. XV, n. V proposita his respondent:

1) **Mars-Mors** ; - 2) **Ros-a.**

Ea rite soluta miserunt:

Augustus Scriban, *Iassiis.* — P. C. Peltemburg, *Soeterwonde ad Lugdunum Batavorum.* — Alois. Cappelli, *Senis.* — I. M. Meunier, *Corbiniaco* — Alex. P. Gest, *Trentonio* — Lud. Kobierzycki, *Leopoli.* — Iac. Fortina, *Arona.* — Steph. Dantas, *Natal in Brasilia.* — Ioan. Galbiati ; F. Arnori, *Mediolano.* — Ad. Kozlowski, *Petricovia.* — A. Bounin, *Aureliano.* — F. X. M., *Drepano.* — St. Kempa, *Agrodinia.* — P.Prado, *Venetiis.* — Rich. Müller, *Berolino.* — Petrus Tergestinus. — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — E. Burg. *Monachio.* — Vinc. Starace, *Neapoli.* — Rich. Brondel, *Brugis.* — Eug. Dolmar, *Neo-Eboraco.* — Lud. Goux, *Bituricis.* — Frid. Horwath, *Vindobona.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — Georg. Archambeault, *Quebeco.* — Alb. Kain ; Ant. Witheside, *Dublino.* — F. Wawer, *Marianopoli.* — Lud. Dubois, *Massilia.* — Ant. Masia, *Terragona* — Iac. Menendez, *Madrito.* — Eug. Dolmar ; Mart. Dunne, *Neo Eboraco.* Barth. Ferraris, *Aug. Taurinorum.* — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio.* — Clem. Fiard. *Curia Rhetorum.* — Nic. Lagumina, *Panormo.* — F. Ricci. *Florentia.* — Raim. Silvan, *Londino.* — R. Richi, *Traianopoli.* — Nic. Endrigi, *Salisburgo.* — I. Martins, *Philadelphia.* — Fr. Salvatore, *Syracusis.* — F. Ortiz. *Morelia.*

Sortitus est praemium:

ANTONIUS WHITESIDE,

ad quem missa est Ioannis Francesia actio dramatica, cui titulus:

EUPLIUS.

Sponsor: Ioannes Baptista Ciampi, iurisperitus

Romae officina *Societatis Editricis Romanae.*

ANTHEA

(6

(Ex fabula H. SIENKIEWICZ Poloni: *Eamus ad Ipsum*).

Iamque, expedita via, ad supplicii locum traxerant Nazarenum, ubi rupis hiatui triplex erat infixus palus, fundamenta ponendis crucibus. Anthea diu multumque tentaverat erecto capite intentisque oculis, si forte posset optabili sane obtutu iterum frui. Sed ubi verticem collis occupavit cohors, tum demum potuit per illuc adstantium spissas cervices, quasi per rimas identidem prospicere modo sertum cruentum, modo ludicram purpuram, modo ipsum vultum vicinae mortis pallore suffusum.

Dum tota in eo est, ecce lecticae proximus, quidam, albo amictus epitogio, spargit pulvere caput, magnaque voce ac flebili exclamat:

— Lepris affectum me ille sanavit, quem modo agunt in crucem.

Hoc perculsa clamore mulier:

— Audistine, Cai? Ipse sanavit.

Cui ille:

— Libetne discedere?

At uxor:

— Sine, quaeso, consistam.

Animum sibi frangi Cinna sensit, incuriaeque poenituit, qui singularem plane medicum non hospitio excepisset.

Rebus ab supplicium dispositis ac paratis, laceratum corpus una cum cruce attollitur; iamque ex militibus quidam suffigendis pedibus admovet clavos.

Interea sensim obscurari caelum; obducto sole decolorari colles; sanguineo rubore, qualis esse solet inclinato in vesperum die, infici nubes; mox ingruentes tenebrae omne lumen eripere. Simul aestus tam gravis afflat, vix ut anhelis naribus captari aura ducique spiritus queat.

— Abscedamus — inquit Cinna.

— Sine, quaeso, aliquanto diutius, rursum ut videam hominem.

Tum Cinna iussit admoveri lecticam crucibus. Intendebat mulier oculorum aciem in medium lignum, quasi in obscuriorem tractum nubis, in qua libratum corpus collucere videbatur; adeo, recedente vitali calore, expalluerat. Dum vero notat attentius et refugientes oculos, et collapsa tempora, et difficili anhelitu agitatum pectus, confusum repente auditur murmur: mox horrifica luce micat fulgur ingenti fragore. Terra contremit: incondito clamore, seu verius lugubri ululatu gemituque edito, fit omnium fuga praeceps, urgente terrore: facies erat discriminis universi.

Verum, ubi restituta quies respirandi spatium dedit, plurium invidia in misericordiam conversa variae hic illuc subortae sunt querimoniae: iniuria affectum supplicio sanctissimum hominem, veri praeconem, virum plane divinum, qui vel mortuos excitaret.

— Vae tibi, Hierosolyma! — audita vox est.

Alius vero:

— Terra tremit.

Gliscentem rumorem intercepit iterum repentina lux fulguris, et, proh miserum, subito ictu concidit Anthea. Ad novam causam terroris fit raptim concursus; at brevi. Nam sedato statim turbine diffractisque nubibus, conspecta est concitato ore alloquens virum. Nempe non ipsam fulmen, sed, eo internitente, supremus icerat morientis obtutus.

Interea paullatim caelo solique redditis omnibus, scena patuit omnium miserrima. Cruce pendet reclinato capite iuvenis, cereo vultu, vitreis oculis, ore subnigro. Adstat Mater immota, attonita, stupenti similis. Circum reliquae mulieres inter manantes lacrimas et suspiria conclamant:

— Excessit!

— Excessit! — inquit Anthea, idemque reddidit Cinna. Tum vero accedens centurio quidam ad extremum crudelitatis ludibrium servatum hominem ense transverberat.

Rem sane miram quod spectaculum duplex pacaverit turbam, alterum exstincti hominis, alterum renidentis iterum solis. Tum subeunti propius Antheae auditae sunt voces «Descende de cruce». Illa autem diu mirata reclinatum caput et exangue corpus, secum reputabat, fierine posset ut mortuus ille reviviscerct. Sed vehementius angebatur Cinna, qui etsi nulla spe tenebatur resurrecturi Nazareni, persuasum tamen habebat, eundem potuisse vivum Antheae morbo mederi. Iterantibus autem vocibus: «Descende de cruce»:

— Descende — et ipse clamavit moestissimo gemitu; — sana aegram, meque tecum rape.

Et iam summa procul villarum culmina fumant,
Maioresque cadunt altis de montis umbrae.

Quare Cinna iussit lecticarios moveri. Anthea, ubi domum se recepit:

— Hodie — inquit — horrenda visa obiecta sunt nulla.

Sed neque crastinus attulit dies. Qua de causa laxata aliquantulum vis morbi est. Anima quoque erigendo multum profuit Timonis adventus, qui gravibus Cinnae litteris excitatus, quam potuit celerrime contendit, ut extremum videret filiam.

Interim Cinna quidquid in utramque partem aut metus aut spes subiecerat secreta aestimatione pensabat; quietis intervallis usam quidem fuisse alias uxorem; non tamen bidui; quod animum recepisset, eius rei causam facile esse aut patris contubernium, aut excitatos ferali spectaculo sensus.

(Ad proximum numerum).

Petrus Angelini.

Ann. XV. ROMAE, Mense Septembri MCMXII Num. IX.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

DIVINA INSPIRATIO
IUXTA S. THOMAE AQUINATIS MENTEM

Tria Ecclesiae Concilia, Florentinum, nempe, Tridentinum et Vaticanum, de sacrorum librorum auctore, eorumdemque librorum inspiratione sermonem fecerunt. In Decreto siquidem pro Iacobitis, a Conc. Florentino lato, legitur (*Denz., 600)*: « Unum atque eumdem Deum Veteris et Novi Testamenti, hoc est, legis et prophetarum atque evangelii profitetur auctorem: quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante, utriusque Testamenti Sancti locuti sunt ».

Concilium autem Tridentinum (Sess. IV, *De canon. Scripturis — Denz., 666*) statuit « S. q. autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit..... a. s. ». Denique Vaticanum Concilium (Sess. III c. 2 *de Revel. — Denz., 1636)* de libris sacris ait: « Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo, quod sola humana industria concinnati, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea, quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem ».

Sed quid sub « inspirationis » voce tria praefata Concilia significare voluerunt?

Paucis abhinc diebus Prof. Pope (1) fatebatur theologos, qui Conciliis Florentino, Tridentino necnon Vaticano interfuerunt, Scholasticos esse, librumque rursus, quem in suis adhibuerunt decisionibus uti ducem, Summam Divi Thomae Aquinatis fuisse. Facilius propterea ad divinae inspirationis intelligentiam perveniemus, si Scholasticorum *Principis* mentem circa eamdem divinam Inspirationem învestigabimus.

(1) *The Scholastic View of Biblical Inspiration*, etc. p. 5.

Hisce omnibus fas est addere, quae F. Girerd ultimis scripsit temporibus (1), videlicet, quamvis multa circa divinae inspirationis indolem in lucem prodierint, nullum progressum esse habitum, fereque nos cogi in divinae inspirationis conceptu a S. Thoma olim tradito manere.

***

Quae ex Doctoris Angelici scriptis nobis apparent, dum de prophetia sermonem habet (2), huiusmodi sunt: *a)* Omnia quae ad cognitionem pertinent, sub prophetia comprehendi possunt. — *b)* Prophetia secundario consistit in locutione, prout prophetae ea quae divinitus edocti cognoscunt, ad aedificationem aliorum annuntiant. — *c)* Ad prophetiam requiritur inspiratio, quantum ad mentis elevationem. Merito propterea quae ab Angelico praeceptore circa prophetiam scripta sunt, ad ipsammet Inspirationem extendenda esse videntur. Hinc:

I. — Inspiratio, mentis quaedam elevatio est, a Spiritu Sancto effecta. En Angelici verba: « In prophetia requiritur quod intentio mentis elevetur, ad percipienda divina. Unde dicitur Ezech. II, 1: Fili hominis, sta super pedes tuos, et loquar tecum. — Haec autem elevatio intentionis fit Spiritu Sancto movente; unde ibidem subditur: Et ingressus est in me spiritus, et statuit me super pedes meos. Postquam autem intentio mentis elevata est ad superna, percipit divina ». (3)

II. — Inspiratio, intellectus necnon voluntatis scriptoris sacri, motio quaedam est. « Nec lumen praedictum, — inquit Angelicus, — (prophetia) remanet mente, nisi quando actualiter divinitus inspiratur. Et inde est quod sancti de prophetia loquentes, de ea per modum passionis loquuntur, dicentes eam inspirationem vel tactum quemdam, quo Spiritus Sanctus dicitur tangere cor prophetae..... Est quaedam vis (spiritus pro-

(1) *Annales de Philos. Chrét.* — Mars, 1904, p. 621.
(2) II-II^ae p. q. CLXXI, a. 1. ad 4. Lege etiam *Prolog.*
(3) Ib.

phetiae) aut impressio a Deo illuminans et tangens corda prophetarum, et tunc solum quando sic tanguntur, cognoscunt... Requiritur quod intentio mentis elevetur... Sicut revelatio pertinet ad intellectum, ita inspiratio videtur pertinere ad affectum, eo quod importat motionem quamdam ». (1)

III. — Motio haec intellectus, mentis quaedam illustratio est, in qua : *a)* scriptori sacro vel supernaturalis acceptio de iis quae ignota erant, vel de iis quae ipsi naturaliter nota erant, supernaturale iudicium datur; ita ut in scriptore sacro, ea quae naturaliter cognoscit scribente, divini luminis adiutorium semper habeatur. « Ea, - inquit Angelicus, - quae pertinent ad sapientiam et scientiam, et interpretationem sermonum, possunt naturali ratione ab homine cognosci : sed altiori modo manifestantur per *illustrationem* divini luminis..... Post perceptionem divinae locutionis, qua Prophetam alloquitur interius, quae nihil est aliud quam *mentis illustratio* ». (2)

b) Scriptori sacro vel supernaturalis acceptio de iis quae ignota erant, vel de iis quae ipsi nota erant, supernaturale iudicium datur. « Prophetia est quaedam supernaturalis cognitio. Ad cognitionem autem duo requiruntur ; scilicet acceptio cognitorum et iudicium de acceptis... Quandoque igitur cognitio est supernaturalis secundum acceptionem tantum, quandoque secundum iudicium tantum... Quandoque igitur in prophetia non est aliqua supernaturalis acceptio, sed iudicium tantum supernaturale... ; et talis forte fuit inspiratio Salomonis, in quantum de moribus hominum et naturis rerum, quae naturaliter accipimus, divino instinctu ceteris certius iudicavit. Quandoque vero est etiam acceptio supernaturalis... Hagiographae autem dicuntur qui supernaturaliter solum visiones intellectuales habuerunt sive quantum ad iudicium, sive quantum ad iudicium et acceptionem simul ». (3)

c) In scriptore sacro, ea quae naturaliter cognoscit scribente, divini luminis adiutorium semper habetur. « Prophetae... prophetico officio fungebantur. Unde ex persona Domini loquebantur dicentes ad populum : Haec dicit Dominus, quod non faciebant illi qui hagiographa conscripserunt : quorum plures loquebantur frequentius de his quae humana ratione cognosci possunt, non quasi ex persona Dei, sed ex persona propria, cum adiutorio tamen divini luminis ». (4)

III. In ipsa inspiratione, voluntatis motio, tactus quidam est, vel potius scriptoris sacri voluntatis impulsus, ad ea, de quibus vel supernaturalem acceptionem, vel supernaturale iudicium habuit, vel quae naturaliter cognovit, scribenda ; eoque scribenda modo, quo Deus vult, quin tamen scriptoris inspirati libertas minuatur. Ex Angelici Doctoris verbis praecitatis palam est inspirationem esse tactum quemdam « quo Spiritus Sanctus dicitur tangere cor » ; esse impressionem a Deo tangentem corda; pertinere « ad affectum eo quod importat motionem quamdam ». Cetera ex S. Thomae verbis modo afferendis nota fient. « Quum aliqua causa, — inquit Ipse — efficax fuerit ad agendum, effectus consequitur causam, non tantum secundum id quod fit, sed etiam secundum modum fiendi, vel essendi. Quum igitur voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur quod fiant ea, quae Deus vult fieri, sed et quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult ». « Deus movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quae deficere non potest ; sed propter naturam voluntatis motae, quae indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas; sicut etiam in omnibus providentia divina infallibiliter operatur: et tamen a causis contingentibus proveniunt effectus contingenter, in quantum Deus omnia movet proportionaliter, unumquodque secundum suum modum ». (1)

IV. Deus, quamvis diversimode, simul cum scriptore ipso inspirato, auctor est libri inspirati ; videlicet Deus *principalis*, scriptor vero inspiratus *secundarius*. « Operatio instrumenti attribuitur principali agenti, in cuius virtute instrumentum agit ». « Lingua mea calamus scribae. Hic ponitur auctor psalmi qui est lingua; quasi dicat : Non intelligatur quod ex proprio hunc fecerim, sed auxilio Spiritus sancti, qui utitur lingua mea, sicut scriptor utitur calamo. Et ideo principalis auctor huius Psalmi est Spiritus Sanctus. II. Reg. XXIII : Spiritus Domini locutus est per me, quasi per instrumentum : II. Pet. I : Non voluntate humana allata est sapientia, sed Spiritu Sancto ». (2)

V. Denique actio inspirativa supernaturalis est, scriptorique inspirato nonnisi per modum passionis cuiusdam transeuntis datur. Supernaturalis est, quia « prophetia est quaedam supernaturalis cognitio. Ad cognitionem autem duo requiruntur; scilicet acceptio cognitorum, et iudicium de acceptis... Quandoque igitur cognitio est supernaturalis secundum acceptionem tantum, quandoque secundum iudicium tantum ; quandoque secundum utrumque ». Per modum cuiusdam passionis datur, quia « lumen propheticum nonine st intellectui prophetae per modum formae permanentis ; alias oporteret quod semper prophetae adesset facultas prophetandi : quod patet esse falsum... Relinquitur ergo quod lumen propheticum insit animae prophetae per modum cuiusdam passionis vel impressionis transeuntis ». (3)

Iuxta igitur Divi Thomae mentem, actio inspirativa tum intellectum tum voluntatem sacri scriptoris movet. Intellectum movet ipsum vel quoad ignota, vel quoad naturaliter cognita illustrando. Voluntatem movet, scriptorem sacrum determinando ad ea quae ipse vel na-

(1) Id. *de Verit.* XII, 1 ; *Corinth*, I; c. XIV lect. VI ; II-II^ae p. CLXXI, a. I, ad 4.
(2) II-II^ae p. CLXXIV, a. 2, ad 3..
(3) *De Verit.* XII, a. 7 et 12 ad 10.
(4) II-II^ae p. CLXXIV a. 2. ad 3.

(1) I, p. XIX, 8. 2d *de Malo*, VI. a. un. ad 3.
(2) II-II^ae p. q. 172; 2, ad 3 ; *Expos. in psal.* 44, 1.
(3) II-II^ae p. 171, a. 2.

turaliter vel supernaturaliter cognoscit, atque ad ea eo modo scribenda, qui a Deo volitus est. Utraque tamen facultas, idest tum intellectus illustratus, tum voluntas determinata, dum tamquam causae secundae liberae agunt, in propria naturali activitate non offenduntur, sed actioni divinae taliter uniuntur, ut liber sacer conscriptus Dei inspirantis scriptorisque inspirati simul sit, eaque quae sunt Dei, eaque quae sunt hominis simul contineat.

***

Falluntur propterea Modernistae, dum de inspiratione respondent: « Haec, ab impulsione illa, nisi forte vehementia, nequaquam secernitur, qua credens ad fidem suam verbo scripto aperiendam adigitur.

Simile quid habemus in poetica inspiratione; quare quidam aiebat: Est Deus in nobis, agitante calescimus illo. Hoc modo Deus initium dici debet inspirationis sacrorum librorum ». (1)

Merito propterea Pius Papa X damnavit propositiones (IX^{am} et X^{am}), quae ita sonant: « Nimiam simplicitatem aut ignorantiam prae se ferunt qui Deum credunt vere esse Scripturae sacrae *auctorem*.

— Inspiratio librorum Veteris Testamenti in eo consistit quod scriptores israelitae religiosas doctrinas sub peculiari quodam adspectu, gentibus parum noto aut ignoto, tradiderunt ».

Reginaldus Fei O. P.

(1) Epistola *Pascendi*.

SELECTA EX BIBLIOTHECIS ET ARCHIVIS.

De iure latinam linguam augendi novis vocabulis

... Progredior, vir humanissime, ad alterum epistolae meae argumentum, demonstraturus res nuper inventas novis appellandas esse nominibus. Recte quoque Franciscus Pomaeus (*Praefat. ad gallic. diction. reg.*) statuit, penuriam latinorum vocabulorum resarciendam esse ex Graecia: id si fieri non possit, peregrina vocabula civitate donanda esse: posse etiam peregrinitatem interdum molliri, e. g. « tormenti genus, quod colubrinam (*eine Feld-Schlange*) vocant »; « navigium, quod Tartana vulgo dicitur ».

Pari [atque auctores latini quondam] iure nobis fas est *Marchionem* dicere, *Ducem, Comitem, Landgravium, Cardinalem, Cancellarium, Mareschallum;* ac recte proinde Bembum ineptae superstitionis accusat Io. Bodinus: « Bembus, — inquit, — puritatem dictionis ita consectatur, ut verbis quidem parum latinis sed tamen ad significandum necessariis, uti nolit. Turcarum imperatorem regem Thraciae, quae vix centesima pars est eius imperii, et Mediolani Ducem regem quoque vocat, id quidem latine, sed non satis, opinor, ad id, quod decuit, accommodate ». Rectius fecerunt, qui novis rebus nova sunt ausi nomina imponere. Nec reprehendendum duco Hubertum Languetum qui *thalerum* (*ein taler*) dixit: quamquam idem alio loco rectius talem nummum vocavit *Ioachimicum,* veterum imitatione, qui *Philippicos* dixere atque *Daricos.* Laude quoque dignum iudico Io. Serratum, quod *fregattam* dicere ausus est, itemque *caraquam,* quae sunt gallica navigiorum diversi generis nomina. Sic quum novorum armorum genus sit *bombarda,* novum etiam hoc nomen merito probatum est viris doctissimis. Ergo non vereamur dicere *flintam.* Nam quod Erasmus dixit *ballistam chalybeam,* teli illius, quod *eine flinte* vocatur, ideam non satis repraesentat animo lectoris. Audeamus etiam dicere *musquetam* sive *musquetum,* quod facere iam ausus est Gabriel Naudaeus. Dicere quoque fas sit *pistolam.* Nam « machinula equestris », qua appellatione idem exprimere conatur Languetus, obscurissimam exhibet illius teli imaginem. Porro quem in modum Curtius dixit « Satrapas », nos quoque dicamus intrepide *Starostam, Vayvodam, Bassam.* Sic, quum veteres peregrina potuum nomina receperint, *celiam, zythum, cerevisiam,* (delirant enim, qui haec ex graeca lingua deducunt vel latina,) pari modo nobis uti licebit nominibus *theae, caffeae, chocolatae.* Hac de causa et lubentius dico *tabacum,* quam *herbam nicotianam.* Illa cautio in hac novorum fictione nominum adhibenda est, ut τὴν ἀναλογίαν sequamur religiose, ne novitas dura sit atque illepida. Ac recte Becmannus, uti *organicen* (*ein organist*) dici vult, ad modum vocis *tibicen,* sic reiicit vocem *typographiae* pro officina, in qua libri typis exscribuntur, mavultque *typographeum.* E contrario nullo iure Dominicus Lazzarinus reprehendit Bartholomaeum Germonium, qui dixerat *editorem libri* pro eo, qui librum prelo subiicit typisque exprimendum curat. Quum enim haec libros transcribendi ars ignota olim fuerit, nunc omnino novum oportet usurpari vocabulum. Analogia autem magno praesidio est ei, quod attulimus, quum etiam Quinctilianus non multum diversa notione dixerit *editionem libri.*

Ex his, quae dixi, duo fluunt canones critici. Primus hic esto: In stilo philosophico aliarumve disciplinarum licet usurpare vocabula olim vel plane inusitata; vel saltem alia usurpata notione, si modo ex purioris latinitatis fontibus non possit aliud hauriri vocabulum eandem rem pari modo exprimens. — En alterum: In vita communi licet peregrinas voces civitate latina donare, modo nullum in promptu sit vocabulum antiquae latinitatis, quo res possit aeque exprimi. Idcirco non licet *dragonios* dicere vel *dragoneros;* nam ex Curtio dici debent *dimachae.*

Unde nec Erasmus satis causae videtur habuisse, cur bis in eodem colloquio (tit. Cyclops sive Evangeliophorus) diceret *halbardacham.* Nam *bipennis* idem (nempe *eine helparte*) significat.....

(Ex *Epistola critica de iure latinam linguam augendi novis vocabulis,* quam perscripsit CHRISTOPHORUS AUGUSTUS HEUMANNUS Isenaci d. XXII mens. Iunii MDCCXIV).

***

Quinctilianus sic loquitur, ut prorsus timiditatis argui possit: « Minime — inquit — nobis concessa est ὀνοματοποιία. Quis enim ferat? » Et alio loco: «'Ονοματοποιία quidem, id est fictio nominis Graeci inter maximas habita virtutes nobis vix permittitur ». Quanto Priscianus rectius sentit, cuius verba, licet caute accipienda sint, digna tamen iudico, quae heic legantur. Is ergo ita infit: « Non incongruum vel absonum mihi videtur, posse verba quoque ex his ipsis ad similitudinem eorum quibus usa est auctoritas proferre. Quid enim impedit nos quoque aliquid copiae ad opulentiam latinae conferre eloquentiae, et ad imitationem, armo et armor armatus dicere, tunico et tunicor tunicatus? Si enim auctoribus timiditas obstitisset, ut nullis novis uterentur dictionibus, ipsa natura et significatione rerum exigente, perpetuis latinitas angustiis damnata mansisset ». Id vero concedo, si penuria verborum hoc postulet, alias minime. Quid? quod maior Plinius, qui non diu ab Augusti obitu vixit, in naturali historia (quam « gravitate stili eximia notabilem » Boeclerus dixit) multis rebus ex tot disciplinis artibusque petitis, quum alia non suppeteret ratio, novas externas barbarasque tribuere appellationes coactus est, id quod nec ipse infitiatur. Placent de eodem argumento Ioachimi Langii verba, quae exstant in praefatione eius libri, quem de stilo latino scripsit: « Voces, — inquit, — ecclesiasticae in argumento sacro tolerantur excusatius. Ipse enim Cicero, si apostolorum vixisset aetate, Christoque dedisset nomen, eiusmodi voces ac locutiones procul dubio civitate latina donatas in deliciis habuisset. Id quod generatim notandum est contra nimios antiquitatis admiratores, qui voces ecclesiasticas promiscue omnes fastidiunt, latineque ac simul obscure loqui, immo, si desit vocabulum pure latinum, plane tacere malunt quam cum Christianis more loqui christiano. Christi cultoribus quod licet in argumento sacro, idem (ut de philosophis nihil dicam) nonnunquam permissum est artificibus, qui praeter vocabula sua peculiaria non possunt non rebus seu inventis novis nova interdum nomina induere. Quae igitur res latina appellatione destitutae sunt, earum nomina a graecis scriptoribus adsciscenda. Quodsi nec a Graecis quidquam opis sperandum, de novis cogitandum vocabulis est. Ubi hoc quam maxime tenendum, ne illa a regulis linguae communibus nimis aliena sint. Dispiciendum vero est, utrum ex latino auctore suppetat vox antiqua quae in usum revocari possit, quamvis alio ibi significatu occurrat. Ita quum Plautus aliique, quod ad urbem pertineret non semel *urbanum* dixissent, coeptum inde Ciceronis temporibus *urbanus* dici pro eo, qui morum elegantia reliquis antecelleret. Sic instrumenta bellica, quibus moenia concutiuntur, hodie satis latine *machinas tormentave* dixeris. Quodsi unica vox minus sufficiat ad vim rei exprimendam, videndum, quid descriptione possimus, eaque clara et perspicua. Ita malim dicere: *maior regni anglicani senatus, — minor regni senatus* quam *superius parliamentum, — inferius parliamentum; pontifex maximus* seu *antistes romanus* pro *papa:* (nam *pontifex summus* propius ad ecclesiae latinitatem accedit): *velata virgo* pro *monialis:* et cum Manutio *orationis ambitus* pro *contextus.* Nisi vero descriptio ita evidens sit, ut tum ipsa, tum ambitus verborum rem significatam statim repraesentet, praestat omnino barbare quam obscure loqui. Quocirca haud inscite dictum a Ludovico Vive est: « Etiam soloecissandum et barbarissandum, si res ita exigat. Satius est verbi facere iacturam quam rei ». Denique in adhibendis vocibus prorsus peregrinis atque factis, itemque graecis, cum primis si minus tritae non sint, minime praetermittendas duco eas formulas, quibus duriter dicta aliquantum leniri possunt; quas vel romanae parens eloquentiae non negligendas putavit. Hae vero sunt: *Ut nunc loquimur, - ut ita dicam, - vix enim audes dicere.* Soleo ego libenter discipulis meis ad hunc usum Christophori Cellarii historiam novam commentare, in qua vir de elegantioribus litteris immortaliter meritus praeclare multa a priscis hominibus ignorata puriore induit latinitate ac genium antiquitatis spirante; retentis compluribus vocibus christianae rei propriis, itemque aliis, quarum permutatio minus commoda fuisset.

(Ex responsione reddita a M. Io. TOBIA, Schleusingae, XVII kal. Sextil. MDCCXIV).

Ad *Vocem Urbis* misi
V. HERTEL.

HUMILEM SPIRITU SUSCIPIET GLORIA!

Fulcite me floribus, stipate me malis.
(*Cant.* II, 5).

Ave, quietis cui volutus flexibus
Subridet fluvii margine, iunce, latex!
Dum luscinia sub fronde circinat melos,
Flexilis exurgis. Te neque stagna tenent,
Neque conticentis lama lymphae: cinnami
Munere ripa hilarem te nemorosa replet.
Voces apage sed has fluenti, quod mori
Se potius blaterat, quam procul esse. Viden'?
Pingui rosa pudens quae rubebat cespite,
Heu! solita errantis flere lutosa dolos!
Ah! multa labris applicarunt flosculi
Lymphae; flos refugis oscula multa dedit.

His mane primo lusit... ulnis pendula
Vespere purpureas perdidit ipsa comas.
Tu mitis undae siste: complexu tuae
Haud patere evelli stirpis, aquisque rapi.
Vates futura, iunce, pandam quae tibi
Victori obvenient praemia. Vix croceis
Eos capillis emicans subrideat,
Te ad sedes gremio blanda puella geret.
Veterum neque gemas cantilenarum memor!
Laetius os recreat, suavior afflat odor
Te, care iunce!... Virginis tenellula
Texere quid pulchrum iam manus arte parat.
Digitis retorquet candidis te in parvulum,
Ne minimum doleas sedula, reticulum.
Filum, melos dum labra spirant, sericum
Ut maculas sentis molle ligare tuas,
Et delicatas flectere in lacinias,
Comet quas splendens murice taeniola!
Gaudent ocelli conspicato virginis,
Iunce, decore operis; sint labra grata tuis.
Dum flet rosa dolis capta, tu cistellula
Factus es, artificis clara pupilla tuae.
O, ferte opellae, quae renidet, hortuli,
Lilia cum violis, chrysocomasque, rosas;
Calthas geraniis, nexiles chrysanthemis
Cedite narcissos... oscula virgo dabit.
Vel si placuerit, e sinu, cistellula,
Regina hortorum prodiga fundat opes,
Et aureo det cornu apyrina et pira,
Mespila cum cerasis, persica, mala, botros.
Ave, quietis cui volutus flexibus
Subrisit fluvii margine, iunce, latex!
Tenuis vigescit cordis ad rivum mei
Fibra, tuae fervens aemula sortis. Ea
Textam, o faciant Gratiae! cistellulam
Floribus et teneris fructibus usque beent!

Romae.

THOMAS VIGNAS, S. P.

Errata corrige. — In carmine ROMA, quod superiore mense editum est, duo irrepserunt typographi errores sic emendandi:

Pag. 120, col. 1 versus quintus et sextus, praepostere locati, ita sunt legendi:

Tum se coniicit in rhedam, qua ductus ad ipsa
Sancta Petri delubra... nihil nisi cogitat illud..., etc.

Et in col. 2 versu vigesimo secundo, lege:.. *civis* et hospes.

LUDI PUERORUM APUD ITALOS.

Aëream muscam lusitare

Aestivo hoc tempore, vires incredibili pene calore deficiunt, et ipse bos sub tegmine fagi «patulis captat naribus auras». Et senex, lentus in umbra, vult aliquantisper somno indulgere... In proximis aedibus est puerorum collegium, qui studiorum periculis nuper factis feliciterque in urbe superatis, rusticaturi convenerunt, ibique ferias autumnales transigere autumant. Sed iuvat identidem iocis animum a studiis relaxare, deambulationibus, novosque ita spiritus recipere ac vitalibus auribus vesci.

Nunc de prandio, ne nimis clamor proximos habitantes vexet ac deterreat, parvulus puerorum globus, hilaris, alacer, facetus, totus est ut una simul tempus quodammodo terat, et solatiis demum antea propter quotidianos scholarum labores deperditis, reficiatur.

Ad haec, eorum omnium admiratione, «calvi momordit musca nudatum caput»; qui, subito parvi animantis aculeo expergefactus, eum alapa percutere studet..... Quo facto omnes illi bellule subridentes inter se illud Phaedri praedicare: «Quam opprimere captans, alapam sibi duxit gravem!»

Tunc hilari clangore sonant, et omnes, veluti ex composito exclamant: *Aëream muscam lusitare placet!*

At magister prohibuit quominus, ipso absente, quid faciant praeter ordinem. Sed unus primum, deinde alter, mox decem clamitare: «Magister haud ita cito redibit, ut nos citra periculum ludere possimus».

Cito ad rem ventum est.

— Quid est aëream muscam lusitare?

— Ita sese hic ludus habet.

Est sorte statutus, qui fasciola redimitus, et in media schola vel platea positus, veluti ariolus, manu ductus, illuditur atque urgetur, ut hunc aut illum brachio capere possit, eumque de facie, de forma, de veste noscitet. Si divinando fallit, dux ioci eum iterum circumducit, dum socii laetantes, vel etiam leviter manibus tentantes ac vellicantes, dicunt: «Ducimus coecum libere; si quis eum vult accipiat. Semel,... bis,... ter,... vade quocumque lubet!»

Tunc ire incipit: primum nutat, mox progreditur securius... Haud raro complures rerum novitates occurrunt, quae maximam cunctis hilaritatem ac voluptatem generant. Interdum, qui industrius est, omnesque tunc temporis inter ludendum ingenio pollent, se se novis lepidisque sicophantiis exornant, ne casu possit cognosci, obviusque coeco fit; et magis magisque solatium exoritur, percrebrescit, ob nimiam personarum diversitatem atque repugnantiam. Tunc fasciis amotis videbit *coecus* atque perspiciet quam longe a veritate perridicule abierit.

Terque quaterque res incipit; et ne rerum experientia doctus, in rectam partem incedere possit, in

gyrum ducitur, atque inter socios iocose clamantes atque videntes, sui iuris esse permittitur. Hic cautius manu iter explorat, tentabundus utrum illuc an alio incedat, ubi sperat adesse socios, qui taciti, subridentes... alii alio dilabuntur.

Dum vero ex hisce iocis magnam capiunt voluptatem, ecce ex improvviso magister, qui gravi supercilio, et nova rerum dispositione maxime commotus, ira exardescens, in mediam scholam indignabundus sese proripit.

Omnes ad locum suum rapidissime currunt... Muta silet turba, terramque immota tuetur!...

Et coecus, silens et ipse, pedibus praetentans iter, et silentii causam ignorans, festinus progreditur, et nescius incurrit magistro.

Ut Vergilius de victore dicit: «Incubuit, voluitque manu convellere ferrum»; et puer maxima laetitia gestiens, captum manibus pertentat dicens: « Tenui eum! Tenui! Vici!» Tum vero magistri voce perculsus, totisque artubus contremiscens, ut caeli in nubibus ignes terrificant animos, fasciola subito remota, incerto vultu, pectore contritus, stat in medio haesitans atque ultima quaeque pertimescit.

Quam brevi tempore hisce in terris ex maximo gaudio ad maestitiam ruimus!

In tot rerum angustiis, magister, postquam suos monuit ne vellent in posterum ita libertatem abuti, brevi sua absentia, molliter ipsis pepercit, ne aliquot levitate in planctum desineret iocus tam superne iucundus.

SUBALPINUS.

EPIGRAPHICA

A cl. socio nostro Marco Galdi accepimus, et libenter edimus:

Abhinc aliquot dies in ephemeride romana, quae magnam habet auctoritatem et latius diffusiusque revolvitur, non sine quadam admiratione nonnulla epigrammatis latini conamina invenio et lego, ad id propositum inserta ut egregie factum *Henrici Milli* ducis, qui cum suis fortibus classiariis per noctem illunem audacter Hellespontum tentavit, digne commemoraretur.

Res profecto pulchra est et peropportuna, eisque viris qui in suis cogitationibus ad id praecipue intenderunt, habenda est gratia, utpote qui luculenter ostenderint Ausoniam gentem fortibus rebus commoveri et eas vel in aere vel in marmore inscriptas posteritati commendare velle, ut inde bene auspicari possit. Sed, si rem magnam digne commemorare volumus, scilicet id epigramma inscribentes quod et ducem audacissimum eiusque cohorticulam celebret et patriam ipsam honoret, doleo id dicere minime mihi specimina hucusque proposita probari. Quorum enim alia turgidiora, alia graciliora parumque apta ad rem videntur, alia denique — quod peius est quodque magis doleo, ne dicam irascor, — a latina lingua, idest ab optima latinitate, abhorrentia et a vero proprioque epigraphice scribendi genere quam maxime remota. Quae cum ita sint, nonne potius honestiusque est certamen indicere (indicat summus et clarissimus studiorum moderator), in quo omnes ingenii vires periclitentur, ut inde optata inscriptio, universo plausu consalutata, erumpat?

Haec habui quae dicerem de epigraphica quaestione quae per hosce dies agitatur; videant alii, peritiores, considerentque num id opportune dixerim.

M. GALDI.

COLLOQUIA LATINA

Vestitus et deambulatio matutina. (1)

ALCESTES. — Festivissime nugator, precor tibi felicem hunc diem.

CAMILLUS. — Et ego tibi faustam noctem.

A. — Quaeso te, serio responde, si modo serio potes unquam loqui: quam horam censes nunc esse?

C. — Medium noctis, vel plus paullulum.

A. — In quo horologio?

C. — In meo domestico.

A. — Ubi tandem est tuum horologium domesticum? Tu ut horologium unquam habueris aut inspexeris, cui omnis hora est semper dormiendi, edendi, ludendi; studendi vero nunquam!

C. — Atqui hic habeo horologium mecum.

A. — Ubi? Ostende.

C. — In meis oculis: vide, ut nulla vi aperiri possint. Fac, obdormiam rursus; obsecro, tace.

A. — Quamdiu putas te iam dormisse?

C. — Horas duas vel, ad summum, tres.

A. — Ter ternas.

C. — Qui fieri istud potest?

A. — Ludovice, in solario proximae turris contemplare, quaeso, quota sit hora.

C. — Apage solarium, quum sol nondum sit ortus.

A. — Ortus vero. Aperi fenestram istam vitream, heus! tu, Ludovice, ut verberet sol huius oculos suis radiis: plena sunt iam solis omnia et umbrae minores.

C. — Quid tibi est rei cum ortu solis et occasu? Sine illum priorem nobis surgere, cui maius est conficiendum iter diurnum. Ludovice, horam aspicito et in horologio machinali et in gnomone.

(1) Ex latinis colloquiis LUDOVICI VIVES. — Passim retractavit moribusque aetatis nostrae aptavit I. F.

LUDOVICUS. — Utrumque sum intuitus, domine mi. In solario parum abest umbra a secunda linea; in horologio machinali digitus indicat horam paullo plus quintam.

C. — Quid narras? Aliud ergo agendum restat tibi, ut huc ducas fabrum ferrarium qui forcipe disiungat has palpebras tam affixas: dic ei, revellendam esse e foribus seram aliquam, cuius sit amissa clavis.

L. — Ubinam habitat?

A. — Iste vero serio arcessat! Desine iam nugari, et surge.

C. — Surgamus tandem, quando ita obstinasti animo. Vah! Quam odiosus es, amice!

A. — Feliciter tibi procedat haec lux.

C. — Et tibi haec eadem et aliae quamplurimae laetae ac faustae. — Ludovice, afferto subuculam mundam; nam hanc iam totos sex dies gestavi.

L. — Visne hanc cum patagio et collari amylo rigidis?

C. — Iube famulam resuere abeuntem hunc orbiculum subuculae, et quidem filo serico.

L. — Non habet.

C. — Lineo igitur. Nunquam famula habet quod est opus; quod vero non est opus, affatim. Te vero, Ludovice, nolo ego esse divinatorem; exsequere mandatum meum et renuncia, ne harioleris quid sit futurum. Excute pulverem e femoralibus concussu; hinc purga diligenter muscario illo setaceo. Dato subligaculum.

L. — Visne interulam laneam?

C. — Non; nam ex luce solis colligo diem fore calidum: sed cedo mihi thoracem illum cum tunica alba.

A. — Quid istuc rei est? Quonam ire cogitas, ut tam ornes te praeter morem tuum, praesertim quum sit dies profestus?

C. — Hui!... Limbus hic femoralium est dissutus et discerptus. Ludovice, cura resarciendum; sed vide, ne assuantur deformes commissurae.

L. — Non poterit id perfici ante sesquihoram, domine.

C. — Affige ergo pro nunc aciculam.

L. — Mavis ocreas, an calceolos cum amen is?

C. — Hos, hos..... Alcestes, ne graveris mihi afferre pectinem eburneum, qui in arca prope te est.

A. — Accipe. — Quid agis? Hoc non est pectere, sed mulcere. Cedo pectinem.

C. — Neque istuc est pectere, sed radere aut verrere: credo habere te caput testaceum.

A. — Et ego te butyraceum, adeo non audes attingere. Prodeamus iam tandem, ne amittamus optimum deambulandi tempus.

C. — Expecta dum causia me tegam.

A. — O virum Sparta dignum!

C. — Sed tamen gaudeo me surrexisse! Exeamus urbe.

A. — Exeamus: ego hac tota hebdomade pedem porta non extuli. Sed quo ibimus primum?

C. — Ad pomoerium.

A. — Ecce tibi Emmanuelem. Salvus sis, Emmanuel.

EMMANUEL. — Et vos plurimum. Quid isthuc est insolitum? Tam bono mane surrexistis?

C. — Ego vero arctissimo somno eram consopitus; sed Alcestes hic clamando et tundendo avellit me e lectulo.

E. — Recte fecit: nam totum te reficiet et recreabit haec deambulatio. Eamus ad pomoerium. O admirabilem et adorandum artificem tantae pulchritudinis! Non immerito vocatur opus hoc mundus, et a Graecis *cosmos*, quasi ornatus et elegans.

A. — Ne contente deambulemus, sed lente ac molliter. Conficiamus, quaeso, in hac moeniali ambulatione duo aut tria spatia, ut otiosius et liberius tam decoram speciem contemplemur.

E. — Attende; nullus est sensus, qui non egregia aliqua voluptate perfruatur: oculi primum. Quae varietas colorum, qui vestitus terrae et arborum! Qui tapetes, quae picturae comparari huic possunt? Haec sunt naturalia et vera, ista altera ficta et falsa. Non iniuria vates ille Hispanus Maium appellavit *pictorem mundi*. — Iam aures: Qui concentus avium et potissimum lusciniae! Ausculta eam e salice, a qua (ut Plinius inquit) perfectae musicae scientiae modulatus editur sonus. Animadverte accurate, et adnotabis varietates omnium sonorum: nunc non interquiescit, sed continuo spiritu in longum aequalibiliter, sine mutatione: nunc inflectitur: iam minutius et concisius canit: nunc intorquet et quasi crispat vocem: nunc extendit, iam revocat: alias longos concinit versus, quasi heroicos, alias breves, ut sapphicos. Quin etiam quasi musicae ludos et scholas habet! Meditantur aliae iuniores, versusque, quos imitentur, accipiunt. Audit discipula intentione magna (utinam nos praeceptores nostros pari!) et reddit, vicibusque reticent. Intelligitur emendatae correctio, et in docente quaedam reprehensio. Sed illas ducit natura recta, nos voluntas prava. — Adde his: qui odor spirans undique ex pratis, sive ex segetibus, sive ex arboribus, etiam ex ipsis cessantibus et squallidis. Ceterum diximus de corpore. Quid porro animum et mentem! Quantopere exhilarat et excitat huiusmodi aurora! Nullum est tempus ad ediscendum aeque idoneum, nullum ad percipiendum continendumque quae audias quaeque legas, nec aliud ad meditandum et excogitandum, quocumque applicaris animum. Non immerito quidam dixit: *Aurora gratissima Musis!...*

PONTIFICIAE AEDES VITERBII

Architectonicae artis insigne specimen sub oculis lectorum hodie ponimus, quod media quae dicitur aetas in nostra Italia produxit. Huiusmodi aedes, nobilissimum Viterbiensis civitatis monumentum, publicis impensis Rainerus Gatti, populi dux, an. MCCLXVI condidit, ut Romano Pontifici tutum commodumque praeberetur auxilium, quando intestinis perturbationibus aut hostium obsidionibus Urbem relinquere cogeretur. Haec leo, Viterbiensis civitatis signum, duaeque illae columnae demonstrant in summis scalis erectae, quae procul dubio huius generis emblemata alia sustentabant; haec aperte testatur inscriptio, quae super magno palatii ostio legitur:

Rainerus Gattus, iam ter capitaneus actus,
Edem papalem struit istam pontificalem.
Hoc habeas menti, lector, quod mille ducenti
Anni sexdeni currebant denique seni.
Gatti, quos cernis currendo, solent dare saltum,
Virtutes signant per quas conscendit in altum.

Labente saeculo XV, aedes misere admodum retractatae sunt, magnificaeque scalae fronsque ipsa aedificii, novis superpositis structuris, ex hominum oculis fere omnino subtractae. Paucis tantum abhinc annis, veteris prospectus in fenestris ad ballistarii formam, atque in pulcherrimis latisque biforis intra muros occlusis, vestigia reperta sunt, quibus insistens Antonius Maria Grasselli, Viterbiensis episcopus, aetate atque ingenio adhuc venerandus, frontem omnem palatii suis impensis reficiendam curavit.

Tum Caesar Pinzi, Viterbiensis historiae illustrator clarissimus, apud summum publico cultui apud Italos provehendo administrum, auctor fuit ut adiacens quoque hypaetrum peristylum in integrum restitueretur. Opus, difficile equidem (namque de fatiscente omnino monumento agebatur), Iulio De Angelis architecto commissum est, qui summo studio difficiles staticae quaestiones resolvit, remque restituit, partibus mutilis aut deficientibus a Ioanne Nottola, Viterbiensi marmorario, antiquam artem sapienter imitato, optime suffectis.

Sic civium atque advenarum admirationi et magna haec eaque splendidissima pergula reddita est, quam Arturus Gatti, Raineri nepos, an. MCCLXVII construi voluit, ut inde Pontifex populo magna turba in platea sese urgenti sollemniter benediceret. (1)

Binae origine ei facies erant, similibus fortasse lineis descriptae; altera ad plateam, quae hodie integra conspicitur, altera ad subiectam vallem, quae aquilonaribus ventis maxime exposita, iam saeculo XIV in praeceps omnis lata erat: quo enim prospectus leviores magisque translucentes expedirentur, nullum iis tectum dicitur superinductum. Peralta trabeatio, audacter nimis in eleganti contextu deposita rotundorum arcuum cum ogivalibus, rosis trilobisque decoris geminisque columellis suffultis, insignia plura praebet insculpta. Romana ecclesia duplici infula clavibusque cancellatim dispositis significatur; Imperium aquila extensis aliis; Gattorum gens scuto quinque ad horizontem septis diviso; Viterbiensis denique civitas leone intuente et hasta trifida. Octangula denique columna, magnum sustinens unicum arcum super quo peristylum erectum est, antliam profundissimi putei continebat, aquam aedibus suppeditantis.


Quis autem eventus commemoret qui in ipsis aedibus contigerunt? Clemens IV primus eas habitavit, in iisque recepit Carolum Andegavensem, Suevorum ruinae studentem, ac deinde Baldovinum, Byzantii iam regem, et Arrigum, Castellanensis regis fratrem, tricis suis ambitiosis ad eius pedes tractos; in iis Gregorius X electus est, qui tamen vix post mensem Romam migravit, ubi Pontificiam coronam recepit an. MCCLXXII.

Gregorii X electio in conclavi primum facta est, cuius ritus creandi Pontificis origo civibus Viterbiensibus quodammodo est tribuenda. Quum enim iam inde ab anno Sacer Senatus quotidie in cathedralem Viterbiensem ecclesiam ad novum pontificem creandum, acri discordia agitante animos, frustra conveniret, Viterbienses ut finem tanto Ecclesiae malo imponerent, adhortationibus quoque, uti fertur, Sancti Bonaventurae Balneoregensis impulsi, quadam die singulos illos pertinaces in sua cuiusque domo captos, in pontificias aedes deduxerunt, occlusisque ianuis omnique externa communione impedita, monuerunt se tum ex illo carcere esse tracturos quum summus pontifex fuerit renunciatus. Et quia, elapsis aliquot diebus, id nondum fiebat, cibum captivis minuere coeperunt, duriora minitantes. Frustra tamen. Tum Rainerus Gatti, quem populi ducem iam diximus, iussit detegi aulae tectum, in qua decem septemque illi Cardinales erant collecti, ut aestu, procellis, ventis aliisque huius generis incommodis ad delectum ii cogerentur. Inde protestationes, anathematum et ipsius interdicti minae in civitatem; quibus territi Viterbienses ab omni coarctatione destiterunt. Periculum vero non sine aliquo fructu evasit. Gregorius namque, solemni constitutione in Lugdunensi concilio an. MCCLXXIV emissa, conclave ad Summum in posterum eligendum Pontificem edixit, iis adamussim cautionibus a Viterbiensibus adhibitis, conclusis scilicet atque ab omni externo commercio semotis Patribus Purpuratis, ac etiam ciborum progredienti imminutione aliisque acerbitatibus, si foret ut induciae nimiae de re agerentur.

In Viterbienses aedes cum sua curia rediit Adrianus V, prope ad vitae finem adductus, ibique revera post aliquot mansionis dies obiit. Ioannes XXI, qui ei

(1) En inscriptio quae in peristylo de re legitur:
Tunc erat Andreas, studio sum condita cuius,
Beraldi proles, Terre Capitaneus huius,
Cum sexaginta septem cum mille ducenti
Currebant anni Domini sit nota legenti:
Clemens quartus erat Romanus Papa beatus,
Tertius erat ipsius annus Pontificatus.
Nobile Viterbum, Britonum generosa propago
Quid tibi fert operis speciosa signat imago.

successit, Viterbii electus et coronatus est, ibique pariter mortem oppetiit, dormitorio, quod apposite sibi condiderat in extremo palatii latere, noctu ex improviso in imum delapso. Nicolaus III, pontifex ille fortis ac pugnacis animi, Ecclesiae regno hîc Flaminiam regionem adnexuit; Carolum hîc Andegavensem a Romani Senatoris officio deposuit; qui, post eius obitum, ut decussum imperium suum instauraret, Viterbium contendit armata manu, pontificiam domum oppugnavit, indeque raptis atque in carcerem detrusis Purpuratis Patribus Latino Malabranca, Iordano ac Mattheo de Ursinis, qui ei obstabant, auctor praecipuus fuit ut Pontifex eligeretur Martinus IV, Gallus natura languidus, quem sibi facile addixit, Viterbioque deduxit.



Pontificiae aedes Viterbii instauratae.

Pontificium Viterbiense palatium inde per annos sex supra octoginta desertum a Romana curia remansit. Urbanus V, Avenione redux, an. MCCCLXVII, aliquot menses Viterbii moratus est, ubi quo partium studium inter cives tum processerit re cognovit. Quum enim quadam die rixa quaedam futili ex causa orta esset, ad eamque nonnulli Cardinalium famuli accurrissent, tantum inde incendium exarsit, ut plebs saxis atque telis domicilia petierit Purpuratorum Patrum, quorum uni, qui obviam forte occurrit, gravissimam intulit iniuriam.

Internae huiusmodi discordiae cum civitatis iactura ad annum circiter MCCCC perdurarunt, quando, fusis omnino De Vico illis Comitibus, qui, Ghibellinis faventes, horum auxilio tyrannidem Viterbii pro se constituerant, Bonifacius IX rei publicae dominium ipsi sponte a Viterbiensibus oblatum accepit; eiusque successores Innocentius VII et Gregorius XII, Romanas seditiones fugientes, in eam sedem reverterunt, quae temporum iniuria pessumdata, reparata nuper ac munita fuerat. In ipsam confugit quoque Ioannes XXIII, ab exercitu Ladislai, Neapolitani regis, exagitatus; qui tamen mense Iulio MCCCCII Viterbio potitus est.

Saevi atque infesti anni iterum sequuti sunt, eoque magis quod, schismate in Romana ecclesia debacchante, audaci cuilibet eas terras depopulari facile esset, quas certa nulla dominatio tueretur. At vero per Constantiense concilium pace Ecclesiae restituta, Martinus V, Viterbiensium iam pridem amicus, quietam ac tranquillam vitam per animorum concordiam civitati tandem procuravit, validam opem ferentibus sanctis praeconibus Bernardino Senensi et Fratre Francisco Viterbiensi, ipsius civitatis incola.

Ex eo tempore ad annum usque MDCCCLXX Viterbium in Romanorum Pontificum ditione permansit, quos tamen haud nobis constat diutius in aedibus pro ipsis fabricatis esse commoratos; quae sedes dioecesani episcopi factae, huic adhuc non indignum praebent domicilium.

ACTA PONTIFICIA

Sanctissimi Domini Nostri Pii Divina Providentia Papae X Epistola Encyclica ad Archiepiscopos et Episcopos Americae latinae

DE CONDITIONE INDORUM.

Lacrimabili statu Indorum ex inferiori America vehementer commotus, decessor Noster illustris, Benedictus XIV, gravissime eorum causam egit, ut nostis, in Litteris *Immensa Pastorum*, die XXII mensis Decembris anno MDCCXLI datis; et quia, quae ille deploravit scribendo, ea fere sunt etiam Nobis multis locis deploranda, idcirco ad earum Litterarum memoriam sollicite Nos animos vestros revocamus. Ibi enim cum alia, tum haec conqueritur Benedictus, etsi diu multumque Apostolica Sedes revelandae horum afflictae fortunae studuisset, esse tamen etiamtum « homines « orthodoxae Fidei cultores, qui veluti caritatis in cor- « dibus nostris per Spiritum Sanctum diffusae sensuum « penitus obliti, miseros Indos non solum Fidei luce « carentes, verum etiam sacro regenerationis lavacro « ablutos, aut in servitutem redigere, aut veluti man- « cipia aliis vendere, aut eos bonis privare, eaque in- « humanitate cum iisdem agere praesumant, ut ab am- « plectenda Christi fide potissimum avertantur, et ad « odio habendum maximopere obfirmentur ». — Harum quidem indignitatum ea quae est pessima, id est servitus proprii nominis, paullatim postea, Dei miserentis munere, de medio pulsa est: ad eamque in Brasilia aliisque regionibus publice abolendam multum contulit materna Ecclesiae instantia apud egregios viros qui eas Respublicas gubernabant. Ac libenter fatemur, nisi multa et magna rerum et locorum impedimenta obstitissent, eorum consilia longe meliores exitus habitura fuisse. Tametsi igitur pro Indis aliquid est actum, tamen multo plus est quod superest. Equidem cum scelera et maleficia reputamus, quae in eos adhuc admitti solent, sane horremus animo summaque calamitosi generis miseratione afficimur. Nam quid tam crudele tamque barbarum, quam levissimas saepe ob causas, nec raro ex mera libidine saeviendi, aut flagris homines laminisque ardentibus caedere; aut repentina oppressos vi, ad centenos, ad millenos, una occidione perimere; aut pagos vicosque vastare ad internecionem indigenarum: quorum quidem nonnullas tribus accepimus his paucis annis prope esse deletas? Ad animos adeo efferandos plurimum sane valet cupiditas lucri; sed non paullum quoque valet caeli natura regionumque situs. Etenim, cum subiecta ea loca sint austro aestuoso, qui, languore quodam venis immisso, nervos virtutis tamquam elidit; cumque a consuetudine religionis, a vigilantia Reipublicae, ab ipsa propemodum civili consortione procul absint, facile fit, ut, si qui non perditis moribus illuc advenerint, brevi tamen depravari incipiant, ac deinceps, effractis officii iurisque repagulis, ad omnes immanitates vitiorum delabantur. Nec vero ab istis sexus aetatisve imbecillitati parcitur: quin imo pudet referre eorum in conquirendis mercandisque feminis et pueris flagitia atque facinora; quibus postrema ethnicae turpitudinis exempla vinci verissime dixeris. — Nos equidem aliquandiu, cum de his rebus rumores afferrentur, dubitavimus tantae atrocitati factorum adiungere fidem: adeo incredibilia videbantur. Sed postquam a locupletissimis testibus, hoc est, a plerisque vestrum, Venerabiles Fratres, a Delegatis Sedis Apostolicae, a Missionalibus aliisque viris fide prorsus dignis certiores facti sumus, iam non licet Nobis hic de rerum veritate ullum habere dubium. — Iam dudum igitur in ea cogitatione defixi, ut, quantum est in Nobis, nitamur tantis mederi malis, prece humili ac supplici petimus a Deo, velit benignus opportunam aliquam demonstrare Nobis viam medendi. Ipse autem, qui Conditor Redemptorque amantissimus est omnium hominum, cum mentem Nobis iniecerit elaborandi pro salute Indorum, tum certo dabit quae proposito conducant. Interim vero illud Nos valde consolatur, quod qui istas Respublicas gerunt, omni ope student insignem hanc ignominiam et maculam a suis Civitatibus depellere: de quo quidem studio laudare eos et probare haud satis possumus. Quamquam in iis regionibus, ut sunt procul ab imperii sedibus remotae ac plerumque inviae, haec, plena humanitatis, conata civilium potestatum, sive ob calliditatem maleficorum qui tempori confinia transeunt, sive ob inertiam atque perfidiam administrorum, saepe parum proficiunt, non raro etiam in irritum cadunt. Quod si ad Reipublicae operam opera Ecclesiae accesserit, tum demum qui optantur fructus, multo exsistent uberiores. — Itaque vos ante alios appellamus, Venerabiles Fratres, ut peculiares quasdam curas cogitationesque conferatis in hanc causam, quae vestro dignissima est pastorali officio et munere. Ac cetera permittentes sollicitudini industriaeque vestrae, hoc primum omnium vos impense hortamur, ut quaecumque in vestris dioecesibus instituta sunt Indorum bono, ea perstudiose promoveatis, itemque curetis instituenda quae ad eamdem rem utilia fore videantur. Deinde admonebitis populos vestros diligenter de proprio ipsorum sanctissimo officio adiuvandi sacras expeditiones ad Indigenas, qui Americanum istud solum primi incoluerint. Sciant igitur duplici praesertim ratione se huic rei debere prodesse: collatione stipis et suffragio precum; idque ut faciant non solum Religionem a se, sed Patriam ipsam postulare. Vos autem, ubicumque datur opera conformandis rite moribus, id est, in Seminariis, in ephebeis, in domibus puellaribus maximeque in sacris aedibus efficite, ne unquam commendatio praedicatioque cesset caritatis christianae, quae omnes homines, sine ullo nationis aut coloris discrimine, germanorum fratrum loco habet; quaeque non tam verbis, quam rebus factisque probanda est. Pariter nulla praetermitti debet, quae offeratur, occasio demonstrandi quantum nomini christiano dedecus asper-

gant hae rerum indignitates, quas hic denunciamus. — Ad Nos quod attinet, bonam habentes non sine causa spem de assensu et favore potestatum publicarum, eam praecipue suscepimus curam, ut, in ista tanta latitudine regionum, apostolicae actionis amplificemus campum, aliis disponendis Missionalium stationibus, in quibus Indi perfugium et praesidium salutis inveniant. Ecclesia enim catholica nunquam sterilis fuit hominum apostolicorum, qui, urgente Iesu Christi caritate, prompti paratique essent vel vitam ipsam pro fratribus ponere. Hodieque, cum tam multi a Fide vel abhorrent, vel deficiunt, ardor tamen disseminandi apud barbaros Evangelii non modo non inter viros utriusque Cleri sacrasque virgines remittitur, sed crescit etiam lateque diffunditur, virtute nimirum Spiritus Sancti, qui Ecclesiae, sponsae suae, pro temporibus subvenit. Quare his praesidiis quae, divino beneficio, Nobis praesto sunt, oportere putamus eo copiosius uti ad Indos e Satanae hominumque perversorum servitute liberandos, quo maior eos necessitas premit. Ceterum, cum istam terrarum partem praecones Evangelii suo non solum sudore, sed ipso nonnunquam cruore imbuerint, futurum confidimus, ut ex tantis laboribus aliquando christianae humanitatis laeta messis efflorescat in optimos fructus. — Iam, ut ad ea, quae vos vel vestra sponte vel hortatu Nostro acturi estis in utilitatem Indorum, quanta maxima potest, efficacitatis accessio ex apostolica Nostra auctoritate fiat, Nos, memorati Decessoris exemplo immanis criminis damnamus declaramusque reos, quicumque, ut idem ait, «praedictos Indos in servitutem « redigere, vendere, emere, commutare vel donare, ab « uxoribus et filiis separare, rebus et bonis suis spo« liare, ad alia loca deducere et transmittere, aut quoquo « modo libertate privare, in servitute retinere; nec non « praedicta agentibus consilium, auxilium, favorem et « operam quocumque praetextu et quaesito colore prae« stare, aut id licitum praedicare seu docere, atque « alias quomodolibet praemissis cooperari audeant seu « praesumant». Itaque potestatem absolvendi ab his criminibus poenitentes in foro sacramentali Ordinariis locorum reservatam volumus.

Haec Nobis cum paternae voluntati Nostrae obsequentibus, tum etiam vestigia persequentibus complurium e Decessoribus Nostris, in quibus commemorandus quoque est nominatim Leo XIII fel. rec., visum est ad vos, Venerabiles Fratres, Indorum causâ, scribere. Vestrum autem erit contendere pro viribus, ut votis Nostris cumulate satisfiat. Fauturi certe hac in re vobis sunt, qui Respublicas istas administrant; non deerunt sane, operam studiumque navando, qui de Clero sunt, in primisque addicti sacris Missionibus; denique aderunt sine dubio omnes boni, ac sive opibus, qui possunt, sive aliis caritatis officiis causam iuvabunt, in qua rationes simul versantur Religionis et humanae dignitatis. Quod vero caput est, aderit Dei omnipotentis gratia; cuius Nos auspicem itemque benevolentiae Nostrae testem, vobis, Venerabiles Fratres, gregibusque vestris apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VII mensis Iunii MCMXII, Pontificatus Nostri anno nono,

PIVS PP. X.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Commissione de Re Biblica.

De auctore, de tempore compositionis et de historica veritate Evangeliorum secundum Marcum et secundum Lucam.

I. — Luculentum traditionis suffragium inde ab Ecclesiae primordiis mire consentiens ac multiplici argumento firmatum, nimirum disertis sanctorum Patrum et scriptorum ecclesiasticorum testimoniis, citationibus et allusionibus in eorumdem scriptis occurrentibus, veterum haereticorum usu, versionibus librorum Novi Testamenti, codicibus manuscriptis antiquissimis et pene universis, atque etiam internis rationibus ex ipso sacrorum librorum textu desumptis, certo affirmare cogit Marcum, Petri discipulum et interpretem, Lucam vero medicum, Pauli adiutorem et comitem, revera Evangeliorum quae ipsis respective attribuuntur esse auctores.

II. — Rationes, quibus nonnulli critici demonstrare nituntur postremos duodecim versus Evangelii Marci (MARC., XVI, 9-20) non esse ab ipso Marco conscriptos sed ab aliena manu appositos, tales sunt quae ius tribuant affirmandi eos esse ut inspiratos et canonicos recipiendos, neque demonstrant versuum eorumdem Marcum non esse auctorem.

III. — Dubitare pariter non licet de inspiratione et canonicitate narrationum Lucae de infantia Christi (LUC., I, II), aut de apparitione Angeli Iesum confortantis et de sudore sanguineo (LUC., XXII, 43-44); neque solidis rationibus ostendi potest — quod placuit antiquis haereticis et quibusdam etiam recentioribus criticis arridet — easdem narrationes ad genuinum Lucae Evangelium non pertinere.

IV. — Rarissima illa et prorsus singularia documenta in quibus Canticum *Magnificat* non beatae Virgini Mariae, sed Elisabeth tribuitur nullo modo praevalere possunt ac debent contra testimonium concors omnium fere codicum tum graeci textus originalis tum versionum, necnon contra interpretationem quam plane exigunt non minus contextus quam ipsius Virginis animus et constans Ecclesiae traditio.

V. — Quoad ordinem chronologicum Evangeliorum ab ea sententia minime recedere fas est, quae, antiquissimo aeque ac constanti traditionis testimonio roborata, post Matthaeum, qui omnium primus Evangelium suum patrio sermone conscripsit, Marcum ordine se-

cundum et Lucam tertium scripsisse testatur; neque huic sententiae adversari vicissim censenda est eorum opinio quae asserit Evangelium secundum et tertium ante graecam primi Evangelii versionem esse compositum.

VI. — Tempus compositionis Evangeliorum Marci et Lucae usque ad urbem Ierusalem eversam differre non licet, neque, eo quod apud Lucam prophetia Domini circa huius urbis eversionem magis determinata videatur, ipsius saltem Evangelium obsidione iam inchoata fuisse conscriptum sustineri potest.

VII. — Affirmari debet Evangelium Lucae praecessisse librum *Actuum Apostolorum (Act.*, I, 1-2); et quum hic liber, eodem Luca auctore, ad finem captivitatis Romanae Apostoli fuerit absolutus (*Act.*, XXVIII, 30-31) eiusmodi Evangelium non post hoc tempus fuisse compositum.

VIII. — Prae oculis habitis tum traditionis testimoniis, tum argumentis internis, quoad fontes quibus uterque Evangelista in conscribendo Evangelio usus est, in dubium vocari prudenter nequit sententia quae tenet Marcum iuxta praedicationem Petri, Lucam autem iuxta praedicationem Pauli scripsisse; simulque asserit iisdem Evangelistis praesto fuisse alios quoque fontes fide dignos sive orales sive etiam iam scriptis consignatos.

IX. — Dicta et gesta, quae a Marco iuxta Petri praedicationem accurate et quasi graphice enarrantur, et a Luca, *assecuto omnia a principio diligenter* per testes fide plane dignos, quippe *qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis* (*Luc.*, I, 2-3), sincerissime exponuntur, plenam sibi eam fidem historicam iure vindicant quam eisdem semper praestitit Ecclesia; e contrario eadem facta et gesta censenda non sunt historica veritate, saltem ex parte, destituta, sive quod scriptores non fuerint testes oculares, sive quod apud utrumque Evangelistam defectus ordinis ac discrepantia in successione factorum haud raro deprehendantur, sive quod, quum tardius venerint et scripserint, necessario conceptiones menti Christi et Apostolorum extraneas aut facta plus minusve iam imaginatione populi inquinata referre debuerint, sive demum quod dogmaticis ideis praeconceptis, quisque pro suo scopo indulserint.

(Die XXI mens. Iunii MCMXII).

De quaestione synoptica sive de mutuis relationibus inter tria priora Evangelia.

I. — Servatis quae iuxta praecedenter statuta omnino servanda sunt, praesertim de authenticitate et integritate trium Evangeliorum Matthaei, Marci et Lucae, de identitate substantiali Evangelii graeci Matthaei cum eius originali primitivo, necnon de ordine temporum quo eadem scripta fuerunt, ad explicandum eorum ad invicem similitudines, inter tot varias oppositasque auctorum sententias, licet exegetis libere disputare et ad hypotheses traditionis sive scriptae sive oralis vel etiam dependentiae unius a praecedenti seu a praecedentibus appellare.

II. — Ea quae superius statuta sunt ii minime servare censeri debent, qui, nullo fulti traditionis testimonio nec historico argumento, facile amplectuntur hypothesim vulgo *duorum fontium* nuncupatam, quae compositionem Evangelii graeci Matthaei et Evangelii Lucae ex eorum potissimum dependentia ab Evangelio Marci et a collectione sic dicta sermonum Domini contendit explicare; nec proinde eam libere propugnare valent.

(Die XXVI mens. Iunii MCMXII).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Augusto MCMXII).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Christina Honorati, Marchionissa; Pearli, Marchio; De Cassano Zurina, Princeps, eiusque familia; De Charette dynasta; manus peregrinorum ex Peruviana civitate; Massimo, Urbanus Princeps; Stolberg Comitissa, eiusque filia; Chiassi, Comes, cum uxore et liberis; Camillus Rospigliosi, Urbanus Princeps, Pontificiae nobilium stipatorum cohortis praefectus; De Montpensier, Dux; aliquot peregrinorum manus tum ex Italia, tum ex exteris gentibus.

Pontificiae electiones.

Brevi apostolico nominati sunt: Archiepiscopus tit. Pharsal. et Coadiutor cum iure futurae successionis arch. Melburnensis r. d. Daniel Mannix, praeses collegii Maynoutensis in Hibernia; Episcopus Syren. r. d. Antonius Macrioniti, canonicus ecclesiae metropolitanae Smyrnen.; Episcopus pro Ruthenis in Canadensi regione degentibus et episcopus tit. Patarensis r. d. Niceta Budka, Praefectus studiis in seminario episcopali dioec. Leopolitanae, rutheni ritus.

Illmus. et revmus. dnus. Ioannes Dunne, episcopus Wilcannien., inter episcopos Pontificio solio adstantes refertur.

Vita functi viri clariores.

Die XX mens. Augusti, Erlau, Hungarica in urbe, placide obit Purpuratus Pater **Iosephus Samassa**, Agrien. Archiepiscopus. Historiae ac litterarum magister, plura Hungariae monumenta restituit; in egenos liberalis, ut eos omni beneficio afficeret maximopere intendit; iuris denique peritissimus Ecclesiae iura contra civilem potestatem acerrime adseruit. Natus erat Aranyos Maròt, archidioecesis Strigonien. in oppido, d. XXX mens. Septembris MDCCCXXVIII; episcopus Scepusien. creatus est d. XXVI mens. Iunii MDCCCLXXI; ad metropolitanam Agrien. promotus d. XXV mens. Iulii MDCCCLXXIII, in Sacrum Senatum cooptatus est d. XI mens. Decembr. MCMV, titulo S. Marci.

Varia.

Die IX mens. Augusti in Xystino sacello Pontificia Cappella habetur ad grates Deo agendas ob annum nonum a coronatione Pii X P. M. feliciter expletum.

ANNALES

Bellum inter Italos atque Turcas.

Titulus hic immutandus potius nobis esset; non enim belli vices hinc aut inde hodie occurrunt speciali mentione dignae, sed bellici eventus inter ipsos Turcas proxime elapso mense agitati. Diximus iam, Iuvenum Turcarum factionem, quae tot malorum patriae causa fuit, e gubernio pulsam. Numne tantam iacturam ipsa facile tolerare poterat? Salonicum eius principes se conferunt, de amisso imperio recuperando tractant, a nullo execrando facinore, uti assolent, abhorrentes: itaque novorum Catilinarum coniuratio suspiciones, militum seditiones, civium rebelliones excitat, novos administros ad publicae rei gubernacula abdicanda cogit ita, ut dici quidem possit ignorari quotidie quinam huic vel alteri praefecturae sit praepositus. Hic rerum status Balkanicos populos eo magis impellit ut a Turcarum iugo sese redimant: hinc Albani in armis procedunt Uskubque urbe potiuntur; inde Arabes, ab illo Ydriss ducti, novas in suis regionibus victorias reportant; et Bulgari fremunt manus cum aemulis conserere, vixque a Caesare suo coercentur; et Nigri Montis incolae, in quorum civitates ad regni fines positas praecipue saeviit inhumana Turcarum ira, caedium ultionem alte repetunt. Inde factum est ut Berchtold Comes, Austrorum exteris negotiis praepositus, auctor apud exteras gentes fuerit, Turcico gubernio suadendi novam in imperio constitutionem, ab exteris gentibus defensam, quae manu, ut ita dicam, centralis gubernii varias imperii partes quodammodo emittat, neque tamen Turcici Principis — (ecquid *Sultani* verbum non induxerimus?) — imperium imminuat. Huiusmodi consilia, quae finem fortasse internis seditionibus tandem aliquando allatura erunt, ab Europae guberniis, dum scribimus, examinantur; dumque videntur plerisque iri probatum, dictitant ab eo ipso fore ut respuantur, in cuius utilitatem sunt excogitata.

Ut denique de Libyco bello sermonem aliquem faciamus, novam Italorum victoriam recolemus ad Zuara urbem, quam, (ac deinde Regdalin, Giamil et Menscia oases ab hostibus desertas), occuparunt. Quum autem, hisce locis munitis, Sidi-Said collis praesidio non amplius indigeret, ab eo Itali recesserunt.

***

Mauritanae res.

In Mauritania novarum rerum ordo initus est Mulay Afid Principe abdicante regnum, et in Galliam proficiscente, ut ibi privatus victurus sit. Ei successit Mulay Iussuf frater, qui iureiurando promisit, se foedus servaturum quod antecessor Fez in urbe cum Galliae legato Regnault firmavit. Sed tamen huiusmodi Mauritanae quaestionis solutio satis haud videtur Hispaniae satisfecisse, timenti ne Affidii abdicatio eventibus praeludat, unde Gallorum auctoritas summa rapide fiat, magno cum Hispanicarum rerum detrimento. Neque Mauritani omnes factis acquievisse nunciantur; ita ut facile praevidere liceat inquietas res illic diu adhuc permansuras.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Civitatibus Foederatis Americae Septemtrionalis** concordia duorum coetuum legibus ferendis quum obtineri non potuisset circa leges de Panamensi fretu ac de Commerciorum tribunali, novis tum Praesidi tum deputatis proxime eligendis decisio delata.

In **Sinis** nationalis qui dicitur coetus vehementer in administrorum collegium protestatus est, quod, tyrannorum more, capitis sine iuridica inquisitione damnavit imperatores duos de coniuratione in rempublicam accusatos.

PER ORBEM

Die VI mens. Augusti MCMXII, Petrowski in insula Petri illius, Russorum Caesaris cognomine Magni, splendidae aedes incendio valde pessumdantur.

— d. VIII Comensem Italicam provinciam atrae procellae et eluviones vastant.

— d. IX ob pyrogranae depositum noctu ex improviso exustum ad Portum Principis, Haïtianae civitatis urbem, domus late excutiuntur, quassantur, incendiaque ad ipsas aedes rei publicae praesidis Lecomte afferuntur, qui, via quavis effugii sibi interclusa, inter flammas heu! vitam amittit.

Eadem die incenditur quoque *grisou* gasium in fodinis ad Germaniae oppidum Gerthe, cuniculariisque centum et ultra lucis usura misere eripitur.

— d. XI immanis terrae motus Hellesponti regionem concutit, oppida solo aequat, quindecim millia hominum tecto privans, multasque victimas facit.

— d. XIII Lutetiae Parisiorum, septuaginta annos natus, vita fungitur Iulius Massenet, musicae artis magister inter Gallos nostris diebus praeclarus, iureque meritoque maxima populari aura, inter exteros quoque, donatus. Pulcherrima eius operum

recensentur *Cendrillon*, *Werther*, *Thais*, *Manon*, *Don Quijote;* quae quidem monumentum aere perennius ei constituent.

— d. XV Stresae in suburbano pie ac placide obit Elisabeth, Ianuensis Ducissa, Italici regis avia ex matre. Ioannis, Saxonum illius regis doctissimi, filia, Dresdae ortum duxit d. IV mens. Februarii MDCCCXXX, nupsitque Ferdinando, Sabaudiae Duci, Emmanuelis II regis fratri, d. XXX mens. Aprilis MDCCCL, quo viduata est d. X mens. Februarii MDCCCLV, Margarita ac Thoma filiis sibi relictis. Post annos aliquot iugalibus vinculis sese iterum devinxit cum Marchione Rapalli, qui an. MDCCCLXXXIII mortuus est.

— Constantiae, aetatis suae anno octogesimo primo, supremum explet diem Schleyer ille, qui novum « internationalem » sermonem *volapuk* inter gentes inducere diu, sed inutiliter, conatus est.

— d. XX tenax propositi vir alter Londini morti occumbit, Gulielmus Booth, cuius « exercitus a salute, » quem ipse constituit, si in aliqua deliramenta nonnunquam incidit, temperantiam praedicans humanitati tamen inutilis non omnino evasit.

— d. XXI Londinensis telegraphi sedes et ipsa grave incendium patitur, cuius causa telegraphicum commercium cum continentali Europa, cum Americis Anglicisque provinciis aliquot horas interruptum est.

— d. XXVI Manzini, aviatoriae Italicae cohortis subcenturio, ad Tripolim, cum aëronavi sua, ex improvisa machinae laesione, in mare praecipitat, seque molis implicationibus dissolvere non valens, fluctibus malo fato submergitur.

— d. XXVII flammae fortuito exortae Ouzoun, Tcharchi ac Taehtakalè, Constantinopolitanos vicos, comburunt.

— d. XXVIII Uriconii, Romanae quondam urbis in Anglica hodierna provincia Shropshire, reliquiae magni momenti repertae esse, Londino nunciantur.

— d. XXIX atrae procellae in Anglia immensa damna apportant.

CONSTANTINIANI PACIFERI DECRETI MEMORIA

LATINE IN SCENIS ACTA

Dies illa felix proximat qua Constantinus, Constantii Chlori filius, mox Romanorum imperator, clausis Romae Iani ianuis, pacem hominibus retulit, et in primis Christianis. In horum enim commodum edictum illud composuit, quod Mediolani in vulgus prolatum, incredibili christiani Nominis laetitia, universis ordinibus adclamantibus, totus terrarum orbis excepit, atque ideo Constantinum Restitutorem felicium saeculorum salutavit.

Ipse enim, mortuo patre, qui Caesar Britanniae et Galliae dominabatur, a militibus imperator renuntiatur. Quamvis nondum sapientia christiana esset instructus, christianos tamen diligebat; et pluries horum fidem periclitatus, in Galliis et Britannia, eorum persecutionem comprimi iusserat; atque ita christiani haud aliter ac ceteri cives habebantur. Claras de hostibus victorias retulit; sed omnium celeberrima illa memorabitur, quam de Maxentio, Maximiani filio, eiusque in imperio successore, adeptus est. Ob avaritiam et crapulam omnibus hic despectui habitus; atque adeo omnes undique implorabant, ut in libertatem Romanos vindicaret; nec Constantinus, onus sibi traditum, vel armis, evertendi osorem generis humani eumdemque religionis, detrectavit.

In magnis illis christianae reipublicae temporibus, ad gubernacula rerum sedebat S. Melchias, qui multa tulit, imperante Maxentio. Ipse optime dicere de se potuisset, quod multis post annis Leo XIII scriptitavit:

. . . certamina longa, labores,
ludibria, insidias, aspera quaeque tuli.
At, fidei vindex, non flectar: pro grege Christi
dulce pati, ipsoque in carcere dulce mori.

Dum multis premitur angustiis et christiani ad incitas redacti esse videntur, ecce Constantinus, qui divino numine fretus, infenso animo, Urbem contra Maxentium petit. Etiamsi numero inferior, victurus tamen pro certo esse reputabat, ac propterea congredi cum hoste summopere nitebatur. Ipse, nullo repugnante, est potitus Mediolano, Brixia, aliisque urbibus, quae ad imperatoris clementiam confugerunt; quo facto, gravibus impedimentis paene absolutus, ad Urbem contendit.

Maxentius tunc demum obvius ei cum exercitu fit trans Tiberim, in quo pontem versatilem iecit, utrimque ita seiunctum, ut duobus cum cuneis facillime adiungere ac firmare posset. Eo enim spectabat, ut, si illac Constantinus transire studeret, solutis ligaminibus, pons seiungeretur, et ipse cum suis sine effugio in aquis periret. Ut sibi Deos propitiaret, mulieres eis puerosque obtulit, et quum altaria victimarum sanguine fumarent, homo ferus in miserorum visceribus omen felix investigabat. E contrario Constantinus suos prece disposuit et Deo fretus in hostem impetum fecit. Strenue utrimque pugnatum est; sed victoria, diu anceps, tandem Constantino arrisit. Maxentius, quum fortissimum quemque suorum obtruncatum vidisset, fuga salutem petiit; sed pontem transiens, quem ipse in hostium perniciem fecerat, propter fugentium impetum et multitudinem, ruptis vinculis, in Tiberim cum equo praeceps submersus est. Altero die corpus eius, in fluminis caeno detentum, reperitur. Quare

Romani in libertatem vindicati, maxima laetitia Constantinum recipiunt, qui Romam triumphans invehitur. Eum in Urbem gloriose introeuntem, Sanctus Melchias, Pontifex Maximus, sorte mira recepit.

Deo agens gratias de hostibus superatis, Constantinus praecipit ut Crux, pignus iam divini praesidii, per Urbem feratur, et in Capitolio fulgens cunctis gentibus testetur, Christum Deum insignem de adversariis victoriam retulisse.

Haec omnia fiebant anno tercentesimo ac duodecimo. Pacatis tandem hostibus, dum S. Melchias in augusta sede diu placideque interfuit populo christiano, ipse, insequenti anno, Mediolani immortale idemque salutare edictum vulgavit, quo et Christiani ceteris civibus pares iisdemque legibus uterentur. Quae quum ita sint, peropportunum visum mihi est hanc insignem aetatem versibus senariis celebrare, atque ob oculos quasi lectorum ponere.

Haec autem actio omnis historica, ab historiae gravitate ac disciplina nunquam discedet.

Sic et *Vox Urbis* Constantiniano Decreto suum honorem hac etiam ratione persolvet.

Io. Bapt. Francesia.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis *eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

Kebesa - Obraz w swiatyni Kronosa. — Z greckiego przelozyl Wladyslaw Ludwik Podobinski. (Nowy Sacz, 1912).

P. Gillet O. P. *L'educazione della coscienza.* Romae edid. Desclée et Soc., 1912. (Ven. lib. 2,50).

IOCI

Memor florentis aetatis.

Multi anni sunt, quum civis meus, delectus causa, una mecum conscriptus, etiamsi non despiceret, quam longus esset nasus, par tamen est habitus sustinendo oneri militiae. Idem interrogatus quonam in ordine copiarum vellet merere: — « Iubete, inquit, me inseri equitibus; ita enim si minus ipse, at cernet equus qua sit incedendum ».

***

E discipulo Magister.

Photius doctus ut videatur, tertio quoque verbo aliquid latine effutit: quia vero in latinitatem insigniter peccat, risum movet audientibus. Paullo ante meridiem ambulans in foro, quum tirunculo festinantius schola egredienti dixisset: *Ubi* vadis? ille opinione celerius, ad quaerendum pro re nata adverbium *quo*, se contendere respondit.

Titus Curtius.

AENIGMATA

I.

I (vulgo REBUS).

BINA IV
BINA

II.

Vix natus, patrium profugus postponere caelum
A fatis cogor, qua mihi saeva nocent.
Ad patrios regredi nunquam sperabo penates
Donec ero in mundo, donec et aura datur.
Servio in orbe viro, qui grato haud pectore pollet
Absque auro; multo munere fungor ego.
Illius si caleo lares, exeludor ut hospes:
Clauditur in faciem ianua saepe meam.
Propterea infelix vado peregrinus et errans:
Ambulo per pratum, per nemus omne feror.
Ut fatuus plantas ultro citroque movebam;
Certo stare in loco non mea planta potest.
Esse scio, qui sponte paret mihi pectus apertum,
Quum prodire auram cernet ab ore meo;
Sed proprio motus lucro mihi pectora pandit,
Exilii motus non pietate mei.

Aug. Epiro.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

ALOISII CLASII
LUSUS PASTORALES
(Latine vertit Ioannes Battani)

Aenigmata an. XV, n. VI proposita his respondent:

1) **Verba inter puncta vim inter dum orationi super ad dunt.** Hoc est: **Verba interpuncta vim interdum orationi superaddunt.**

2) **Vena - verna.**

Ea rite soluta miserunt:

Claudius Lucensis - Iac. Fortina, *Arona.* — P. C. Peltenburg, *Soeterwonde ad Lugdunum Batavorum.* — Lud. Kobierzycki, *Leopoli.* — Lad. Lud. Podobinski, *Neo Sandecia.* — Ad. Kozlowski, *Petricovia.* — I. Ortiz, *Morelia.* — F. Arnori, *Mediolano.* — A. Bounin, *Aureliano.* — Rich. Brondel, *Brugis.* — Lud. Goux, *Bituricis.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — Lud. Dubois, *Massilia.* — Fr. Salvatore, *Syracusis.* — Petrus Tergestinus - I. Martins, *Philadelphia.* — Mart. Dunne, *Neo-Eboraco.* — F. Wawer, *Marianopoli.* — Georg. Archambeault, *Quebeco.* — F. X. M., *Drepano.* — P. Prado, *Venetiis.* — Alex. Pintauro; Vinc. Starace, *Neapoli.* — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio.* — Barth. Ferraris, *Aug. Taurinorum.* — F. Ricci. *Florentia.* — Nic. Lagumina, *Panormo.* — Alois. Venti, *Bononia.* — Rich. Müller, *Berolino.* — Nic. Endrigi, *Salisburgo.* — E. Burg. *Monachio.* — Frid. Horwath, *Vindobona.* — Raim. Silvan, *Londino.* — Ant. Witheside, *Dublino.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — Ant. Masia, *Terragona* — Clem. Fiard. *Curia Rhetorum.* — R. Richi, *Traianopoli.* — Iac. Menendez, *Madrito.* — Iac. Gomez, *Caesaraugusta.* — Alois. Cappelli, *Senis.*

Sortitus est praemium:

ALBERTUS PERRAUD,

ad quem missa est Ioannis Francesia comoedia latinis versibus scripta, cui titulus:

SATURIO

Sponsor: Ioannes Baptista Ciampi, iurisperitus

Romae, ex officina *Societatis Editricis Romanae.*

ANTHEA

(7

(Ex fabula H. SIENKIEWICZ Poloni: *Eamus ad Ipsum*).

Ceterum quae subiecta oculis fuerant ita mulieris animum affecerant, tam alte insederant menti, ut ab earum rerum cogitatione aut sermone vix abduci posset. Intento ore adsidebat pater nec obiiciebat quidquam: interdum de viri doctrina percontabatur quaedam, irrito plerumque studio, quod explicari a filia non plura possent, quam quae a Pontio Pilato accepisset.

Et iam nox humida caelo
Praecipitat, suadentque cadentia sidera sonnos.

Itaque, remotis arbitris, quieti se tradit mulier. Ecce autem nondum plane sopita, sive aurium ludibrium, sive vera res fuit, audire sibi visa est effusum per auras concentum mire flebilem, his modis:

E caeli gremio nostras deductus in oras,
Collibus aeternis genitus, stirps alta Parentis
Aequaevi, intactae soboles spesque unica Matris,
Ederet e molli cum primum cespite florem
Halantemque avidas calicem proferret ad auras,
Excidit insano correptus turbine. Mutus
Cuncta dolor terrorque tenet, pavidusque refugit
Grandia naturae miratus funera Titan.
Eheu nutantem concussis axibus orbem
Effugere, et caelum pallenti luce cruentum
Quis dabit? Adsitis, Superi, vastamque ruinam
Aeternis sufferte humeris: quo pondere tanta
Iam premitur moles? quae nunc extinguitur heu lux? (1)

His erecta vocibus diu haesit, multa animo agitavit, uberes effudit lacrimas, donec ignota quadam consolatione perculsa ac quasi fatigata in somnum decidit.

Ubi novus illuxit dies, omnium fulgidissimus, dormientem excitavit puerorum ac virginum, ut videbatur, chorus, ea gratia vocum tamque suavi sono, ut putares canere inter auras Charitum concordiam:

Funde Sion carmen: salve mihi splendida Solis
Purpura; salvete o virides in collibus herbae
Et gemmae roris zephyrique tepentis odores.
Quam serpit dulcis circum praecordia sanguis!
Instaurate aras, dabimus mox thuris odores
Mundaque purpureo spargemus limina flore.
Funde Sion carmen: longae post tempora brumae
Impia silva ruit, iesseia germinat arbor.

(1) Hos et insequentes versus, quemadmodum alia non pauca, suo marte scriptor latinus finxit.

Quo cantu delectata mulier risit tam blandum, ut nihil ea forma posset cogitari pulchrius. Adiere parens et coniux, quibus nullae fuerant auditae voces, admiratique oculos clariores stellis extra lunam fulgentibus et roseo colore suffusas genas, suismet oculis detrectabant fidem. Iamque in spem novam erectus animi pendebat Cinna, deberetne humi se prosternere diisque agere immortalibus gratias. Verum, quum in eo esset ut poplites flecteret venerabundus, revocatus est ab uxore petente ut in atrium sub umbra palmae deferretur.

Ibi aliquot horas spatiati viri periculum meridiani temporis anxii exspectabant, eo magis quod videbatur aegra in dubium soporem incidisse. Cinna, qui omnia facilius quam moram illam perpeti poterat, metum inter et spem, dormientis anhelitus pene numerabat singulos. Fit tandem aliquando meridies. Anthea, repente reseratis oculis:

— Arripe — inquit — me manu, Cai.

Expalluit Cinna, ratus umbras terrificas de more adesse mulieri.

— Videsne — inquit Anthea — prodeuntem lucem illam meque petentem?

— Obsecro: averte inde oculos.

At illa gestienti laetitia:

— Ecce lucem — exclamat. — Agnosco hominem: Ipse est: en mihi subridet: transfixas ad me tendit manus. O inauditae misericordiae virum, imo Deum! Ipse me sanat: Ipse me vocat.

Ad haec Cinna tremebundus:

— Eamus — inquit — eamus ad Ipsum.

Desiluit lecto mulier iis animi et corporis viribus, quibus usa fuerat antea nunquam. Simul autem caeco quodam impetu decurrentibus obviam fit Pontius Pilatus, citato cursu anhelus abstergensque frontem sudore diffluentem.

Is ancipiti inter cachinnum et stuporem vultu:

— Audistisne? — inquit. — Excitatum aiunt a mortuis Nazarenum.

Cui Anthea:

— Scimus; quaeso, ne moras afferas. — Arreptaque viri manu: — Eamus — inquit — eamus ad Ipsum!...

P. Angelini.

FINIS.

Ann. XV. ROMAE, Mense Octobri MCMXII Num. X.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

DE CONCORDIA FIDEI CUM SCIENTIA

Quaenam et quae controversiae circa Fidei scientiaeque concordiam hisce nostris diebus exortae fuerint, ex librorum copia de Fide scientiaque tractantium, qui in lucem prodiere, manifeste apparet. (1) Paucis abhinc diebus, Paulus Bourget in libro, cui titulus est: *Pages de critique et de doctrine*, merito asserebat «principia fundamentalia Fidei, cum scientiae principiis optime cohaerere». Contra Paulum Bourget, Scipio Sighele insurgit atque fatetur mirandam esse huiusmodi assertionem, quum historia humana universa nonnisi de conflictibus inter utramque existentibus loquatur, quumque ipsemet Ferdinandus Brunetière ad dubitantes animas sublevandas asseruerit «actum esse de scientia».

Nobis consilium est, tres circa Fidei scientiaeque concordiam solvere quaestiones; videlicet:

a) An Fides et scientia mutuo sibi contradicant.

b) An Fides et scientia seiungendae sint.

c) An in eadem intelligentia respectu eiusdem veritatis Fides et scientia amico possint foedere consociari.

***

Modernistarum responsio ad primam quaestionem, scilicet «an Fides et scientia mutuo sibi contradicant» in propositione 65ª syllabi Pii X continetur, et huiusmodi est: «Catholicismus hodiernus cum vera scientia componi nequit nisi transformetur in quemdam christianismum non dogmaticum, idest in protestantismum latum et liberalem».

Modernistarum sententia Conc. Vaticani (Sess. 3, c. 4, *de Fide et ratione, Denz. 1645-46*) doctrinae contradicit, quum Concilium affirmet: «Verum etsi Fides sit supra rationem nulla tamen unquam inter Fidem et rationem vera dissensio esse potest: quum idem Deus, qui mysteria revelat et Fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit: Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere..... Abest ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturae obsistat... Nec sane ipsa vetat, ne huiusmodi disciplinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo». Rursus nimia asseritur facilitate conflictus ille, quia:

a) Veritates Fidei ac veritates scientiae ad distinctum utique ordinem, non autem oppositum pertinent, quum primae mentis humanae capacitatem excedant; secundae eidem menti proportionentur.

b) Utraque veritas ab eodem fonte promanat; a Deo quidem supernaturali modo, idest per revelationem, homini loquente est veritas Fidei; a Deo autem naturaliter loquente per lumen naturale intellectus, est «veritas scientifica».

c) Distinctus utique, non autem oppositus, est processus ad utramque veritatem perveniendi; ad veritatem siquidem Fidei supernaturali pervenitur auxilio, ad veritatem autem «scientificam» nonnisi naturali modo.

***

Circa secundam quaestionem «an Fides et scientia seiungendae sint» affirmative respondendum esse censent Modernistae, immo irreverenter fatentur, «illogice (1) in Pii X Epistola *Pascendi* de hac sententia reprehendi... Modernistae enim hodiernae psychologiae plene consentientes aperte distinguunt scientiam a Fide... Fides enim id unice spectat, quod scientia *incognoscibile* sibi esse profitetur... Scientia versatur in phaenomenis, ubi nullus Fidei locus; Fides e contra versatur in divinis, quae scientia penitus ignorat».

(1) Hinc libri: *Science et Religion; Science et foi; Scienza e fede; Conflitto fra scienza e fede; Rapports entre la philosophie et la foi; Glaube und Wissen; Vom Wissen vor dem Glauben*, etc.

(1) *Programma dei Mod.* § 2, *Scienza e Fede, Epistola «Pascendi»*.

Modernistarum error a Pio X in praefata Epistola per huiusmodi verba damnatus fuit: « Quae omnia, Venerabiles Fratres, contraria prorsus sunt iis quae Pius IX decessor Noster tradebat docens (Brev. ad Episc. Wratislav. 15 Iunii 1857) philosophiae esse, in iis quae ad religionem pertinent, non dominari sed ancillari, non praescribere quid credendum sit, sed rationabili obsequio amplecti, neque altitudinem scrutari mysteriorum Dei, sed illam pie humiliterque revereri ». Rursus utilitas non levis est Fidem ac scientiam non seiungere; quum recte, occasione libri L. Gaultier, V. Ermoni (1) animadverterit, « Scientiam et Fidem mutuo sese ad invicem adiuvare ac de facto scientiam ad Fidem ducere, Fidemque ipsammet scientiam regere». Nonne Angelicus scribit (2): « Salubriter divina providit clementia, ut ea etiam quae ratio investigare potest, fide tenenda praeciperet; ut sic omnes de facili possent divinae cognitionis partecipis esse, et absque dubitatione et errore»? Nonne Vaticanum Concilium (Sess. 3 et 4, *de fide et ratione, Denz.* 1646) de scientia ac Fide ait: « Opem sibi mutuam ferunt, quum recta ratio Fidei fundamenta demonstret, eiusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; Fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat » ?

***

Ad tertiam quod attinet quaestionem, an videlicet eadem in intelligentia, respectu eiusdem veritatis Fides et scientia amico possint foedere consociari, diversa est responsio. Qui per motiva credibilitatis demonstrationem proprie dictam, quae evidentiam parit intellectumque vincit, circa veritates fidei posse haberi tenent, tenent quoque in eodem intellectu respectuque eiusdem veritatis Fidem et scientiam simul coesistere posse. Qui tenent rursus « credere » actum esse solius voluntatis atque unice a motivis subiectivis pendere, idipsum docent. Quidam praeterea sunt, qui quamvis negent circa veritates Fidei posse demonstrationem proprie dictam haberi, ipsumque actum Fidei solius voluntatis esse, docent tamen Fidei scientiaeque actum in eadem intelligentia, respectuque eiusdem veritatis amico posse foedere consociari. Audiatur P. Pesch. (3): « Tota quaestio est, num homo possit actu Fidei divinae credere ea, quorum naturalem scientiam habet. Responsum affirmativum videtur plane certum. Nam omnibus incumbit officium credendi plura, quae a multis naturali scientia cognoscuntur, ut existentiam Dei (*Rom.* 1,20; *Hebr.* 11,6). Atqui si Fides non posset stare simul cum scientia eiusdem obiecti, talis obligatio imponi non posset. Ergo simultaneitas Fidei et scientiae circa idem obiectum non repugnat ».

Theologi Salmanticenses e contra, contrariam docent opinionem hoc ducti fundamento: « De ratione — inquiunt (1) — obiecti assensus Fidei est, non esse visum ab eo qui credit; de ratione autem obiecti actus scientiae est esse visum ab eo, qui scit: sed implicat, quod idem obiectum et secundum idem praedicatum, sit visum, et sit non visum ab eodem intellectu; siquidem esse visum, et non esse visum, opponuntur privative, et unum affert carentiam alterius; ergo implicat, quod idem obiectum et secundum idem praedicatum attingatur ab eodem homine per assensum Fidei et per assensum scientiae ». Non aliter Angelicus doctor, penes quem huiusmodi leguntur expressiones: « Nec Fides nec opinio potest esse de visis aut secundum sensum, aut secundum intellectum... Non est possibile quod idem ab eodem sit visum et creditum... Unde etiam impossibile est quod ab eodem idem sit scitum et creditum... De eodem secundum idem non potest esse simul in uno homine scientia nec cum opinione nec cum Fide..... scitum est visum, et creditum est non visum... De eodem non potest esse scientia et Fides apud eumdem; sed id quod est ab uno scitum, potest esse ab alio creditum... Ille qui credit... non habet sufficiens inductivum ad sciendum; et ideo non tollitur ratio meriti... Aliquid est credibile dupliciter. Uno modo simpliciter, quod scilicet excedit facultatem omnium hominum in statu viae existentium, sicut Deum esse trinum et unum et huiusmodi: et de his est impossibile ab aliquo homine scientiam haberi; sed quilibet fidelis assentit huiusmodi propter testimonium Dei, cui haec sunt praesto et cognita. Aliquid vero est credibile non simpliciter, sed respectu alicuius; quod quidem non excedit facultatem omnium hominum, sed aliquorum tantum; sicut illa quae de Deo demonstrative sciri possunt, ut Deum esse unum aut incorporeum, et huiusmodi: et de his nihil prohibet quin sint ab aliquibus scita, qui horum habeant demonstrationem; et ab aliquibus credita, qui horum demonstrationes non perceperunt: sed impossibile est quod sint ab eodem scita et credita... Non est possibile quod sint de eodem Fides et scientia ». (2)

Nonne penes S.S. Patres adagia illa reperiuntur « Quid est Fides nisi credere quod non vides?... Fides est adspectus eorum quae non sunt manifesta... Non enim Fides de re evidenti concepta Fides dici poterit. Quae apparent fidem non habent ».

***

Relationes igitur Fidem inter ac scientiam existentes huiusmodi sunt:

I. — Fides et scientia non sibi mutuo contradicunt, quia Fidei et scientiae habitus possunt in eodem homine mortali dari.

II. — Fidei et scientiae seiungendae non sunt, quia

(1) *Annales de Phil. Chrét.* Février, 1909, d. 524.
(2) *Sum. c. Gent.* l. 1, c. 4.
(3) *Propaed,* n. 404, *Prop.* XXV.

(1) Vol. 11 *de fide*, disp. 3, dub. 2, §. 1.
(2) II-IIae 1. 4; art. 5, in corp. et ad 4.; II-IIae 2. 4 ad 2; 2, 9 ad 3.; *De Veritate* q. 14 a. 9 in corp. et ad 6. - Cf. *Revue des Sciences Philos. et Théol.* Avril 1909, p. 244; Heitz *La Philosophie et la Loi chez saint Thomas d'Aquin.* — *Kleutgen Theologie d. Vorzeit 4, Vom Wissen vor dem Glauben.*

praeter mutuas utilitates, habitus Fidei cum scientiae actu esse potest.

III. — Actus Fidei et actus scientiae in eodem homine mortali respectuque veritatis eiusdem simul esse nequeunt, sicut esse simul non possunt visum et non visum, quamvis possint esse successive in eadem intelligentia.

Neque valet opponere Pauli Apostoli verba (I *Corinth.* VIII, I): « Scientia inflat »; quia ille de scientia sui temporis, quae vel Deum ignorabat, vel Deum negabat, vel ideam Ipsius destruebat, mentionem facit, non autem de vera laudabilique scientia humana.

REGINALDUS M. FEI.

SELECTA EX BIBLIOTHECIS ET ARCHIVIS

De origine Turcarum. (1)

Turcae, partim Caspio mari proximi, qui Asiam Orientemque vastarunt, Caucasique veteres incolae, qua parte ad Arctum vergit: partim inter Scythicas gentes relati, et Hunnici sanguinis, qui postea Ungari dicti sunt, existimati : quod ex Graecis auctoribus et Latinis colligas. Veteres scriptores (quod sciam) de his nihil, praeter Mellam et Plinium : ille praeter nudum Turcarum nomen in Scythiae relatione nihil aliud addidit. Sive igitur veteres illi a Mella relati, sive recens aliquod genus hominum, eorum certe qui Caspii maris accolae fuere, tenuissima memorantur primordia, et ut ceterarum gentium plane obscura : nam septingentesimum ab hinc annum natali solo relicto, in Persidem atque Asiam minorem primum impetum fecere, sed nec unus dux illis, nec certum imperium ; vagi, dispalatique, quove cuique sors affuit, latrocinantes magis quam belligerantes provincias vastarunt. Prima stipendia Basilio Macedone imperante sub Muchumetio Saracenorum principe meruere, quorum praecipue opera Babylonios Indosque ille vicerat. Sed peperit his virtus invidiam; prohibitique ad sua redire, indignati primo secedunt ; inde uno alteroque praelio Tangrolipicis Mucaletii ducis eorum auspiciis feliciter adversus Saracenos gesto, tandem egregie vincunt, Muchumetiumque profligatum acie obtruncant; ex quo res Turcica ad Tangrolipicem delata. Is, aliis Turcis ad se accersitis, Cucumetium nepotem adversus Arabas cum paratissimis copiis misit ; qui praelio ab his victus, quum a patruo per summum contemptum exceptus esset, eius iracundiam veritus, ab illo deficit, et Pasara Chorasmiorum urbe munitissima sese includit. Tangrolipix interea praelio genti funestissimo in Mediae finibus cum Romanis, Asani alterius nepotis ductu, conflixit. Quo victo et caeso, indignatus ille Aleimum fratrem iterum in Romanos misit : qui egregiam victoriam, capto Liparite Graecorum duce et caesis etiam Iberis Romanorum sociis, retulit; sed quum Liparitem primum, mox et dona a principe missa facile Turca reddidisset, nec praestarent Romani quod promiserant, ingentibus copiis accinctus Tangropilix, Asiam omnem ad Euxinum mare aut vastat, aut subigit; variatum deinde in gente, factionibus exortis, ad Gallorum usque memorabilem illam expeditionem, qua fracti ab his saepius, magna etiam imperii parte multati sunt, donec Othomanus ab hoc Selino, qui rerum nunc potitur, nonus, veterem gentis gloriam asserere ausus est. Is obscuro loco et parentibus agrariis natus, virtute ac calliditate singulari, conflata per seditionem manu, circumferre Turcica coepit arma, in suae gentis homines non minus infestus quam in nostros ; paulatimque rerum successu et imperandi libidine inflammatus, castellum, quod Othomanum de suo nomine appellari voluit, cepit. Distabat id a Prusia Trapezuntem versus itinere dierum sex ; agebatur autem annus salutis nostrae millesimus trecentesimus, praeeratque in Barionae (1) sede Bonifacius octavus, circa exitum Michaëlis Palaeologi, et Andronici nepotis initia ; quo tempore Germanis Albertus imperabat. Othomanus igitur his auspiciis intra octo et viginti annos, quibus rerum potitus est, incredibile dictu quantum rem suam auxerit : magnam certe Bithyniae partem brevi subegit, oppidaque ad Euxinum posita non pauca cepit ; qui moriens Orchani filio regnum per manus tradidit ; sub quo Graecorum Cantacuzeno et Palaeologis contendentibus, adeo res Othomanica crevit, ut Prusiam Graecis ademerit, et dum Cantacuzeno magis quam Palaeologis favet, primus in

(1) Opusculum hoc, auctore IOANNE BAPTISTA EGNATIO Veneto, Basileae anno MDXXXIII mense Augusto excudebat Henricus Petrus una cum aliis sui temporis historicis documentis, inter quae *Christophori Colom de insulis nuper inventis in mare Indico sub Ferdinando rege Hispaniarum, epistola ad magnificum dominum Raphaëlem Sanxis; deinde per Alexandrum de Cosco latinitate donatum.* De volumine haec editor monet : « Lector humanissime, habes hic opus quarundam historiarum, quos iam primum typis nostris ex antiquo et scripto exemplari in commodum tuum evulgavimus ». — De auctore autem opusculi has quae sequuntur notitias invenire nobis datum est. Verum eius nomen fuit Ioannes Baptista Cipellus, quod, more litteratorum et etiam artificum aetatis suae, in Egnatium immutavit. Humili loco natus circa a. MCCCCLXXVIII, tanta ingenii vi pollebat tantoque scientiae amore flagrabat, ut vix duodeviginti annos natus Venetiis in patria ludum litterarum privatum aperire non dubitaverit. Egregia, quam brevi obtinuit, civium existimatio zelotypum ei reddidit Marcum illum Antonium Sabellicum, qui fertur iuvenem vexare admodum coepisse. Egnatius huiusmodi ultionem suscepit : acerrimam de nonnullis Sabellici circa antiquos scriptores iudiciis censuram scripsit, eam an. MDII sub titulo *Racemationes* vulgavit, scholamque suam prope Sabellici domum transtulit, ubi ea quae antea Sabellicus, et in quibus illi adversaretur, commentariis illustrare aggressus est. Ioannis doctrina aemulum ipsum tandem vicit, qui an. MDVI iam prope mortem adductus, ad se quum accersivisset, eius animum cum suo reconciliavit, atque in amicitiae pignus opus quoddam sua manu scriptum edendum ei commisit, qui non solum diligentissime munere sibi tam humaniter concredito perfunctus est, sed, post Sabellici obitum, funebrem eius laudationem composuit, quae, nunc deperdita, veluti pulcherrimum inter Egnatii scripta celebrata fuit. Anno MDXX noster, qui Venetorum civium iuribus, Notarii titulo ipsoque publici legati officio honestatus fuerat, publicam eloquentiae cathedram tanto cum plausu obtinuit, ut eius lectiones a quingentis quotidie alumnis ex omni Italia etiamque ab exteris gentibus frequentarentur. Eloquentiam docuit ad annum usque MDXLIX quando otium, quod iam pridem gravis annorum petierat, ei tandem concessum est. Non tamen diu emeritis stipendiis frui potuit; cursum enim vitao absolvit d. IX m. Iulii MDLIII. Multa scripsit, quae maxima ex parto vulgata non fuere, multamque Aldi illius senis celeberrimis editionibus operam contulit.

(1) Numne *Bar Jona*? Et sic deinceps.

Europam, ab eo accersitus, traiecit. Caramanum etiam, perfidia in illum usus, cuius filiam in uxorem duxerat, interfecto eius filio adolescente, non exigua principatus parte exuit. Qui post vigesimum secundum imperii annum Ammuratem filium haeredem reliquit. Is avitam paternamque felicitatem aemulatus, in Caramanum avum maternum non minus infestus quam pater fuit: mox ab imperatore Palaeologo solicitatus in Bulgaros, fratremque Peloponnesi principem, qui bellum moverant, XII Turcarum millibus in Europam transportatis, egregie Bulgaros hostesque imperatoris ultus est; hinc Europeis opibus illectus, dum ulcisci imperii hostes simulat, usus Genuensium navibus, Hellespontum ad Abydum superat, Gallipolimque cum aliis oppidis occupat. Is fuit annus millesimus trecentesimus sexagesimus tertius; nec multo post Serviam Bulgariamque ingressus, quum Hadrianopolim prius occupasset, occurrentes sibi cum paratissimis copiis hostes, ingenti caede profligat, Lazaro Serviae principe in acie caeso; sed mox a servo in domini vindictam Ammurates occiditur, quum annos viginti tres imperium tenuisset, Pazaite et Solimano liberis superstitibus. Pazaites, interfecto per insidias fratre, patris mortem ulturus, Marcum Craievicum Bulgarorum principem praelio superat et interficit; inde magnam Bulgariae partem sibi subiecit; nec tanto rerum successu quietus, Bossinam, Croatiam, ulterioresque Illyrici partes vastat. Constantinopolim annos octo obsidet, facileque obsessam iam tunc expugnasset, nisi Ungarorum Gallorumque adventum formidans, quibus ad Nicopolim occurrit, memorabili praelio nostros superasset, caesis captisque magna ex parte Gallorum ducibus, in primis Ioanne Burgundiae duce, et Sigmundo Ungariae tunc rege tumultuaria pugna fuso, qui facile in hostis potestatem venisset, nisi Venetae classis occursu servatus e fuga esset, cui tam Thomas Mocenicus, qui postea Michaëli Steno successit, praeerat. Inde ad Constantinopolitanam obsidionem spei plenus regrediens, quum eam biennio obsessam tenuisset, trepidissimis Tamberlanis Scythae nuntiis, qui infinita pene multitudine Turcarum terras invaserat, excitus, illi ad Stellam montem congrediuntur, in Galatiae Bithyniaeque confinio. Caesa sunt in ea acie Turcarum ducenta millia: vivus ipse Pazaites in hostis potestatem venit, qui aureis catenis cavea vinctus, ad mortem usque a Tamberlane circumductus est. Incidit haec clades Turcis in annum millesimum trecentesimum nonagesimum septimum salutis nostrae, Bonifacio nono pontifice Romano. Huic duo fuere liberi mares: Orchanes, quem alii Calepinum, et Maomethes, quem nostri Moysen magno, uti video, errore dicunt. Orchane intra biennium per insidias a fratre interfecto, Maomethes rem Turcarum solus occupat, qui Turcia, avito regno Asiae recepto per Tamberlanis interitum, Bulgarios et Vlacos praedis et cladibus afflixit, Hadrianopolique recepta, regiam ibi sedem statuit. Ipso post annos septem et decem mortuo, Ammurates filius regnum init, Ioanne XXII Barionae sedem tenente. Hic maiorum gloriam non solum aequavit, verum etiam longe superavit. Prusia illi expeditio in Mysorum principem, qui nunc Servi dicuntur, fuit; de quibus Scopiam et Novemontum post longam obsidionem cepit, duos reguli filios captos oculis privat, postea sororem eorum uxorem sibi adsciscit, restitutoque per has nuptias Novemonto, in Vlachos, Ungaros et Germanos incursiones graves facit, inde in Epirum deflectens, Croiam expugnat. Venetorum arma in se solicitat; Thessalonica his per vim adempta, interim una ab Ungaris ingenti pugna victus, induciisque ab iis decennalibus impetratis, iterum ab iisdem Ungaris praeter iusiurandi fidem, Eugenii pontificis hortatu, bello petitur: quos duplici praelio ducum nostrorum discordia et ambitione vicit. In altero ad Varnam Ladislaus, rex Poloniae, et Iulianus Cardinalis obiere; in altero ad Basila victus Hunniades caesique principes Ungari non pauci, praeter gregarium militem, qui ad internecionem occubuit. Nec moratus Peloponnessum fratrum discordia iniuriae obnoxiam in ditionem redegit; exinde reputans animo regni molestias et fortunae inconstantiam animo agitans, in Asiam abiit solitariam vitam secutus et Maomethae filio cura rerum demandata sub Calibassae tutela, quam non multo post repetere suasus (aetas enim filii non satis idonea rei administrandae adhuc videbatur) Epirum ingenti exercitu repetit (defecerat enim fere universa Scanderbecchio auctore) et Croia frustra per aliquot menses oppugnata, moerore animi obiit, quum annos quatuor et triginta regnasset. Longum est si Maomethis eius filii res gestas explicem; quae quantae fuerint, novum Othomanicae familiae Magni cognomentum ab eo quaesitum, et in haeredes iam transmissum arguat. Is enim duo Christianorum imperia, Constantinopolitanum et Trapezuntinum, subvertit; regna duodecim nobis ademit, ducentas urbes Christianam pietatem secutas cepit, et in his Chalcidem insulam armis et Scodram deditione Venetis extorsit, bellum maritimum per multos annos cum maioribus nostris gessit, Capham ponticam urbem expugnavit, Rhodon insulam frustra tentavit; Italiae capto Hydrunte, arma intulit; et dum plusquam civile bellum in maiorem filium meditatur, quum annum unum et triginta praefuisset, obiit anno salutis nostrae MCCCCLXXXI, quinto Nonas Maii. Quo mortuo, res Turcica civilibus armis aliquamdiu iactata est. Sed minore fratre victo et fugato, solus imperium Pazaites obtinuit, qui Vlachiae castella quaedam quum expugnasset, inde in Sultanum Aegyptium copias eduxit, a quo saepe victo, Turcae tandem pacem foedusque iniere. Ceterum quum otii appetentior a natura videretur, nec tamen per suorum hominum ferociam feriari a re bellica posset, paratis terra marique ingentibus copiis, anno MCCCCXCII Cerauniorum montium accolas invadit, tractumque illum liberarum semper ad eam diem gentium Turcicae servituti subdit; inde septimo post anno terribili classis apparatu Venetis Methonem,

Naupactumque, mox inde et Dyrhachium adimit. Quin et in Foroiuliensi agro trepidatur, Turcis foede terram eam magno nostrorum damno vastantibus. Nec multo post pax secuta, Andreae Gritti patricii clarissimi opera; postquam non diu superstes Pazaites fuit, regno a Selino filio pulsus, qui rerum nunc potitur, ex quo annos ferme xxx imperitasset.

HORAE SUBSECIVAE

Columbus altero orbe divinato ad ignotas terras in navem ascendit.

Nave levi nixus, magno sed pectore firmus
Litore ab hispano audebat proscindere rostris
Nauta Ligur pelagus, quod nunquam conspicere ausi
Mortales oculi. PALOS ad littora portus
Turba immota manet, miraturque ore stupenti
Impavidum nautam placida percurrere puppi
Oceanum insuetum per iter. Candescere fluctus
Incipiunt, atque audax iam secat aequora navis.
Diffugere procul montes, et litora ibera;
Et nihil apparet nautis nisi pontus et aether.
Quaenam, magne Heros, animo tibi tanta cupido,
Ut te sponte velis ignoto fidere ponto
Et siccis oculis horrentia monstra videre?
Non certe auratum tibi mens acquirere vellus,
Non rutilo ducit te fulgens purpura fuco;
Nec studio exardes plausus popularis et aurae;
Una tibi sedet in ferventi corde voluptas
Iustitiam atque Fidem, et quae caetera munera Christus
Attulit in terras, miseris transmittere tandem
Gentibus, obscurae noctis quibus usque tenebrae
Incubuere, nec e caelo lux alma refulsit.
Iam videas, ut collustrent nova sidera noctem;
Turgidus et fluctus timeat contingere puppim,
Quam clavo regit arbiter Euri, undaeque frementes.
Mane novo ut spargit paullatim lumine terras
Lucifer, infusas et noctis dissipat umbras;
Sic populos errorum Tu caligine sparsa
Aetheria luce irradias, revocasque vagantes
Littoris ignoti turbas ad gaudia pacis.
Ergo Tibi grates, si iam pars altera mundi
Christiadum ritu discit mansuescere, et almum
Christi vexillum digno veneratur honore!

Albintimilii.

CALLISTUS AMALBERTI.

DE POËSI QUAE DICITUR AULICA.

Principibus placuisse viris non ultima laus est.
Non cuivis hominum contingit adire Corinthum.
(Hor. Lib. I, Ep. 17).

Non id mihi sumo, hoc adhibito argumento, disputationem quamdam inire de illa poësi, quae vere proprieque dicitur aulica; sed potius ac veluti cursim nonnullas afferre animadversiones, quae mihi in mentem venerunt, cum per hosce dies, subsicivis horis, otiandi causa libellum quemdam percurrerem, cui nomen: *Argutae virilitatis exercitamenta*, Caesare Fanelli auctore, a. MDCCXVI.

Displicet vero partem tertiam, idest epigrammata, in tres libros divisam, tantum mihi in manus pervenisse, cum reliquas comparare nequiverim; sed, si fieri non potuit ut totum opus evolverem, dolendum non est, quod *crimine ab uno* reliquarum partium sententiae facile discuntur.

Libellus de quo loquimur, est Carolo Sexto Romanorum Imperatori Austriaco atque Hispaniarum Regi piissimo dicatus, *ad amoris, fidelitatis et obsequii iudicium, tesseram atque argumentum.* Iam inde a primis paginis qui sit auctor, nullo negotio dignoscitur, scilicet quo animo quibusve sensibus, vel quibus armis, quove inflato ac tumido scribendi genere communitus se ad propositum composuerit, cum enim, ad *Solem Austriadum* conversus, de se ipse scribat:

Nunc ego spes Phoebi tenuis, rudis incola Pindi,
Ante tuos supplex, cernuus ante pedes,
Hosce dico versus, incultaque carmina sacro:
Parce ausis; spernas nec metra parva, rogo:
Vel Deus aetherei summus moderator Olympi
Oblati thuris parvula grana probat.

Hucusque non multum offendimur, ac veniam damus libenter, eo magis quod in progressu operis nonnulla epigrammata invenimus, quae grato animo leguntur, utpote cum nescio quid salsum commodeque dictum habeant. Quod si nobiscum id bene consideramus, haud facile esse epigrammaticum genus, et praecipuas, ut ita dicam, virtutes a studiosis exposcere, ut affabre in illo se exercentes, digni superioresque evadant, minime respuendum est Fanellii conamen et in obsoletas nugatoriasque res reiciendum.

Ceterum, difficultatem hanc poëta sibi non dissimulat, quin immo sic admonet lectorem:

Cuncta supercilio placido vultuque benigno
Perlege, nec rigido laedere dente velis.
Si quid peccabunt Epigrammata, parce libenter:
Difficile hoc metri creditur esse genus.
Non est dumtaxat carmen, sed nobile carmen,
Quod debet lepidos continuisse sales:
Si forte insulsum, sibi gignit ubique cachinnos,
Non plausus; momos in sua damna movet.

Sed non de his epigrammatis mihi in animo est disputare, verum de illis quae proprius opportuniusque

poëmata sive elegiae dicuntur, quaeque quiddam aulicum sapiunt.

Agitur in primis de nativitate Austriaci Infantis. Bene recteque poterat poëta, ad suos obsequii officiique sensus in Regem expromendos, paucis versibus absolvere rem; scilicet laetissimum eventum consalutando et fauste imperio populisque auspicando.

Sed non ita est, lectores! non est profecto. Nam tumentem Fanellii Musam minime simplicitas et modus decet: translationes vero probantur, ambages, imagines audaciores, ne dicam novae atque mirae, dicendi turgiditas, et huiuscemodi fuci vitiosaque ornamenta . . . En pleraeque elegiae quae idem argumentum tractant, quibusque vel nimium stomachamur:

Iam Europae pacem poëta ab uno partu sperat videtque Martem *saevos clypeos* et enses deponere, Sebethumque, iuvenem factum, exsultare. . .

Aspice ut intexunt choreas per caerula ponti
Pausilypi nymphae, Nereidesque deae.

Tunc lustra exoptat Puero, *Pylio quot lustra fuerunt* . . .

Eaedem sententiae, ac paene dixerim eadem verba, alio loco adhibentur: Astrictis foribus, Ianus claudet sua limina; Mars mutabit rigidos gladios curvis aratris *atque inter clypeos mellificabit Apis* (!). Ducum comae oliva cingentur, ingemetque Ambitio (non desunt vero quidem personarum fictiones), et lacrimas ad instar fluminis

Ex maestis oculis proferet Invidia!!

Paulo post, mentione Iovis iniecta qui, captus Europae splendoribus, eripuit illam ac sanguine commixto Minoem genuit, Carolum Regem *Iovem Austriacum* (risum teneatis?) salutat, eiusque uxorem Elisabeth *Iunonem secundam* . . . At hic silentio praeterire non possum distichum quoddam, quod insulsitatis tumorisque culmen, ut mihi videtur, attingit atque inter aegrotantium deliramenta recensendum est:

Ex uxore gravi, gremioque uteroque tumenti
Mox, mox nascetur, sorte iubente, Minos!!

Comparationes autem subsequuntur, quod poëta effrenus, alato insidens equo, citato cursu et historiae regna et fabularum percurrit . . . Puer vagiens haeret oculis fulgentibus, Alexandri similis, cum matris ab alvo

Exiit et primos protulit ore sonos;

imago frontis specimen dat Herculei roboris, et vivida forma Achilleas genas ostendit!! Praeterea, fiet compar Alcidae cum annis creverit, et, ut ille, franget monstra quot orbis habet . . .

Quaero num quid inflatius turgidiusque dici possit, quidque ad nativitatem infantis celebrandam, cum veterum fictis fabulis comparare eam conferat.

Memini olim in Senecae epistulis legisse Alexandrum Magnum, cui aulici persuaderent se filium esse Iovis, cum gravi vulnere ab hoste sauciatus esset in bello, dum moenia circumiret, oculos iamdiu indecora adulatione subligatos aperuisse atque ita exclamasse: «Omnes . . . iurant me Iovis esse filium; sed vulnus hoc hominem esse demonstrat». (1) Quotiescumque enim aliquid aulicae poësis prae manibus habui, hoc mihi dictum sponte in mentem venit.

***

At hic fortasse quaerat quispiam: Putasne principum aures hisce blanditiis mulceri et facile falsa pro veris diiudicare? putasne reges ea esse mente ut assentatorum in sententias incaute descendant? Minime.

Hinc supervacaneum est, ne dicam perabsurdum, id poësis genus atque irrita inter eorum conamina recensendum qui, cum sibi vultus sit pravis maculis sanieque corruptus, suam deformitatem et pigmentis et cerussa occultare student. Sed facile sub fuco latentem saniem dignoscimus: tunc velamentum dissolvitur et veritas nuda apparet. Simili ratione de poëtis atque scriptoribus blandientibus diiudicandum est qui, cum nihil quidquam nobile atque excelsum habeant quod suorum carminum in fronte constituant, ideoque optimis sententiis honestisve careant argumentis, tenue quidquam eligentes, ita praetexere, farcire, pigmentis illinere conantur, ut eius gracilitas, filicatis, ut ita dicam, figuris contemptis, scilicet dicendi apparatu, verborum elegantia, similitudinibus, eisque denique artificiis quibus Musae redundant, sub tot supervacaneorum nutans pondere, detegatur. Quod si Plinius iunior potuit scribere: «nullus est liber tam malus, ut non aliqua parte prosit» (III, 5), censeo autem — nec postulo ut alii meae sententiae astipulentur — omnia quaeque per blanditias exarata, sive numeris astricta, sive oratione soluta, si non mores, at certe sensus iudiciumque corrumpere: opimum enim dictionis genus immutataque verba ea sunt artificia, quae vel nimium noceant voluntati.

Vidimus iam quid de nativitate Austriaci Infantis Fanellius scripserit.

Verum non possumus ei laudem denegare quod, saevientibus illo tempore Turcis, sincero ex corde optaverit ut *Thracia luna* principis iugum ferret *Threiciique canes* baculo verberarentur, atque pro festivitate Sancti Iosephi precatus sit ut, quamvis innumeras naves et phalanges hostes collegissent, eorum agmina perirent. Sed displicet, ne dicam offendit nos, deforme eius obsequium erga comites, principes, caesareae maiestatis consiliarios, equestris militiae praefectos, equites, marchiones, ducesque *singulari benignitate praeditos omnique ex parte spectabiles*... Nam id obsequii genus nulla alia re constat, nisi fastidienda earumdem sententiarum iteratione, eisdem honorificis verbis, eisdem lusibus, eisdem argutiis. Ut unum afferam exemplum, laudatis viris poëta exoptat ut longos annos Nestoris Castorisque enumerent, spectentque pariter Pollucis olympiadas!

(1) Sen., Ep. V.

Quae res, molesta scilicet ac taedii plena iteratio, necessario ex tenuitate argumenti proficiscitur.

Equidem miror, Fanellium potuisse praecipuis suae aetatis hominibus veluti coronam quamdam epigrammatum intexere; sed cum attentius propiusque consideremus quibus frondibus ea constet, cogimur nosmet ipsos rogare num esset tanti id scribere!

Possum vero nonnullos alios Fanellianae Musae locos afferre, ex quibus luce clarius apparet quam inane poëtice scribendi genus aulica atque adulatoria poësis sit; sed hucusque allata exempla per se ipsa satis sunt ad id affirmandum.

Quin immo, ut finem faciam, dicam: poësim aulicam non solum esse supervacaneam, non solum inanem lusum deformisque obsequii significationem, sed etiam, quod est perridiculum, arrogantiae cuiusdam ambitionisque plenum specimen, ut his eiusdem poëtae versibus emicat:

Dum sol irradiat, dum Cynthia in aethere fulget,
In chartis vives carminibusque meis.
Roma cadet, fietque cinis prius alta Corinthus,
Quam tua Lethaeis fama peribit aquis!

Scribebam Id. Sept. a. MCMXII.

M. Galdi.

Adnotatio. — Si quaeris qui fuerit Fanellius, de quo supra agitur, sic habeto:

Neapoli vixit, ineunte saeculo MDCC. — Laureatus archipoeta ex Floreno, et academicus Peregrinus in Romana Peregrinorum Academia, ubi Pausilypi Apollodorus antonomastice appellabatur, *rhetoricas artes et praecepta mellea fandi* docuit, ac logicae elementa professus est. Praeclaris suae aetatis viris familiariter usus, haud raro carminibus eos adiit ut *suae paupertati* subvenirent et magnis laudibus per curriculum extulit, quod.....

Principibus visa est semper iucunda poësis.

Hinc de se bene poterat dicere:

Servitiis addicta tuis mea Musa per aulam
Mille dedit quondam plausibus aucta iocos.

(V. Epigr. lib. III ad Serenissimum Dominum Caesarem de Avalos Vasti et Piscariae Marchionem...). M. G.

Ludus qui Italice dicitur: LA CORSA NEL SACCO

seu "Certant qui currere in sacculo inclusi".

Honori beatissimi Rochi, pestilentiae potentis, festum magno apparatu celebratur, cui adspectus Episcopi, innumera prope devotorum frequentia, dignitas accedit. Ex more, solemnes post religionis caeremonias rite compositas, ad incolarum advenarumque solatium, fieri coepti sunt aliquot publice ludi. Mirum sane quam ruricolae nostri recreari adsolent et delectari! Hoc vero anno, praeter complura proposita praemia, et iucundam temporis opportunitatem, inter pagos haec passim vox circumfertur, maiore omnino solemnitate ludos celebrari tum rerum novitate, tum personarum elegantia, magis atque magis laudabiles haberi.

Re enim vero, devotis ritibus expletis, frequens populus in stadium se se proripuit, magna ludorum voluptate atque solatii excitata. Hic adsunt qui, praemiis propositis adlecti, pila ludere se se parant, illic cursu, vel etiam pugnarum simulacris, aliisque id genus iocis compluribus.

Sed omnes maiori animorum desiderio ac dulcedine expectant ludum qui vulgo adpellatur: *La corsa nel sacco.*

Qui hunc ruricolarum ludum unquam oculis arripuit, vix mente consequi poterit, qua nostrum voluptate atque insania, prope dixerim, ei adesse consueverunt.

De hac ludorum ratione paucis absolvam. Est proximus ager patens, quem nuper « falciferae secuere manus ». Hic nempe sunt magnae luctandi acies. Utrum vero aptius sit in via latiori eademque vacua vires exerceri, diu multumque inter luctatores actum est. Placuit tandem cursitare *in vacuo aequore campi.*

Tunc carceres decernuntur et meta, maximumque praemium. Illuc maxima admodum hominum multitudo adcurrit, dum luctatores, inter fluctuantium adstantium expectationem, adparent, ut rite in saccum condantur. Omnes sunt unica subucula induti cum femoralibus, calceati vel non, uno tamen more adcincti.

Singularis autem huiuscemodi certaminis fautores unumquemque luctatorem in saccum collo tenus vehementer immittuntur, brachio uno dextero excluso, ne quid ei forte mali succedat, si casu humi procumbat. Octo vel decem in uno eodemque loco sistunt, dum matres ardentibus oculis adspiciunt, fratres, sorores eaedemque consortes, suis victoriam secreto auspicantes. Horum omnium, nisi me quis incuset magnis nunc parva nimis componere, ut Vergilius canit: « Latonae tacitum pertentant gaudia pectus ».

Circumstantes interea oculis luctantes curiosius perlustrant, hunc victorem esse vel illum indicant, prout quisque animo vel amicitia decernit. Fit circum maximus subito clamor, et vulgus in contrariam scinditur sententiam; nec desinit qui de victore non modo disputet, sed multis cum adversariis vel pignore contendat.

Quum vero primum buccina canit, fit altum circa silentium; quum autem secundum, maiori sollicitudine omnes se se ad currendum disponunt, tacitique secum mente revolvunt quomodo et qua arte incedere debeant, pedesque mutare, sacculum sublevare, gradumque meliusculum properare. Tertium demum buccina canit, et tunc mirum in modum incipit cursus. Hic brevibus saltibus crebrisque procedit, ille magnis, ut ei per sacculum licet; alter pede nunc dextero sinistroque se se ex ordine vertit, ut circinus saepius facere consuevit; alter, pedem alternans, vicissim progreditur, ut omne sic obstaculum removeat, nunc pedibus summo nititur opere, omni vi manus et celeritate solertiaque contendit.

Vel ab initio succedunt variantque vices; dum cir-

cum gentis multitudo, illi innuit atque favet, dum contrariis desideriis alteri dat gratiam, et fert augetque vocibus robur. Quam graphice dixeris:

Animum hunc huc celerem, nunc dividit illuc!

Dominicus enim duobis iam passibus Iosephum antecedit: Baptista vero Dominicum ita in certamine instat atque subsequitur, ut mox mox eum supergrediatur. Bernardus lentius equidem incedit, sed omni facile obice remota, non deflectit, et secure rectoque procedit, et maiore mentis industria, parum retro subductus, rapidissime viam carpit atque inter primores se recipit, eique unus modo restat superior Baptista, qui tribus tantum passibus ei praecedit.

Hunc autem maximo clamorum strepitu manuumque adstantes incitare haud desinunt: « Insta, macte, macte virtute! » Quum ita se se habeant res, et turba in partes huius illiusque magno studio voce contendit, beatiores adesse in media acie magnoque ore omnes ad contentionem provocare, illud veluti Vergilii repetere:

Depono: tu dic, mecum quo pignore certes?

Multi in aciem progrediuntur, consurgunt maximis studiis. Blasius interea sudat, fatigat, adlaborat, atque ore vultuque rubicundo, nil prorsus videt quam aemulos, quos felicissime transilit. Hunc magno novo clamore spectatores accipiunt, urgent ad victoriam: Io, Blasi, io! perge!

Novissimus et quam longissime et formicino veluti gradu adest Iacobus, qui magnis undique irrisionibus obruitur. Hic enim passim lingua factiosus, opere autem iners semper, superbiens coram populo se se iactare saepius consueverat, adversarios facile fore superaturum... Ipsos propediem visuros. Nunc lepidissime e laetiores festinantesque illudunt, exclamant: Optime Iacobe, macte! Erit tibi praemium, maximumque! Curre... Date, ehu! vos munus, quin imo laurum..... « Florentes ferulas et grandia lilia ferte! » Io, Iacobine, hui! — Ipse vero quasi insanit, furor iraque mentem praecipitat. Namque ob contemptum modo sistit, modo iter denuo carpit, modo ut se ab omnibus irridentibus liberet acerbisque facetiis... — Hisce enim paene obrutus sternitur primum exanimisque tandem procumbit.

Tunc quasi ex composito eum in immundo pulvere iacentem populus universus sibilo excipit; qui se se turpiter humi volutat fremensque dentibus caelumque terramque minatur. Alii vero iam iam ad metam perveniunt: Dominicus duobus modo passibus distat, tribus Bernardus; Ioseph inter utrumque. Populus anceps exitum exspectat; dum Blasius, qui ad tertii humeros conspicuus impigerque succurrit, tribus passibus adsurgit, atque inter omnium plausum feliciter metam primus contingit. Hinc magnae contendentium irae, qui furoris ergo, nec suis parcunt quidem capillis, quos durum in modum manibus extorquent. Sic itaque orta est Blasio victoria, eique omnibus adclamantibus adtribuitur. Arte enim vicit atque virtute.

Tunc iudices eum prae manibus vulgo portendunt: amici ei gratulantur, populus plaudit, universa tellus nomine dat munus..... Ipse vero, ut si res italas armis esset tutatus, moribus ornasset, legibusque emendasset, ad ludorum iudices se maxima pompa confert, ut praemium sibi propositum meritoque conquisitum accipiat. Quod oris decus, quaeque vultus superbia! Petasatus enim atque arroganter et fastu insignis et ambitione adest, ac manibus ad latera positis, rusticorum more et humeris sacculum ferens quo vicit; ea quidem corporis superbia qua olim forte ipse Hercules leonis Nemaei pellem retulit.

Per idem tempus, universa gestiente civitate, pegmata sub noctem incensa, viae et domus urbis humilisque Rochi aedicula facibus cereisque colluxerunt, et Blasius in triumphum ducitur, atque ut rex festi diu multumque in posterum omnium sermone percrebuit.

SUBALPINUS.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Utre terreri.

Dici solitum quoties inanem formidinem aut concipit aliquis, aut, (translata passiva verbi voce in activam), incutit. — Sumptum ab iis, qui vasorum inanium strepitu pavefaciunt pueros, aut alioqui formidolosos, vel potius qui vasorum huiusmodi sonitu propellunt aves, ut indicat in *Avibus* Aristophanes.

Exstat apud Diogenianum.

Domesticum thesaurum calumniari.

Hoc est: Tua ipsius carpis et laceras. Simillimum Horatiano illi: Vineta propria caedere. — Aristides rhetor in Pericle: « Domesticum thesaurum insimulabimus, siquidem istis obtrectabimus ». Nullus autem sanae mentis quae domi recondita habet, traducit ac reprehendit; sed suis quisque favet, alienis invidet.

Conveniet et in illos, qui sua ipsorum arcana non celant.

Mihi istic nec seritur, nec metitur.

Adagium habet Plautus in *Epidico* pro: « Ista res nihil ad me pertinet, ut quae neque meo fiat periculo, neque emolumento ». — Metaphora clarissima est; etenim qui sementem facit, is suo impendio suoque periculo facit; qui metit, compendium accipit et in tuto est. Diversum est huic quod est apud ipsum Plautum in *Mercatore:* « Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi eidem metis ».



VATICANA MURALIS PICTURA

CONSTANTINI CAESARIS PUGNAM REFERENS CONTRA MAXENTIUM AD ROMAM

Constantini Caesaris pugnam et victoriam contra Maxentium, unde novus saeculorum natus est ordo, et cuius centenaria commemoratio his diebus occurrit, in superiore *Vo is Urbis* fasciculo late egregieque, ut assolet, narravit Ioannes Baptista Francesia: hodie eam sub oculis lectorum ponimus, qualem Raphaël Sanctius ille, pictorum maximus, adumbravit, eoque demortuo, in Vaticana aula, quae vulgo ab eodem Constantino nuncupatur, Iulius Romanus, Urbinatis discipulus, coloribus ita expressit ut et tanto magistro dignus apparuerit, et opus prope dicam suum omnino reddiderit. Scribit Vasarius, Iulii hanc muralem tabulam - (ad aulaei modum in longitudinem ped. XXXIV in altitudinem ped. XV perductam) - «magnam lucem» artificibus attulisse Romanum bellicum genus post Iulium ipsum pertractantibus, qui tot tantaque ab antiquis Traiani et Antonini Urbanis columnis didicit atque deduxit, ut in militum habitu, vestibus, armis, signis, vallis, arietibus ceterisque bellicis instrumentis ea profuse sane, at singulari peritia per hanc picturam adhibuerit. Fortasse nigro colore praeter rationem aliquando usus est, atque in figurarum circumlitione nimiam rigiditatem dilexit: haec enim vitio critici plures ei verterunt; quamquam ex huiusmodi accusationibus Bellorius *(Descrizione delle immagini dipinte da Raffaello di Urbino. - Roma 1695, pag. 59-60)*, Nicolai Pussini auctoritate fultus, belle satis Iulium defendit.

AD SANITATEM TUENDAM

Salernitanae scholae praecepta de bona valetudine conservanda nemo est qui ignoret. Quorum multa, proverbii loco sumpta, nostris diebus adhuc memorantur et vigent. Ut humanarum est rerum, plures ipsam scholam imitati, non solum pro rege Angliae, sed ad generis humani omnis bonum rationes suas ad tuendam sanitatem soluta oratione aut Apollineis honoribus exposuerunt; quarum unam, quum casu in manus meas incidisset, quumque ex ea aliquam voluptatem coepissem, summatim saltem in *Vocem Urbis* referre, non iniucundum (ecquid etiam non dicam utile?) fore putavi.

Auctoris nomen, splendidum quidem et grande, Georgius Pictorius Willinganus, doctor medicus et apud Caesaream curiam Ensisheimii superioris Alsatiae archiater; carmen elegiacum; opus in sex partes divisum iuxta res «non naturales»: aërem, cibum et potum, motum et quietem; somnum et vigilias; repletionem et inanitionem; de accidentibus animi. Singula persequamur... cum ipsis passim prosodiae peccatis.

De aëre, corporis artus circumdante, proculdubio quisque notat, poterit quod noxius aër
Damna dare, et salvus commoda multa quoque.

Temperatus quippe et purus sibi cuique optandus; frigidus item, quod
torpida membra
Hic facit, obledens pectoris ima quoque;

et calidus,
Debilitat talis namque diaphoresi,

fugiendi. Quisque igitur
Eligat ast medium, nullis foetoribus auctum:
Stagna lacusque putres, stercora quisque cavet.

Artem qua malus et foetidus aër sit corrigendus, bona pace auctoris, hodiernae *hygieni*, longe proculdubio progressae, demandemus, sitque statim cibo potuique hîc locus. In primis,

Non est mandendum sano, nisi sciverit ante
Ingestos ventrem devacuasse cibos.
Nam damnum credat, quo vix praesentius angit,
Quando indigestis additur esca cibis.
Neve cibum tardet, dum vult curasse salutem,
Nam vacuus venter phlegmata crassa trahit.
Non comedat quidquid cupidi vis improba suadet
Ventris, sed debet praelimitare cibum.
Escas perfaciles coctu praemittere cautus
Debet, sed duras ultima mensa habeat.

Et memoret quivis, quod
Si bene comminuunt dentes modo fercula sani,
Dixerit immensum concelebrasse bonum.

Circa autem dentium sanitatem,
Si cupias dentes salvos, tu collue lympha
Saepe etiam gelida, maxime post epulas.

At quamdiu ad mensam sedendum? Generatim
Supplicium dirum praestat semperque cavendum,
In mensa longam continuasse moram.

Praecise vero quisque
Coenam continuet parvam, quum Syrius ardet,
Nox istud signat nam brevitate sua;
Maiorem sumpto sole ingrediente Sagittas,
Quum nox sublustris longior esse solet.

Ad parandam denique et adiuvandam eduliorum in stomacho concotionem,
Ante cibum anisum confecta cydonia prosunt
Saccaro; post mensam caseus atque recens.

***

Sed iam de alimentorum genere medicum praestat audire, deque eorum capite, pane:
Neve minus Cereris calidum permittat ad escas
Sanus, fermento sed bene congenitum.
Est quidem opyrus (1) facilis laborantibus, atque
Proritat is alvum, nec bene membra fovet.
Furfure sed mundus, sanos hic pascit et aegros,
Ac faciles aditus membra ad alenda trahit.

De carnibus deinde, tum quadrupedum tum volatilium:
Nutritiva caro est, lateris sed portio dextri
Plus confert mensae, gratior estque cibus.
Exitus est facilis pingui, sed nutrit edentem
Parum; tosta quidem vix bene digeritur.

Singulis autem carnibus sua natura, sua virtus; praecipua referemus, eoque magis quod nostra aetate qui ursi, gliris, lupi, castoris, lyncis carne vescantur, multos esse non credimus.
Bos reddit duram, cunctis quos cocta polenta
Nutrit proficuam, sed eo perinutilem.
Sus calidam et udam multum ventrique rebellem,
Ni iuvenis fuerit, quae solet esse bona.
Hoedus fert primas, agni magis humida semper
Est caro, sed stomacho sit levis ista bono.
Exornet vitulus magnatum prandia fortis
Uvida, cui sapido iuncta tempore caro est.
Dat aper in hyemem catulis modo captus edacem
Carnem, quam condit nigrior ecce piper.
Succi est optati iuvenis capreolus, atque
Fomentum optatum dat maculosa fera.
Si timeas nigram bilem, vitasse memento
Alipedem cervum, maxime si vetulus.
Impiger atque lepus sanguem subinde comestus
Furva equidem bili commaculare solet.
Gaudet in effossis habitare cuniculus antris,
Fercula qui praebet ferme imitata gluten.
Est stomachum pascens erinaceus; ilia mollit,
Convenit ictericis, laxaque membra iuvat.

Ut de quadrupedum, sic de volatilium carnibus delectum faciemus. Iuxta mentem auctoris, quocum non dubito quin omnes lectores consentiant, capo
. . . pariet turpi fercula prima gulae;

gallina autem

(1) Vocem hanc apud nullum auctorem inveni. Panem, cui nihil ademptum est, voce a Graeco fonte deducta, non *opyrum* sed *autopyrum* Celsus unus vocat (Lib. II, cp. 18).

Nigra tenet primas, humiditate bonam.

At

. . . calidam et siccam redolet fluviabilis anser
Carnem, quam ventri credimus esse malam.
Anseribus magis ardet anas; praestantior alis
Narratur; stomachum sed gravat ipsa bonum.
Tota quidem ponatur anas; sed pectore tantum
Et cervice sapit; cetera redde coco.
Et stomacho ignito multum nocet ecce columba
Poplitibusque aegris, ni iuvenis fuerit.
Horreat et mensas turtur cythareius ales,
Nam medicas artes condecorasse solet.
Inguina torquati tardant hebetantque palumbi:
Non edat hanc volucrem qui cupit esse salax.
Et regum lautis ornat Sodomitica perdix
Coenas, quae didicit prima fovere iecur.
Atque phasim cunctas volucres superare putamus;
Nam levis est stomacho, gratior estque cibus.

Aucupium auribus facito; de aucupio enim nunc loquitur:

Et galeata quidem est bona, si praepinguis alauda,
Datque salutiferas ad tua pocla dapes.

Turdis contra

Igneus ardor inest, languentibus aegris
Ingratus, gratum quem vero bacca facit.
Est pingui merulo maior mihi gloria, credas,
Quam turdo; carnem nam tenet ipse levem.
Coturnix quamvis sit in regalibus ingens
Delicium tamen est sensibus ipsa mala.
Ficedulas sine et vescantur dulcibus uvis,
Aut raptae cantent stridula voce melos.

Cantet quoque lucinia suis regibus; auditas reddat voces sturnus, ignitus et nocuus cibus; fugiat procul a mensa hirundo; fugiat corvus, nam

In cruce quaerit prandia lauta sibi.

Quod si

Ardet in sicco passer, durissimus ales,

is tamen

Si cupis esse salax, is cerebella dabit.

Carnes vero omnes aromatibus, seminibus et baccis ad ferculas conficiendas indigent; de iis quoque sanitatis documenta suggerit noster. Ut sapor dapibus praebeatur,

Sume apium, porrum, coriandrum, semen aneti,
Cum tostis nucis adde selina, thymum.

Quamquam inferius adnotat:

Frigida vis multum coriandri dicitur esse:
A coena sumptum hoc convenit esse satis;

et anetum assidue bibitum visui nocere.

Contra de muscatis nucibus:

Vesica his patula est, has fluida alvus amat;
Et stomacho, iecori, vitiato spleni et ocellis
Subveniunt...

imo et caput ipsum iuvant.

Sunt insuper aromata plura, quorum virtutes cognosci debent ad recte utendum.

Cinnama iactat Arabs multum redolentia, namque
Et iecur, et renes, putreque pectus alunt;

ea ventrem quoque corroborare queunt.

Piper est calidum, idque

Quod nervos siccat, phlegmata quodque trahit,
Quodque acuit stomachum algentem, quod tormina [ventris,
Tollit; sed caveas, si tibi bilis inest.

At stomacho algenti ignitum fit zinziber

Antidotum; siccat phlegmata crassa simul,

et etiam «solvere ventrem usque solet».

Deiectum stomachum reparant gariophila multum,
Aethiopes donant quae tibi larga manu.
Haec bene calfaciunt praecordia, tormina ventris
Excludunt.....

Si denique

. . . mala sunt capiti segnes turbantia somnos
Dant rubei flores pharmaca magna croci.
Atque croco gaudet venter, seu tristia corda;
Hocque ede, si risus expetis assiduos.

Moniti inde lectores sunt, qui laetam hilaremque exoptant omnem perducere vitam. Audiant nunc virtutes seminum et baccarum aliquot:

Observat sanus campestria grana cumini,
Nam stomachum et lumbos fortificare queunt.
Et marathri semen foetae cum lacte capellae
Absumptum, ventris turgida quaeque levat.
Exacuit sensus, purgat quoque phlegma sinapis,
Sternutamentis si modo iuncta fuit:
Semina Pythagoras, inter quae maxima dixit,
Extulit haec multum, dummodo parce sumas.
Iuniperus baccas profert, tutissima cunctis
Pharmaca, gustarunt toxica quive virus.

Papaveri

Somnum dat facilem semen, compescit iniquam
Tussim, sed laedit turgidulos oculos.

Anisi vim ad ciborum digestionem iam vidimus; alia vero sunt ipsi propria:

Et facit anisi semen, si caumate languet,
Cor sanum, mansum pellit et iliacam;
Cum vino tepido compescit tormina ventris;
Hoc guttur raucum comprobat atque nimis.

Adde de leguminibus, in universum omnia esse flatuosa et magis tum apta, quum cortice privata fuerint; peculiariter autem

Humorem crassum fabas progignere constat;
Hanc fuge si placide somnia noctis amas.
Datque melancholicos tibi lens; mihi crede, liquores,
Et nervos duros reddere quippe potest.
Lumbricis mors est pleno iecori atque lupinus,
Et praesentis opis renibus esse potest.
Candida si iungas studiose et amygdala lacti,
Ad mensam lautam tunc et oriza facit.

Sed iam ad herbas devenimus. Video lectores meos, qui *vegetarianam* scholam profitentur et sectantur, attentis magis auribus adstare. Frustra tamen; Caesareae

enim Ensishemensis curiae archiatri benemerentissimi praescripta de herbis ceterisque argumentis ad alium numerum delegamus; hodie namque *sat prata biberunt*.

FORFEX.

ACTA PONTIFICIA

Sanctissimi Domini Nostri Pii PP. X MOTU PROPRIO de Catholicorum in exteras regiones emigratione.

Cum omnes catholicos Ecclesia materno studio complectatur, tum peculiari quadam sollicitudine caritatis eos prosequitur, qui, ut victum labore quaerant, aut meliorem sibi fortunam comparent, relicto natali solo in longinqua migrant, ubi saepius eis timendum est, ne, dum mortalis vitae rationibus prospiciunt, lamentabilem sempiternae iacturam faciant. Plura enim et illustris Nostri Decessoris et Nostra testantur acta, quanto opere Apostolica Sedes bonorum societates foveat in salutem emigrantium institutas, quantamque praesertim adhibeat curam, ne Antistites sacrorum patiantur in re tam gravi pastoralem industriam suam desiderari. Iam vero cum ob aucta populorum commercia et expeditiores commeatus aliasque causas plurimas, quotidie in immensum crescat emigrantium numerus, intelligimus Nostri muneris esse idoneum aliquod reperire providentiae genus, quo quidem horum omnium filiorum temporibus succurramus. Equidem valde commovemur maximis periculis, in quibus religio moresque versantur tot hominum, qui, ut plurimum, ignari regionis et linguae, atque ope sacerdotum suorum destituti, spiritualis vitae adiumenta nec ipsi sibi parare possunt, nec quantum satis est, expectare ab Ordinariis locorum aut a consociationibus iis, quae in id sunt institutae. Quae vero ad medendum his tantis incommodis excogitata sunt, optatum non solent habere exitum, propterea quod eorum, qui in hoc gravissima causa elaborant, laudabiles conatus aut operis magnitudine superantur aut consensum et unitatem saepe non assequuntur. — Nos igitur, tempus esse iudicantes necessitatibus tam magnae multitudinis stabili quadam ratione in perpetuum subveniendi, cum S. R. E. Cardinales e Sacra Congregatione Consistoriali in consilium adhibuerimus, Motu Proprio ac de Apostolicae potestatis plenitudine, apud eam ipsam Congregationem novum Officium, seu *Sectionem* ut aiunt, *de spirituali emigrantium cura* constituimus. Huius Officii partes erunt, quaerere et parare omnia, quaecumque opus sint, ut in iis quae ab salutem animarum pertinent, emigrantium latini ritus melior conditio fiat, salvo tamen iure Sacrae Congregationis Fidei Propagandae in emigrantes ritus orientalis, quibus eadem Congregatio pro suo instituto opportune consulat. Ac de sacerdotibus ipsis emigrantibus, hoc idem unice cavebit Officium, ad quod propterea praescriptiones ea de re, decretis Sacrae Congregationis Concilii datas, avocamus. Itaque Sacra Congregatio Consistorialis, accedente Ordinariorum studio, quorum quidem ipsa confirmabit fovebitque in advenas auctoritatem, suffragante etiam opera consociationum emigrantibus adiutandis, quarum beneficam actionem, quocumque res postulaverit, diriget, divino munere poterit et quae sint, pro varietate regionum, necessitates emigrantium cognoscere et quae peropportuna visa fuerint malorum remedia decernere. Confidimus autem fore, ut quicumque catholicam rite colunt fidem, opus tam sanctum in salutem fratrum institutum precibus atque etiam opibus pro sua quisque facultate, promovere velint, praesertim cum pro certo habere debeant Summum Pastorem et Episcopum animarum nostrarum sua ipsorum caritatis officia amplissimo in caelis praemio remuneraturum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die XV mensis Augusti MCMXII, Pontificatus Nostri anno decimo.

PIUS PP. X.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Consistoriali.

De quibusdam rei biblicae commentariis in sacra Seminaria non admittendis.

Prohibetur omnino, quominus in Seminaria, ne ad consultationem quidem, introducatur opus Paderbornae nuper editum quod inscribitur: *Kurzgefasstes Lehrbuch der speziellen Einleitung in das Alte Testament*, auctore D. CAROLO DOCT. HOLZHEY, in quo iuxta neotericas rationalismi et hypercriticae theorias de libris Veteris Testamenti fere omnibus, ac potissimum de Pentateucho, de libris Paralipomenon, Tobiae, Iudith, Esther, Ionae, Isaiae et Danielis, sententiae audacissimae propugnantur, quae antiquissimae traditioni Ecclesiae, venerabili SS. Patrum doctrinae et recentibus pontificiae Commissionis Biblicae responsis adversantur, et authentiam atque historicum valorem sacrorum Librorum nedum in dubium revocant, sed pene subvertunt. Quum vero alia habeantur similis spiritus commentaria in Scripturas Sanctas tum Veteris tum Novi Testamenti, ceu scripta plura P. LAGRANGE et recentissimum opus, cui titulus: *Die Heilige Schrift des Neuen Testaments*, editum Berolini an. 1912, auctore DR. FRITZ TILLMANN, haec quoque expungenda omnino sunt ab institutione clericorum, salvo ampliore de iis iudicio ab illa auctoritate ferendo ad quam de iure pertinet.

(Ex decr. d. XXIX mens. Iunii MCMXII).

De decreto » Maxima cura ».

Proposito dubio « An vigeat in Australia novissimum de amotione administrativa ab officio et beneficio curati decretum « *Maxima cura,* » responsum est: Affirmative.

Ex Congregatione de Propaganda Fide pro negotiis Ritus Orientalis.

De eleemosynarum emendicationibus Orientalibus non permittendis absque venia S. Congregationis.

Per « epistolas circulares » ad locorum Ordinarios Latini Ritus, d. I mens. Ianuarii MCMXII, in *Acta Apostolicae Sedis* relatas d. XV mens. Augusti, hae, quae sequuntur, cautiones da re statutae sunt:

I. — Ordinarii in sua dioecesi nullum Orientalem admittant pecuniae collectorem cuiusvis Ordinis vel dignitatis ecclesiasticae, etiamsi exhibeat authentica documenta quolibet idiomate exarata et sigillis munita, nisi authenticum ac recens praebeat Rescriptum Sacrae huius Congregationis, quo facultas eidem fiat, tum a propria diocesi discedendi, tum eleemosynas colligendi.

II. — Quod si, neglectis hisce Apostolicae Sedis mandatis, aliquis Orientalis ecclesiasticus vir, etiamsi commendatitiis Praelati sui letteris munitus, Europam, Americam vel alias peragret regiones ad eleemosynas colligendas, Ordinarius loci in quo versatur, eumdem moneat de vetita emendicatione, eumque non admittat ad Missae celebrationem nec ad aliorum ecclesiasticorum munerum exercitium.

III. — Si autem pervicacem se prodat, Ordinarius, etiam per publicas ephemerides, clerum et fideles moneat huiusmodi pecuniae quaestus ut illicitos et reprobatos habendos esse.

IV. — Demum, si aliquod dubium oriatur, Ordinarii ad hanc Sacram Congregationem referant, quae opportuna providebit.

De modo tenendo antequam Orientales in Instituta Religiosa Latini Ritus admittantur.

Quum postremis hisce temporibus compertum sit, non semel Orientales in religiosa Instituta latini ritus receptos fuisse cum testimonialibus quidem litteris Ordinarii orientalis, sed inconsulta prorsus Apostolica Sede; Sacra haec Congregatio opportunum duxit Superiorum omnium Institutis religiosis Latini ritus, cuiuscumque formae ac utriusvis sexus, praepositorum, in mentem revocare obligationem qua tenentur, consulendi nempe in scriptis sacram hanc Congregationem antequam inter sodales suos aliquis Orientalis cooptetur. Porro in supplici libello casus perspicue proponendus est cum omnibus suis adiunctis; et exprimi non solum debent nomen, agnomen, aetas, ritus et dioecesis postulantis, sed, si de viro agatur, praecipue explicandum est utrum admitti postulet in Institutum votorum solemnium vel simplicium, et an pro statu clericali vel laicali; nam pontificium rescriptum, si favorabile sit, diversimode conceditur pro diversitate casuum.

(Ex « Epist. circul. » ad Superiores Generales Religiosorum Latini Ritus d. XV mens. Iunii MCMXII).

Ex Congregatione de Religiosis.

De postulatu in Monasteriis votorum simplicium.

I. — Quaelibet Postulans in Monasteriis votorum solemnium et clausurae papalis poterit admitti, sine praevia S. Sedis venia, servatis tamen aliis de iure servandis.

II. — Quaelibet Postulans, antequam Novitiatum ingrediatur, probanda erit per tempus, et iuxta modum, in propriis cuiusvis Monasterii Constitutionibus praescriptum.

III, — Si nihil in istis quoad haec statuatur, tunc probatio facienda est saltem per sex menses, ita tamen, ut Postulantes, intra septa Monasterii, probationis causa, admissae, utantur veste modesti coloris, diversa ab habitu Ordinis, quem non induant, nisi quando Novitiatum proprie dictum inchoaturae sint.

(Ex decr. d. XV mens. Augusti MCMXII).

Ex Congregatione Rituum.

Instructio seu Responsum Reverendissimis locorum Ordinariis vel Superioribus Ordinum seu Sodalitatum postulantibus kalendarii proprii reformationem, vel expunctionem festorum, aut reductionem ritus.

Mens S. Rituum Congregationis est, ut, rite postulante rmo. Ordinario loci, seu Superiore Ordinis vel Sodalitatis, in posterum, de apostolica venia, relicto proprio kalendario, adhiberi valeat kalendarium Ecclesiae universalis, additis tantummodo festis, quae stricto sensu propria dici possunt, ad normam Constitutionis apostolicae *Divino afflatu* et recentium rubricarum, tit. II, num. 2, litt. *e*. Quo in casu elenchus festorum, adductis rationibus de eorum proprietate, ad S. Rituum Congregationem cum supplici libello transmittatur.

(Die XXV mens. Iulii MCMXII).

Dubium circa modulandas monosyllabas vel Hebraicas voces in Lectionibus, versiculis et psalmis.

An in cantandis Lectionibus et Versiculis, praesertim vero in Psalmorum mediantibus ad asteriscum, quando vel dictio monosyllaba vel hebraica vox occurrit, immutari possit clausula, vel cantilena proferri sub modulatione consueta? — *Resp.* Affirmative ad utrumque.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Septembri MCMXII).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Gallici peregrini a Leone Harmel, equite torquato, coram adducti; peregrinorum manus tum e Belgica, tum ex Italicis dioecesibus Alatrina, Verulana ac Ferentinensi; Edmundus de Robilant, Comes; De Rochefort, Comitissa, eiusque familia.

Pontificiae electiones.

R. p. d. Ioachim Ioseph Vieira, episcopus Cearen. ad titularem sedem Imerien. transfertur, in eiusque locum de-

putatur r. p. d. Emmanuel de Silva Gorues, episc. tit. Mopsuestien.

R. d. Petrus Pisani, « Substitutus » dicitur S. Congregationis Consistorialis pro spirituali emigrantium cura.

Vita functi viri clariores.

Die XI mens. Septembris, Lugduni, annorum gravis Purpuratus Pater **Petrus Hector Coullié,** illius dioecesis archiepiscopus, vir scientia ac pietate insignis. Lutetiae Parisiorum natus an. MDCCCXXIX, episcopus titul. Sidonien. renunciatus an. MDCCCLXXVI, ad Aurelianensem sedem deputatus an. MDCCCLXXVIII, ad metropolitanam Lugdunensem promotus an. MDCCCXCIII, in Sacrum Senatum cooptatus fuerat an. MDCCCXCVII.

ANNALES

Libycum bellum.

Dum voces de pace inter Italos atque Turcas componenda in dies urgent, quinimo certae de re propositiones in Helvetia agitari non negantur, bellum hinc inde sine intermissione perducitur, Italis sese in locis occupatis munientibus atque gradatim deinde praetergredientibus, Arabicis contra gentibus, a Turcis incitatis, qui suas copias exponere vitant, amissa loca recuperare conantibus. Hinc factum est — (quotidianas fere in agros nunc hostiles excursationes tacemus) — ut die decima septima elapsi mensis Septembris acriter pugnatum sit ad Kasr el Leben et ad oppidum quod « Aaron domus » vulgo appellatur, tribusque diebus post ad Sidi Belhai collem. Memorabile quidem hoc proelium per multas horas perductum, in quo nostri adversus quindecim ferocissimorum hominum millia obnixi sunt, quos tandem magna cum caede fuderunt atque fugarunt.

Quo autem efficacius res in Africano bello sint in posterum processurae, Italicum gubernium militare Tripolitaniae imperium a Cyrenaicae divisit, Caneva illo prudentissimo copiarum hucusque ductore summo in patriam revocato, magnisque pro meritis honoribus aucto.

Turcarum interna negotia.

Turcarum internis motibus alius augendus, quamquam ab Europae nationibus Cretae insulae tutelam agentibus tempestive coercitus. Sexcenti enim insulae eiusdem incolae armis instructi in eo erant ut Samum proficiscerentur suamque operam adiungerent ut et haec insula ab opprimente Turcarum praesidio sese redimeret. Europae pariter gubernia uno animo intenderunt, ne ignis male sub cinere in Balkanicis regionibus latens in flammas erumperet; prospereque ad hodiernum tempus negotium successit; erit tamen et in posterum? Faxit Deus.

Mauritanae res.

Incertus adhuc et anceps Mauritaniae status. Mangin chiliarchae legiones, post dubios adversus El-Hibbam regnum appetentem successus, Marrakesch versus processerunt, ut Gallos captivos ibi detentos liberarent; pariterque Gallicae acies Casablanca profectae ad Safi et Mogador missae sunt ad nascentes seditiones suffocandas. Dictitant Caid rebellem, El-Hibbae faventem, arma deposuisse seque Gallorum imperio subiecisse; exinde fore ut eventus ad quietem tandem proxime assequendam manent: nota tamen est satis Mauritanorum fides, ut huiusmodi praesensionibus placide incumbere liceat.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Austria** totius Imperii delegationes Vindobonam convenerunt, quibus Berchtold Comes, exterarum rerum ad exteros administer, Imperii statum exposuit firmamque gubernii mentem de pace in Europa quovis modo servanda.

In **Batavia** reginae oratione, florentes civitatis conditiones affirmante, publici coetus sessiones resumptae.

In **Hungaria** novi tumultus contra coetus praesidem ita excitati, ut rursus necesse fuerit eos manu militari compescere.

In **Russia** ad diem XXIII mens. Octobris nova comitia indicta.

In **Serbia** administrorum collegium praeside Triffonis a munere abdicavit, in eiusque locum aliud suffectum, quod Nicolaus Pasics moderatur.

PER ORBEM

Die I mens. Septembris MCMXII Bonearensi ex urbe Argentinae reipublicae navis vapore acta, cui nomen *Colastine*, nunciatur ad Rivum Magnum cum classiariis omnibus demersa.

— d. III Gulielmus, Germanorum Caesar, ad Helvetiam proficiscitur ut bellicis illius civitatis copiarum exercitationibus intersit.

— d. IV Clarence, ad Gallicam urbem, ob gasium *grisou* improviso in fodinis incensum, cunicularii nonaginta miseram oppetunt mortem.

— d. VIII per Russicum Imperium omne prima centenaria commemoratio Borodinensis victoriae magna pompa celebratur.

— d. IX in Bucarestino aërodromo velivolus quidam, ex improvisa machinae laesione, in terram

praecipitans, in bellicae rei administrum offendit, quem graviter vulnerat.

— d. x Iaroslavus Urchviky poeta, Aemilii Fried nomine notus, Pragae obit.

— d. xi Eucharisticus internationalis annuus conventus sollemni ritu Vindobonae inauguratur.

— d. xiii Tokii regia funera Iaponiae Imperatori solvuntur. Nogi, heroicus ille Iaponicarum copiarum dux, eiusque uxor, defuncti Caesaris Manibus sese voventes, sibi mortem consciscunt.

— d. xviii ex ferreis axibus, quibus strata est via inter Chester ac Liverpool, Anglicas urbes, vaporitraha cum curribus aliquot viatoribus onustis, dum citato cursu procedit, egreditur. Machina frangitur; incendium inde exoritur, quo viatores plures horrendum in modum absumuntur.

— d. xx atrae procellae e Sinis nunciantur, unde nonnullae urbes et innumera oppida vastata sunt. Victimarum numerus ad quinquaginta hominum millia referuntur.

— d. xxiii Monachii obit Franciscus Iosephus, Bavariae dux e Wittelsbachensi genere, natus d. xxiii mens. Martii MDCCCLXXVIII.

Madriti autem repentino morbo trigesimum agens annum corripitur Maria Theresia e Borbonica gente princeps foemina, Alfonsi XIII regis soror, Ferdinando consobrino nupta d. xii mens. Ianuarii MDCCCCVI.

— d. xxiv Badenweiler in oppido, quo infirmae valetudinis curandae gratia sese contulerat, ex hominum vita demigrat Von Marschall, dynasta, Germanorum civilis vir insignis, nunc gentis suae Londini legatus.

— d. xxvi Gulielmus Marconi, telegraphi filis expertis ille inventor, automobili curru Genuam petens, in alterum automobilem currum malo fato occurrit vulneraque reportat.

— d. xxix per Hispaniam omnem opifices ferriviis addicti ex condicto a laboribus recedunt, passimque tumultus excitant, quos vi coercere oportet.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis *eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

Sac. Francisci Quattronii *Iuvenile Specimen Carminum Latinorum.* — (Carmen, Elegiae, Odae Sapphicae, Epigrammata). — Genuae, ex typographia Iuventutis, MDCCCXCII. — (Ven. lib. 1).

Id. *Nova carmina.* (Elegiae, Ecloga, Interpretationes, Epigrammata). Indidem, an. MDCCCXCVIII. (Ven. lib. 1,25).

AENIGMATA

I.

I (vulgo REBUS).

FUGIA
FUGE

II.

Sentiat ultrices mendax in amore sagittas,
Qui ferus inflixit vulnera plura mihi.
Me dedit exsanguem, stratum hac tellure reliquit,
Et secum rapuit quae mihi clausa domi.
Clauserunt nostras obliqua repagula valvas,
Quas bene munitas frangere nemo potest.
Reclusit tamen ille fores praedator, et audax
Rem rapuit, vacuos liquit et inde lares.
Te mea claudebant meliorem viscera partem;
Pars tamen existi, tu rubicunda, sinu.
Nunc pietate, precor, miserae mo eare parentis;
Raptori infido damna molesta geras.
Praedonem prosterne solo; procumbat ut amens;
Ut cito sternatur, crura furore quate.
Raptoris caput inde tua virtute flagella;
Quod rapuit, fibris egerat ille suis.

Aug. Epiro.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

THOMAE VALLAURI
HISTORIA CRITICA LITTERARUM LATINARUM

Aenigmata an. XV, n. VII proposita his respondent:

(1) Plura incommoda in sene.

(2) Viator — Vietor.

Ea rite soluta miserunt:

Lad. Lud. Podobinski, *Neo Sandecia.* — Ad, Kozlowski, *Petricovia.* — Alois. Cappelli, *Senis.* — Claudius Lucensis - Iac. Menendez, *Madrito.* — Fr. Salvatore, *Syracusis.* — I. Ortiz *Morelia.* — Petrus Tergestinus - E. Burg. *Monachio.* — Rich. Müller, *Berolino.* — A. Bounin, *Aureliano.* — — Rich. Brondel, *Bituricis.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — Nic. Endrigi, *Salisburgo.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — R. Richi, *Traianopoli.* — I. Martins, *Philadelphia.* — Frid Horwath, *Vindobona.* — Iac. Gomez, *Caesaraugusta.* — F. Ricci. *Florentia.* — Lud. Dubois, *Massilia.*

Sortitus est praemium:

RENATUS RICHI,

ad quem missum est opus, cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHI
DE AENEIDE CUM FRUCTU LEGENDA
ACROASIS.

Sponsor: Ioannes Baptista Ciampi, iurisperitus

Romae, ex officina *Societatis Editricis Romanae.*

AD ROMAM

1)

ACTIO DRAMATICA

versibus plautinis composita et in tres actus distributa.

PERSONAE DRAMATIS

MELCHIAS, *Pontifex maximus.*
CONSTANTINUS.
MAXENTIUS.
PUBLIUS, *Senator.*
SCIPIO, *Senator, sed christianus.*
MUTIUS, *Sacerdos.*
OCTAVIUS, *Puer captivus.*
CENTURIO.
VIGETIUS, *copiarum Maxentii dux.*
VITULUS } *milites.*
VELOX }

Senatores, Sacerdotes ethnici, Pueri captivi, Milites et Cives.

PROLOGUS. (1)

Quando imperabat gentibus Maxentius,
Habentes partem, dicitur quae occidua,
Iugum ferebant animis agerrimis.
Nil illo durius! Nil incommodius!
Enim christiani damnabantur bestiis,
Eorum sanguis volvebatur pulveri,
Occidebantur, tradebantur flumini!
Heic videbas virgines et viduas
Simul cum pueris matronas nobiles,
Trahi supplicio, modo turpissimo!
Iam putabantur surrexisse tempora
Queis imperium premeret Tiberius.
Adest at vigilans Melchias prae ceteris,
Suo praesagiens qui ingenio mala,
Suis ut opem opportunius conferat,
Per Urbem territam sanguine et angoribus,
Civibus anxius robur fert, auxilium,
Maxentii pravos vitans satellites.
Videtis augures ferentes infulas,
Et quod laudabat prisca gens mortalium.
Erat tunc temporis crimen, flagitium
Mos christianorum, magnae et formidini.
At nostra callent quae virtute tempora,
Quam sunt diversa! Possumus nos vivere
Pro voluptate, liberoque ingenio.....
Incedit liber Christianorum Pontifex!
Oh! cara cunctis aetas digna laudibus!
Probatis ipsi meum vos consilium.....
At subridetis..... Quid? Contrarium creditis?
Heri quod actum fiet cras, in posterum?
Magnum paratur crimen in Pontificem,
In ius vocatur, plectitur supplicio!
Dum poena immerito paratur maxima,
Deus potens manu liberat Melchiadem,
Multos et liberat damnatos iuvenes;
Suae serenam pacem dat Ecclesiae.
Nam Constantinus, pollet qui potentia,
Adest Romae felix Victor cum copiis,
Et ille in flumen properat Maxentius,
Captus insidiis quas parârat aemulo.
Iuvat sed omne persequi curriculum,
Per quod lectores vult poëta ducere,
Ut res ad finem festino currat pede.
Valete, nostris qui favetis pueris.
Pacem ipsi vobis auspicantur alacres,
Et Illi Sancto Maximo Pontifici
Regit qui consilio, lustrat Ecclesiam.

(1) *Prologus erit ipse* OCTAVIUS.

ACTUS I.

SCENA I.

Albescit. Scena est in foro, ubi Templum Martis adspicitur ad latus magno cum tripode.

QUATUOR CIVES.
(progrediuntur inter se colloquentes).

1. Novi quid est Romae?
2. Nosti quod dicitur!
Adest iam filii Constantis exercitus,
Subactis Galliis et ipsis Alpibus,
Ferox contendit Romam nunc citissime.
Et urbes obtinet, fundit et copias
Eum quas contra colligit Maxentius.
3. Habere copias dicunt exiguas...
1. Ut olim Gedeon paucorum strenuus
Dux, fregit hostes fortes et innumeros,
Idem de nupero Constantino dicitur.
Nam dicebantur urbes quae tutissimae,
Cadunt et ultro se committunt Caesari.
2. Ei Mediolanum cito pandit ostium,
Ei Brixia cincta arcibus fortissimis,
Eique frustra ipsa Verona restitit.
Enim velut flumen, ruptis marginibus,
Aquis exundat campos replet et sata,
Sic urget nostra Constantinus agmina.
3. Adhuc salutis est nobis securitas?

(Ad proximum numerum).

I. B. FRANCESIA.

Ann. XV. ROMAE, Mense Novembri MCMXII Num. XI.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

DE STUDIIS ETYMOLOGICIS

E silicis venis abstrusus ut emicat ignis,
Sic nitet excussum vario certamine verum.
Si quando adversis igitur concurrere mentes
Resque agitare vides armis, discrimine gaude.
Cum vero hoc homines plerumque ac tempora peccent
Ut fraenum nimii abiciant extremaque tangant,
Tu caute incede, et verax sententia surget.
Quis neget ex etymis sophiae ditescere gazas?
His ego quid tribuam facilis, qua parte repugnem
Paucis expediam; ni quid te detinet, audi.
Ignotum ars isthaec pelagus, terrasque latentes
Pervasit, patuitque dies ubi nubila pridem
Nox erat, ut densis veluti cum luce maligna
Est iter in silvis, sapiens incederet anceps.
Hos saepe anfractus dumetaque sedulus ipse
Vestigans, paullatim oculis lucescere verum
Atque habitus obscura novos vultusque nitentes
Induere, et quidquid prorsus discurreret exlex
Mirabar certis quaerenti occurrere normis.

Quae docuit veneranda Fides et scripta reliquit
Moses cum nondum mortali ea noscere mente
Fas erat; ut fictis etymis subvertere tentent
Quidquid divini est iuris qui prava sequuntur,
Falsosque inducant sensus, res cognita cunctis.
Ut duplex radius varios trahit usque colores
Fonte uno elicitos aliusque videtur et idem est,
Haud secus alma Fides virtus atque insita menti,
Ut specie absimiles, tamen una e lampade manant
Miro saepe modo mentis qui transvolat orbem.
Sic multis permulta sibi pugnare videntur
Quae ut se perficiunt artes, nec somnia mentis
Ex etymis sed vera trahunt, iunguntur amice.

Addo etiam haec posse effatum delere sophorum
Qui primas rerum species non sensibus ortas,
Verum animi ingenito rentur mentisque vigore,
Cum satis id constet propius quo exordia tangas,
Hoc incorporeis formis mage sensile iungi.
Nam si a principio externo res nomina ducunt,
Notio ab externo exoritur; mox sensibus acta
Mens agit interius, verax ubi surgit imago,
Et propria virtute operans, erumpit ad actus
Quos rerum natura petit, finique cohaerent;
Comparat, adiungit, removet, generalia conflat,
Sensuque incipiens per se ad sublimia surgit.
Hoc iter ad Sophiam magnus monstravit Aquinas,
Recteque edocuit cunctas per saecula gentes,
Quem nunc irrident atque inter scruta relegant.

Latius historiae poterunt sed crescere chartae.
Non secus ac varie gelidi per inane vapores
Finguntur flabris acti, vel pulvere nimbus
Obfundens campos immani turbine fertur,
Omnia sollicito motu volvuntur. Ab annis
Culmine montano avulsum fit glarea saxum,
Attritum fulva donec tenuatur arena.
Unda per occultos terrae sinuosa meatus
Interius tepefacta, novisque admixta elementis,
Multiplici virtute viget, morbosque repellit.
Sic hortis flores, dulces sic crescere fructus
Cernimus, atque herbas campis. Nihil interit unquam
Sed rerum confusa novas dant semina formas.
Adspice Caucaseas rupes, celsamque Pyrenem,
Atque Italas Alpes, veteris vestigia mundi:
Adspice saltantes damas qua lusit in undis
Pelamis, et conchae passim iacuere marinae,

Permixta hinc fossor tellure effodit ab alta
Fragmina silvarum, versosque in saxa natantes.
Aestuat interius media inter viscera terrae
Ignis, et impatiens angusto carcere claudi,
Infremit, attollit montes, magnoque boatu,
Qua data porta, ruit, superasque erumpit ad auras.
Tunc vastas dat humus rimas, et sedibus imis
Undantes flammas, avulsaque viscera montis
Subiectat glomerans, densus furit aethere nimbus.
Faucibus interea sulphur piceumque bitumen
Decurrit fervens, messes arbustaque late
Intereunt, fugere ferae, diffugit et expes
Cum teneris natis, dulcique uxore colonus,
Et procul aspectans, vastatis horruit arvis.
Quid moles referam mediis quas extruit undis
Polypus, ut fluctu emergant, utque insula ponto
Marmorea assurgat, venturo ut denique saeclo
Florentem palmis aloe praecingat amara?
Has mergique larique domus, haec dissita mundo
Regna tenent, volitantque leves, ac caerula late
Lustrant; dum sola ad cautes, ubi frangitur aestus,
Ardea considit, praedam si obiecerit aequor.
Ipsa etiam gemino mundi ruit impete moles.
Scilicet hinc variis distinctus mensibus annus,
Hinc lux alma die, densaeque in noctibus umbrae.
Hinc nullo assurgit crispatus flamine pontus,
Aestumque alternum, luna impendente, resorbet.
Quid cum per noctem gelidas succendier Arctos
Cernimus, aut crinem ducentia sidera caelo
Delabi, et vasti lucescere caerula ponti?
Forsitan adveniat tempus cum semina flammae,
Quae tellus conclusa fovet, restincta quiescent,
Latius extremae magnus queis cingitur orbis
Frigore concrescent zonae: non ubere glebae
Tunc ager hic felix gravidis flavescet aristis,
Sed cuncta aeterno iaceant obducta sopore.
Inde hominum pecudumque genus, pictasque volucres
Certatim densis cernes migrare catervis
Usque coloratos ardens qua Sirius Indos
Torret, et aestiferum sol spicula torquet ad Austrum.

Nec rerum sese hisce tenet mutabilis ordo.
Evigilans libris, nigris dum contegit alis
Nox terram, secumque putans quae labilis aetas
Gentibus adduxit, sapiens meditatur; et olim
Armipotens, clamat, Carthago atque aemula Romae
Inclita fulgebas; litus nunc syrtibus horrens
Adspicit eoo surgens ex aequore Titan!
Quo Galli Latio domiti? Quo sanguine creti
Normanno, turbaeque ferox quas Attila duxit?
Ceu tumidus fluctus, vix Phoebe incanduit, imo
Mergitur in ponto non evasurus ad auras,
Sic populi adsurgunt, florent, pereuntque vicissim:
Haec data lex rebus, nedum consistere possint
Aeternum linguae; vario nam tempore cunctae
Frigescunt, senioque cadunt, et fragmina rursus
Paullatim in linguas alias conversa resurgunt.
O ubinam Gangis virides audita per oras;
Et data palmiferae cui quondam oracula Memphis,
Pinguia qua Nilus septemfluus irrigat arva?
O ubinam tenues numeri queis Attica tellus
Pectora permulsit? Quoties dum navita fluctus
Scinderet Aegeos huic lumina fixit ab undis
Magna movens animo famae monumenta vetustae!
Argolicos quoties percurrens advena campos
Saltusque, et colles, diseretaque caerula terris,
Quae loca perdulces olim coluere Camoenae,
Constitit, et blandas charites, ac gentis honorem
Flexanima ingemuit dudum cecidisse loquela!
Nec latiae melior linguae fortuna fuisset,
Languentem senio ni demum sedula nutrix
Fovisset, sacris adsciscens cantibus unam.

Qui primi Italiae populi, qua parte migrantes
Appulerint; secum quas quisque adduxerit artes
Docti contendunt et adhuc sub iudice lis est.
Tempore diverso, diverso e litore gentes,
Id constat, magnis huc advenisse catervis,
Arcades, Oetaeos, mixtos cum stirpe Pelasga (1)
Tirrenos, Umbros, Saxosis Caucasus arvis
Miserat Hetruscos armis atque artibus inter
Ausonidas primos; Ario gens sanguine nata
Ex Asia Europae multas diffusa per oras,
Sese illis iunxit, pulchroque insedit in agro
Hetruriam subter geminum qui vergit ad aequor,
Et populis mixta indigenis pars quaeque tenebat
Quos dederat fortuna locos vel ceperat armis.
Istorum lingua invaluit, sed mixta alienis
Quae secum attulerant longa regione viarum.
Verbis atque aliis, quorum iam creverat usus
Urbibus Ausoniis ignota ab origine vectis,
Quae nunc arcanis signis insculpta videntur,
Doctorumque hominum sapientia nulla recludit.
Sic modo Tarpeia qui haud longe ab rupe repertus
Cippus, quem multi tumulum dixere Quirini.

O nimis Italiae felicia tempora priscae,
Oppida et antiquo longum regnata Latino!
Roma potens armis nondum subiecerat orbem:
Nondum captivos peregrino e litore reges
Victor ovans tulerat, sed late inculta per arva
Carpebant vaccae septem de collibus herbas;
Et calamos inter deserti ad flumina Tibris
Rarus oberrabat funda piscator et unco.
Nondum securos turbarant classica campos:
Quae loca messorum cantus, et agrestis avena
Implevere diu. Mites sub paupere tecto
Tunc mores, simplex victus, tenuisque supellex.
Qua pecudes inter vigilant de nocte molossi
Ducebant somnos, tristisque oblivia vitae.

Sic tum res Italum donec cum gente Sabella
Antiqui Ramnes Thuseaque, ut fama vagatur,

(1) Cfr. TROMBETTI, *Sulla parentela della lingua etrusca*, pag. 58.

Quae ad Tiberim colles vicina atque arva colebant
Concordes coiere simul : stetit inclita Roma (1)
Quae, parva in primis, sociis mox viribus aucta
Armis certavit populos dum vinceret omnes,
Legibus atque aequis regeret sibi subdita regna,
Et toto imperium felix extenderet orbe.
Duritiem tum lingua rudi quam traxerat ortu
Molliit, armorum strepitum, iurisque severum
Espressit vultum, graio conspersa lepore.
Namque ut Romani tandem post punica bella
Primum noverunt artis miracula graiae,
Hisce avide haeserunt, patriae monumenta perosi.
Pastor uti egressus silvis in amoena vireta,
Lumina fert circum cupidus nativaque saxa
Indignatus, avet flores atque insita poma.
Haec autem minimis rebusque ingentibus apta
Descripsit clades, dulces cantavit amores,
Excoluit messes nullo superabilis aevo.
Quis non indoluit fatum morientis Elisae,
Aut cano Evandrum vellentem vertice crines,
Cum gelidi amplexus corpus miserabile nati
Rumperet heu moestos imo de pectore questus ?
Audin' ut e rostris rapiat mentesque animosque
Tullius immittens victricis fulmina linguae ?
Non tenet insignis ridenti carmine Flaccus
Dum vitium mordens circum praecordia ludit ?

Ter felix Latium propriis si viribus audax
Intactum calcasset iter ! modulamine dulci
Tunc patrium cecinisset epos, simul utraque iungens
Quae natura sagax excultae subicit arti.

Floruit hic sermo donec Romana stetit res,
Barbara sed tandem patrios pertaesa penates
Aeternasque nives, italas prospexit ad oras,
Captaque gens miti caelo et ridentibus agris
Irruit ut saevus subvertens omnia nimbus.
Hic res inversae : romanum mole gravatum
Occidit imperium ; fuerat quae commoda plebi
Paullatim sonuit illustres lingua per aulas,
Ac Tulli vox obticuit. Nova germina secto
Tum velut e trunco, variae subiere loquelae
Quae licet absimiles, matris tamen ora ferebant.
Quod factum Ausoniis, aliis quoque gentibus. Ergo
Quidquid privati est iuris si callidus ipse
In linguis reseces, communia multa supersunt ;
Quae tibi dum monstrant quonam de stipite manant,
Intuitu facili populorum detegis ortum,
Quos profugi tenuere locos aut unde migrarunt.
O fortunatum veras cui noscere causas
Contigit, ac rerum nexus, pariterque beatum
Cui primum attonito patuere volumina Gangis !
Ille Italos Indis dextram dare iussit amicam,
Ac primum edocuit cognato sanguine iungi.
Obstupuere Itali proavos, nidumque vetustum.

(1) Cfr. Mommsen, *Storia Romana*, Vol. 1, cap. IV, pag. 46.

At si homines una scimus de stirpe creatos,
Uno e principio et linguas fateamur oportet.
Multiplici forma cur ergo has esse videmus
Gentibus in variis ? Taceat sententia Mosis,
Aut homines una prognatos stirpe negetur.
Nil medium haec inter. Verborum solvere nexus,
Suffixa auferre ut radix nudata supersit
Tentatum : at, studiis contracto in limite clausis,
Paucorum tantum patuit communis origo.
Quis tandem claustra abrupit ? quis acumine mentis
Immensum tentavit opus, longoque labore
Victor perfecit ? Tanti cui gloria facti ?
Plaudite vos Itali, vester nam maximus ille,
Qui orbem complexus, verum pervenit ad istud,
- Una hominum genesis, genesis sic una loquelae. -

Si lucem sibi suppeditant viresque vicissim
Artes, cur non hanc teneas, magnamque salutes ?
Dummodo pars totum non haec sibi vindicet, atque
Hauriat ingenuas formas, artemque loquendi.
Excoriet Balatro curtetque vocabula, parva
Dissecet in frusta enudans elementa ; quid inde ?
Vultne ideo urbanus recteque latinus haberi ?
Ut qui elementa catus novit, queis corpora constant,
Atque ea dividere edoctus, contendat Apelli
Pictor, seque ausit sculptor conferre Canovae.
Verum opera istorum gentes mirantur, et illi
Debita pro meritis risus et sibila merces.
Non tibi litterulae fandi praebere colorem,
Non animum poterunt : veneresque merique lepores
Hinc penitus distant. Longas absumere noctes
Scriptorum in libris opus est ; mox condere mente
Optima quae visa ; in proprium convertere succum
Delicias et opes linguae. Tum copia rerum
Non deerit menti, non rebus forma vigorque. -
Haec alte insideant animo : nescire sagacem
Hanc artem, fateor, pudor est, licet optima promas ;
Turpius at multo hanc recte callere, et agrestem
Prodere se scriptis. Tu solers elige partem
Quae prosit vitae, pulchroque cohaereat apte,
Haud tamen ut temnas aliam durusque repellas.
Cur, veteres laudans, methodisque prioribus instans,
Omnia despiciam nostrum quae protulit aevum ?
Lege trahar caeca, rerumque in cortice ludam,
Cum mihi forte datum causas tentare latentes ?

Hanc tutam sectare viam, lucemque secutus
More apis huc illuc volita melioraque suge.

Auximi.

Paulus Recanatesi.

. . . . . . *Errat longe, mea quidem sententia,*
Qui imperium credat latius esse, aut stabilius
Vi quod fit, quam illud, quod amicitia adiungitur.

Terent., *Adelphi* a. I, sc. I.

DEVOTIONIS ET ORATIONIS CONCEPTUS

Angelicus Praeceptor de occasionalibus Devotionis impedimentis sermonem habens, sapienter animadvertit (1): « Scientia et quidquid aliud ad magnitudinem pertinet occasio est quod homo confidat de seipso ; et ideo non totaliter se Deo tradat. Et inde est quod huiusmodi quandoque occasionaliter devotionem impediunt; et in simplicibus et mulieribus devotio abundat, elationem comprimendo. Si tamen scientiam et quamcumque aliam perfectionem homo perfecte Deo subdat, ex hoc ipso devotio augetur ».

Moderna Societas, verbis Angelici designatur; propter enim falsae scientiae nomen in superbiam elata, irreligiosa est, ipsamque religionem superstitionem appellat, ipsisque Religionis praecipuis actibus, qui *Devotio* et *Oratio* dicuntur, superstitionis crimen imponit.

Angelico Magistro duce, contra ea quae ignorant blasphemantes, *Devotionis* atque *Orationis* conceptum investigabimus.

***

Asseritur a materialistis et incredulis, devotionis causam mere sensibilem esse, ipsamque devotionem rem prorsus esse sensibilem, personasque devotioni deditas nonnisi tristitia angi, atque in ea tristitiam principem obtinere locum.

Assertiones huiusmodi falsitate redolere, paucis ostendemus. Causa extrinseca necnon principalis Devotionis, Deus est, quum S. Ambrosius recte fateatur: (2) « Deus quos dignatur vocat: et quem vult *religiosum* facit, et si voluisset, Samaritanos ex *indevotis* devotos fecisset ». Causa devotionis intrinseca, nonnisi triplex esse potest; videlicet, meditatio vel contemplatio Divinae Bonitatis divinorumque Beneficiorum, vel meditatio defectuum, ex quibus homo indiget ut Deo innitatur; vel ipsa Charitas. Devotio enim, uti statim notum fiet, « est quidam voluntatis actus ad hoc quod homo prompte se tradat ad divinum obsequium. Omnis autem actus voluntatis ex aliqua *consideratione* procedit, eo quod bonum intellectum est obiectum voluntatis ». Charitas similiter devotionis causa est, quia « ex amore aliquis redditur promptus ad serviendum amico ».

Rursus, quum Devotio ex intellectus meditatione necnon ex voluntatis amore originem ducat, quumque utraque facultas, atque earumdem facultatum actiones spirituales sint, quomodo asseri potest, devotionem rem prorsus sensibilem esse?

Denique, tristitia in devotione non obtinet principem locum. Nam devotio « spiritualem laetitiam mentis causat » quum ex divinae Bonitatis meditatione oriatur; ex qua meditatione delectatio sequitur. Si quandoque in ea tristitiae locus est, uti dum homo defectus proprios considerat, tristitia haec tamen « secundum Deum » vocanda est, quia « ex quadam affectus teneritudine » provenit, devotaeque personae lacrymant « sicut solent homines lacrymari ex pietatis affectu, quum recuperant filios, vel caros amicos quos existimaverant se perdidisse ». (1)

(1) 2-2ae p. 9. 82. a. 3. ad 3.
(2) *Comm, in Luc*, l. VII c. 9.

Alius est devotionis conceptus penes catholicos theologos. *a)* Devotio, secundum nominis etymologiam a devovendo derivatur, devotique dicuntur, qui « seipsos quodammodo Deo devovent, ut ei se totaliter subdant »; propter quod — prosequitur Angelicus — (2) et olim apud gentiles devoti dicebantur qui seipsos idolis devovebant in mortem pro sui salute exercitus.

b) Devotio religionis virtutis actus est, quia « operari ea quae pertinent ad divinum cultum, seu famulatum, pertinet proprie ad religionem... Unde etiam ad eam pertinet habere promptam voluntatem ad huiusmodi exequenda, quod est esse devotum ».

c) Devotio definiri potest: « Voluntas prompte tradendi se ad ea quae pertinent ad Dei famulatum »; in quem sensum legitur. (*Ex.* 35, 20-21): « Multitudo filiorum Israel... obtulerunt mente promptissima atque devota primitias Domino ».

***

Alius inter praecipuos interioresque religionis actus, est oratio. « Nihil — ait Ecclesiastes (I,10) — sub sole novum, nec valet quisquam dicere: Ecce! hoc recens est; iam enim praecessit in saeculis quae fuerunt ante nos » ideoque nil mirandum, si qui errores qui olim penes antiquos circa orationem viguerunt, penes modernos inveniantur. Vanum esse orare, nonnulli proclamant vel quia res humanae non reguntur divina providentia, vel quia « omnia in rebus humanis ex necessitate contingunt, sive ex immutabilitate divinae providentiae, sive ex necessitate stellarum, sive ex connexione causarum ». Alia ex parte, errant alii dum putant, res humanas divina quidem providentia regi, nec provenire ex necessitate, sed dispositionem divinae providentiae variabilem esse, et orationibus et aliis quae ad divinum cultum pertinent dispositionem divinae providentiae immutari.

Penes catholicos theologos Orationis conceptus huiusmodi est:

a) Oratio religionis virtutis actus est, quia, ait Angelicus, (3) « ad religionem proprie pertinet reverentiam et honorem Deo exhibere; et ideo omnia illa per quae Deo reverentia exhibetur pertinent ad religionem. Per orationem autem homo Deo reverentiam exhibet, in quantum scilicet ei se subiicit, et profitetur orando se eo indigere sicut auctore suorum bonorum ».

b) Orare proprium hominis est, quia « oratio est actus rationis, per quem aliquis superiorem deprecatur;

(1) S. TH. 2-2ae 82. a. 4. et ad 3.
(2) S. TH. ib. a. 1.
(3) Ib. q. 83. a. 3.

sicut imperium est actus rationis quo inferior ad aliquid ordinatur. Illi ergo proprie competit orare cui convenit rationem habere, et superiorem, quem deprecari possit. Homo autem et ratione pollet, superioremque habet ».

c) Oratio communis et singularis, vocalis et mentalis est. Communis quidem oratio est quae per ministros Ecclesiae in persona totius fidelis populi Deo offertur; singularis vero est quae offertur a singulari sive pro se, sive pro aliis. Mentalis oratio dicitur, si mens orantis, sine verbis, sed per solam contemplationem in Deum ascendit; vocalis vero, si orationi mentali vox adiungitur. Vocalis oratio « non profertur ad hoc quod aliquid ignotum Deo manifestetur, sed ad hoc quod mens orantis vel aliorum excitetur in Deum ».

d) Oratio, quasi *oris ratio,* definitur, vel petitio quaedam, vel ascensus mentis in Deum, vel petitio decentium a Deo. Ne obliviscaris tamen Angelici verba scribentis : « Oratio non porrigitur Deo, ut ipsum flectamus, sed ut in nobis ipsis fiduciam excitemus postulandi; quae quidem praecipue excitatur in nobis considerando eius charitatem ad nos, qua bonum nostrum vult ». (1)

REGINALDUS FEI O. P.

(1) Ib. a, 9. Cf. etiam a. 12.

CAROLUS MICHAËL DE L'ÉPÉE

surdo-mutorum paedagogus

Quum hoc anno ducentesimus redeat dies anniversarius a nativitate celeberrimi huius viri, insignis surdo-mutorum benefactoris, operae pretium erit de eodem breviter verba facere.

In lucem editus est Carolus Michaël die XXIV mens. Novembris a. MDCCXII in urbe Versalia *(Versailles)*, eiusque parentes fuerunt Carolus Franciscus, aedium regiarum architectus ordinarius, et Francisca Margarita Varignon. Domus in qua natus est aream occupabat, ubi nunc surgit Hospitium, situm ad angulum viae *Bourbon* alteriusque viae, quam gratus civium animus ab ipso Abbate de l'Epée appellatam esse voluit.

Pater eius, vir doctrina et virtute praeditus, multam impendit curam in filii educationem, quem primis litterarum elementis ipse erudivit. Mature autem in iuvene vocatio ad statum ecclesiasticum apparuit, quod pater animadvertens aegre tulit, ut quem cuperet causis forensibus addictum. Cessit tamen enixis filii precibus, qui, absolutis studiis, in dioecesi Trecensi sacerdotio auctus est, et parochiam ibidem administravit. Infeliciter tamen accidit ut, Iansenistarum artibus seductus, perniciosae huic sectae aliquamdiu faveret. Quare Lutetiam reversus, quum subscribere nollet formularium ab Alexandro VII Clero gallicano praescriptum, ab Archiepiscopo Parisiensi nec ad excipiendas sacras confessiones, nec ad praedicandum Dei verbum admissus est. Paruit tamen archiepiscopi mandato, et ad meliores paulatim sensus conversus est, ita ut errasse potius visus sit per inconsiderantiam, quam per animi indocilitatem atque obstinationem. Ceterum hanc ille labem, ex incauta Iansenistarum frequentatione contractam, ardenti mox caritate abstersit.

Unum supra quadragesimum expleverat annum sacerdos de l'Epée, quum ex improviso casu via pateficret, quam ei divina Providentia praeparaverat, et quam sequendo immortale nomen ipse sibi comparavit. Adierat forte domum matris familias quacum erat ei colloquendum. Hanc dum exspectaret, duas eius filias, quae in conclavi aderant, salutavit et alloqui coepit. Quum nihil illae responderent nec eum audisse viderentur, id miratus est primum; mox tamen a superveniente et dolente matre cognovit, eas ab ipsa nativitate surdas fuisse ac mutas. Accepit etiam, easdem habuisse institutorem, nuper defunctum, qui earum educationem aggressus esset, ostensis certis quibusdam imaginibus in charta impressis, exiguo tamen fructu. Misertus sacerdos duarum puellarum ac divina simul inspiratione motus, statim apud se constituit harum misellarum aliorumque eodem malo laborantium educationi prospicere, eumque in finem rationes omnes investigavit, quae ad institutionem surdo-mutorum aptiores esse viderentur.

Reiecta methodo per imagines, quam nimis angustam esse intelligebat, signa adhibuit manualia, ad quae instinctu quodam naturali confugimus si quid peregrino, cuius linguam ignoremus, notum facere velimus. Hanc artem sacerdos noster didicit a Ioanne Paulo Bonet, hispano, qui ea de re librum ediderat anno MDCXX. Perfecit tamen alphabetum ab Hispano excogitatum, dum ad litteras formandas, non geminam, ut ille, manum, sed unam tantum adhiberet, uti et hodiernus fert usus; additis aliis signis, quae res indicarent supra sensus positas. Cui manuali alphabeto hoc magnum inest commodum, quod similitudinem habet cum characteribus typographicis, ita ut omnibus inserviat linguis, quae iisdem litteris utuntur ac sermo gallicus aut latinus. His etiam signis, absente luce, colloquium instituitur, dum alter colloquentium in alterius manu litteras et verba digitis efformat.

Curas suas sacerdos De l'Epée pauperibus potissimum alumnis dicatas voluit, quum ditibus, ut aiebat, non deessent institutores. Erant generatim septuaginta vel octoginta numero, quos in humili domo bis in hebdomada excipiebat. Parce admodum victitabat, ut necessitatibus discipulorum subveniret, trita vestitus toga talari, nec inter frigora etiam maxima cubiculo utens calefacto. Diebus feriatis, puerilem illam turbam, solebat in hortum deducere, situm in Monte Martyrum, ubi eum conspiceres modo ludis puerorum interesse, modo eorum perficere educationem, narratis factis quae aut pietatem aut animi recreationem alerent. Ibi quoque

cum iisdem ad frugalem mensam assidebat, ad quam subinde amicos suaeque institutionis patronos invitabat.

Aemulos habuit et adversarios optimus ille vir, et per plura decennia, ob pristinos suos errores, nihil subsidii a publica auctoritate consecutus est. At postquam regina Maria Antonia cum fratre suo imperatore Iosepho II scholam illam anno MDCCLXXVII invisisset, res in melius mutatae fuerunt. Nam a Ludovico XVI sancitum est decretum, quo magni huius viri institutum sub regia protectione positum est. Praeterea in usum alumnorum donatae fuerunt veteres Caelestinorum aedes, assignata etiam donatione annua libellarum trium millium et quadringentarum. Plures tandem Antistites, inter quos archiepiscopus Turonensis et Nuncius Apostolicus, venerandi senis domicilium et scholas sua praesentia honoraverunt. His tamen honoribus et beneficiis haud diu gaudere ille potuit, qui anno MDCCLXXXIX, aetate et laboribus fractus, e vivis excessit, et in ecclesia S. Rochi sepultus est.

Memoria clarissimi huius viri tamdiu superstes erit, quamdiu in honore erit virtus eximie culta. Surdo-muti cuiusque regionis eumdem veluti praecipuum magistrum atque amantissimum patrem revereri ac diligere nunquam omittent. Ipsa Gallica rerum perturbatio, quae mortem sacerdotis De l'Epée continuo subsecuta est ac tot ruinas accumulavit, piae huic operae pepercit, eamque, ceu monumentum populorum admiratione dignum, publico aere conservandam et tuendam esse decrevit.

FRANCISCUS XAV. REUSS.

LUSUS POETICI

I.

(Auctor Salomonem inducit eos alloquentem qui divitias adamant.)

Divitias statui, vulgus quas deperit omne,
Isacidum princeps temnere sollicitas.
Illa placet tantum cordi Sapientia mentis
Qua dare me populis regia iura decet.
Arbitra namque tenet regni sapientia sceptrum,
Auxiliisque suis occupat exitium.
Quod si me audebit convellere turba rebellis,
In rerum semper turbine firmus ero.
Fallitur heu quicumque sibi blanditur, et inter
Immensas felix esse videtur opes.
Quoquo oculos verto, quoquo vestigia flecto,
En gazis omnes in sua damna ruunt.
Haec auri certe lacrimarum est causa voluptas:
Nam sibi perniciem, qui petit, ipse trahit.
Heu quot deceptos soloque errore beatos
Per tumidas defert aurea puppis aquas!
Auri sacra fames, auri malesuada cupido
Eludit dominos, destituitque suos.
Sunt gazae vani mendacia splendida fuci
Quae fugiunt celeri nec reditura pede.

II.

(Auctor, sub finem scholae, discipulis Consentini lycei per feriarum tempus his subitis et fortuitis versibus omnia laeta precatur.)

Linquitis tandem modo feriati
Haec loca, et clathris rigidis soluti,
Alites tamquam fugitis per urbis
Culmina gratae.

Namque sectari Stygiis ab oris
Desiit monstrum, celerique gressu
Aërem purum fugiens tenebras
Tendit ad imas.

Hinc iuvat pulso gelido pavore,
Frondibus cinctos per opaca Sylae,
Alta qua pinus spatians dat umbram,
Currere laetos.

Ite: dum aestivus coquit arva Phoebus,
Voce et ingrata crepitant cicadae:
Ite: splendescat iuvenilis usque
Vultibus ardor.

Ite quo pergit iuvenilis aetas,
Ite quo ludi rapiunt honesti;
Ac procul curas animo severas
Pellite vestro.

Dulce enim, missis studiis, quietem
Carpere et somno dare membra leni:
Dulce distendi prope murmur undae
Gramine in ipso.

Gaudiis vero in mediis iocisve
Ne cadat vobis animo magistri
Nomen et vultus, vigil et docendi
Cura benigna.

M. GALDI.

LUDI PUERORUM APUD ITALOS

Pila ad foramina.

Est in more positum apud Subalpinos quoddam ludorum genus, cui est nomen inditum: *Pila ad foramina;* seu potius vulgo *A bala beucc.*

Sunt octo saepe vel decem et amplius pueri, qui alacres, inventute calentes et sanguine, (sunt enim apti lusibus anni) ludere exoptant, sed liberioribus habenis itemque fragoribus. Nil aptius ac commodius quam lusus de quo hic loquimur. Simplex enim et modicus, haud elegantiores pueros ambit, imo *plerumque modestus occupat obscuri speciem.*

Sunt officinatores passim, sunt etiam agrestes, quibus est saepe mos, uti videri potest, pugnis certare et calcibus. En breviter certaminis summula.

Humi per ordinem octo vel decem, ex ludentium numero, exigua foramina in orbem perfodiuntur, dum ex industria quisque certatim foramen sibi aptius eligit. Curant enim singuli et maximo equidem studio, ne nimis sit commodum obviumque ad pilam recipiendam quum fuerit iacta, ut talus in alea mittitur.

Circa autem haec foramina, ut plerumque solet « Urbem latior amplecti murus » agger lapidibus adstruitur, ne pila, manibus missa, ultra irrequieta discurrat et praetergrediatur.

Ita tamen qui princeps merito est sortitus, pilam arte mittit, ne unquam in suum introeat foramen. Vix pila fatalis sistit, haeretque, tunc omnes hinc inde rapide dilabuntur, illo modo excepto, in cuius foramine pila ingressa restitit. Hic citissime, quoad eius fieri potest, pilam arripit atque in eum immittit, cui obvius est et proximus. Quam apte: « Missa fugientia terga *pila* traiicit! »

Cave ne frustra. Namque si in alea inferior eris, in poenae signum dedecorisque, lapillo notaberis, qui in tuo foramine conditur. In hoc enim tota est ludendi sapientia, ne forte fallas, namque « omnis in hac certam..... iacit arte salutem », eique quoque maxima gloria adtribui consuevit, qui rapidus, nullaque temporis interposita mora, pilam manibus arripere, socium propiorem signare, eumque sicure percutere. Qui vero impune in socios iecerit pilam, ut superius monui, inferior dicitur in certamine, lapillumque damnatur in foramine suo deponere. Hic nihil doli aut proditiones valent.

At, at, me aliquantisper errasse fateor. Et in hoc enim ludorum genere adest « dolis instructus et arte Pelasga ». Meam autem sententiam commodius enucleabo. Haud deest aliquando qui amiculo perdenti opem ferat auxiliumque, si pila iam eius in foramen saepius intravit, atque in eiicienda pila plus aequo erravit. Tunc ne cito hic ad sextum fatalemque lapillum percurrat, adest qui sibi quaeritat oculis ac voce ut et ultro pila donetur, et suo marte atque periculo eam denuo in alios iaciat. Fervet sic ludus; namque omnes ob novam certaminis speciem, pertimescere, huc illuc cursitare, timidosque oculos intendere quo pila mittatur, neque ex improviso velut inter hostes conclusus ab hoc vel ab illo feriatur. Sic videbis hic in condensiorem globum ludentes se se conferre, repente postea iterum dilabi, huc atque illuc diffundi, atque ita certamen producitur sortesque in melius convertuntur. Expleto tandem lusu profligatoque, quum quis sextum lapillum in alea meruit, ad poenam venitur. Moenia, seu quo melius dicam, lapides, quibus foramina quodammodo defendebantur, cum omnibus lapillis, in aggerem adstruuntur, et inferior omnia per quam rapide manibus tollere debet, dum socii eum alapis pugnisque certatim percutiunt. Sic saepe in segetes camposque tempestas irruit.

Vae! illi, si vel parvulus lapillus imprudenter remanserit! At est quoque exclamandum: « Est etiam miseris pietas! et in *ludo probatur!* » Namque haud raro animos puerorum ad humanitatem compositos laudabis, qui laeti tantummodo victoriae, prohibent concorditer, ne qui ad foramina expolienda damnatur vel leviter quidem aliquam poenam luat. Iuvat admodum pueros adsuescere ad mansuetudinem excercendam probosque mores.

SUBALPINUS.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Qualis homo, talis oratio.

Seneca in epistolis, quas scripsit ad Lucilium (lib. II): « Apud Graecos — inquit — in proverbium cessit: « Talis hominibus fuit oratio, qualis vita ». Graecum id proverbium exstat apud Aristidem in secunda rhetorices adversus Platonem defensione, verbis quae latine sic facile redduntur: « Non dissonat autem ab iis adagium, quo dicunt, cuiusmodi sint mores, eiusmodi et orationem esse; ac rursus, qualis sit oratio, talem item esse mores ». — Ad eamdem facit sententiam quod inter Solonis apophthegmata commemorat Diogenes Laertius, id est orationem factorum esse simulacrum. Persius (*Sat.* V) sententiam hanc allegoria texit, quum ait:

Pulsu dignoscere cautus,
Quid solidum crepet et pictae tectoria linguae.

Nimirum innuens haud aliter animum hominis ex oratione spectari, quam vasa dignoscuntur crepitu, quem digito pulsa reddunt.

Idem in *Sat.* III:

Sonat vitium percussa maligne
Respondet, viridi non cocta fidelia limo.

Idque proverbii non solum locum habet, quum improbum aut probum virum arguit oratio, verum etiam cum ex stylo perpendimus ingenium cuiusque, omnemque mentis habitum ex ipsa dictionis ratione coniectamus. Etenim tumidi stylus turgidus; abiecti, humilis, exsanguis; asperi, scaber; amarulenti, tristis ac maledicus; delici's affluentis, picturatus ac dissolutus. Breviter, omne vitae simulacrum, omnis animi vis, in oratione, perinde ut in speculo, repraesentatur, ac vel intima pectoris arcanis quibusdam vestigiis deprehenduntur. Huc pertinet quod Socrates apud Platonem iubet loqui Charmidem ut eum videat; nimirum hominem ex

oratione aestimaturus. Idem in *Gorgia* negat se nosse Archelaum, Perdicae filium, quod nunquam cum eo venerit in colloquium. At vulgo praedicant se nosse hominem, quem viderint tantum, quum animus hominis non perspiciatur, nisi ex oratione.

Intra suam pelliculam se continere.

Porphyrion proverbium esse admonet, quo vetamur, obliti sortis nostrae, maiora conari quam pro nostra facultate; idque inde sumptum putat quod olim ductores in pellibus, hoc est pelliceis tentoriis, dormitarent. Sed rectius ab aliis refertur ad asinum illum Cumanum, quem apologi fabulantur adaptasse sibi leonis exuvium atque ita sese ad tempus pro leone gessisse; verum eam illi magno fuisse malo, quum agnitus et magno omnium cum risu aliena apposititiaque exutus pelle, fustibus ad necem caederetur. Neque absurde quis ad Cleonem Atheniensem referat, qui ex byrsopola, hoc est coriario, creatus exercitus ductor, fortuna favente, victoriam reportavit, capta Pylo, suam ipsius civitatem furto spoliavit, atque ad eum modum ad summas opes evectus est; tandem per alium eiectus maleque acceptus, poenas dedit, quod non in propria pelle quiesceret. Hic inducitur in Aristophanis comoedia, cui titulus *Equites*, neque non aliis locis subinde mordetur ab eodem poeta.

Adagio nimirum videtur allusisse Plautus, quum militem gloriosum et iactabundum finxit elephantino corio tectum, non suo; sive quod stolidum significaret, sive quod maiora, quam pro facultate, loquentem.

Horatius:

Et merito, quoniam in propria non pelle quiessem.

Martialis in sutorem quemdam qui, Cleonis exemplo, prius ad summas evectus divitias, ut venti erant, ita velum in altum sustulit, deinde ad pristinam rursus inopiam largitionibus suis redactus est, ut nihil iam esset nisi cerdo, scripsit:

Lusisti, satis est; sed te, mihi crede, memento
Intra pelliculam cerdo tenere tuam.

Idem Seneca in *Epistolis:* «Sapientem undique submovent et intra cutem suam cogunt». Ac citra metaphoram sic id extulit Ovidius:

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit et intra
Fortunam debet quisque manere suam.

Notum lippis et tonsoribus.

Quae iam in ora vulgi abierunt, omnibus tonsoribus ac lippis nota dicuntur; propterea quod olim in tonstrinarum consessibus omnes rumores narrari consueverunt. Quod indicat Aristophanes in *Pluto,* Terentius in *Antipho* et Horatius, qui de tonstrina habet:

Gaudent ubi vertice raso
Garrula securi narrare pericula nautae.

Idem in *Sermonibus:*

Opinor
Omnibus et lippis notum et tonsoribus esse;

ubi proverbium explicuit, significans rem vulgo iactatam. Nam lippi in tonsorum officina desidebant, expetentes remedium oculorum.

De tonsorum garrulitate complura lectu digna recenset Plutarchus in libello quem scripsit *De futili loquacitate;* quorum unum referre non pigebit: «Quum aliquando — ait — in tonstrina sermo esset de Dionysio, diceretur que tyrannidem illius adamantinam esse et inexpugnabilem, ridens tonsor: «Haeccine, inquit, loqui vos de Dionysio, in cuius iugulo ego subinde teneo novaculam?» Quod dictum simulatque Dionysius rescisset, tonsorem in crucem sustulit atque ita, quod ait Plinius, voces per iugulum rediere in auctorem».

Ut autem tonsorum genus usque adeo loquax sit, id existimat esse in causa quod in eorum officina loquacissimi quique conveniant desideantque, quorum assiduo convictu garrulitatis morbo inficiuntur et ipsi.

Non videmus manticae quod in tergo est.

Catullianus versus significans nos nostra ipsorum vitia non videre, quum aliena curiosis oculis perspiciamus.

Proverbium natum est ex apologo quopiam Aesopico, singulos mortales binas habere manticas, hoc est peras, alteram ante pectus, alteram a scapulis tergoque propendentem, quarum in priorem aliena vitia immittamus, in posteriorem nostra. Persius:

Ut nemo in sese tentat descendere, nemo
Sed praecedenti spectatur mantica tergo.

Horatius:

Respicere ignoto discet pendentia tergo.

Sanctus Hieronymus: «Sed illa est vera inter amicos reprehensio, si, nostra opera non videntes, aliorum, iuxta Persium, manticam consideremus».

. . . . . . Peragit tranquilla potestas,
Quod violenta nequit, mandataque fortius urget
Imperiosa quies. . . . . .

CLAUDIANUS.



VATICANA PICTURA MURALIS

DE CRUCIS APPARITIONE CONSTANTINO IMPERATORI

Muralem tabulam lectorum oculis subiicimus in Vaticana aula quoque pictam, quae Constantini, Romanorum Imperatoris cognomine Magni, gesta referens, *Costantini* vulgo appellatur. Haec tabula visum Crucis repraesentat, qua veluti ductrice Helenae filius sibi suisque militibus stimulos addidit ad bellum gerendum. A Raphaële Urbinate primis lineis designata, penicillo optima ratione reddita et ipsa est a Iulio Romano, Sanctii discipulo, cui peculiariter tribuenda esse creditur pumilionis illa addita figura ad dexterum intuentis latum posita, in qua effigiem Gradassi cuiusdam Berrettai Nursini, suis temporibus iocorum festivitate celebratissimi, plures recognoverunt.

Nescimus vero utrum Raphaëli an Iulio debeatur scaena picturae extrema, in qua nonnulla Romana monumenta adumbrata sunt, ut Hadriani moles et Augusti mausoleum; ex quibus facile deduci licet auctorem Nicephori narrationem sequutum esse, scribentis, Constantino signum Crucis apud Romam apparuisse.

Aliter Eusebius, cuius verbis maior videtur habenda fides. Qui quidem quamvis docuisset ter Crucis signum in caelis Constantino commonstratum, non Romae monuit, dum contra Maxentium bellum gerit, sed in Galliis, quum adhuc de ancipiti expeditione penderet animo, caelesti ac divina visione illa dignatum esse, qua confirmatus et animo incensus ad tantum facinus aggrediendum viriliter sese accinxerit. De quibus — pergit Eusebius, (1) — « si quis forte alius dixisset, non tam facile hominibus potuisset persuaderi. Verum quum Imperator ipse victor nobis ipsis qui hanc historiam literis persequimur, longo tempore post, quum notitia eramus et familiari colloquio ab eo dignati, narraret et sermonem iureiurando confirmaret, cui dubium esse poterit quin sit rei ita commemoratae fides omnino adhibenda; praesertim cum tempus postea consequutum ratum orationi testimonium dederit? »

Neque inutile erit Prudentii quoque testimonium afferre, qui ita canebat: (2)

Hoc signo invictus transmissus Alpibus ultor
Servitium solvit miserabile Constantinus,
Cum te pestifera premeret Maxentius aula.

Et paulo inferius: (3)

Testis Christicolae Ducis adventantis ad Urbem
Milvius exceptum Tiberina in stagna tyrannum
Praecipitans, quaenam victricia viderit arma
Maiestate regi, quod signum dextera vindex
Praetulerit, quali radiarint stemmata pila.
Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum, clypeorum insignia Christus
Scripserat, ardebat summis Crux addita cristis.

(1) Euseb., *De vita Constantini*, l. I, c. XXII.
(2) *Contra Symmachum*, lib. I, 467-69.
(3) Ibid., v. 483 et seqq.

COLLOQUIA LATINA

Iter et equus. (1)

PHILIPPUS. — Vultisne proficiscamur, animi recreandi gratia, Tibur?

CAROLUS et CLAUDIUS. — Nihil malumus, die praesertim sereno, a ventis silenti, tum etiam feriato in nostro paedagogio.

PH. — Ego habeo asturconem.

CA. — Et ego equum meritorium.

CL. — Ego et Cornelius utemur curribus vapore actis.

PH. — At non erit nobiscum iter.

CL. — Scilicet equitare nescimus.

CA. — Conducite potius rhedam.

PH. — Quin imo lecticam. Numne cisium sufficiet?

CL. — Bene ait Philippus. Vadam ad carrucarium.

PH. — Vide ne sis in nostra exspectatione.

CL. — Illic sum et hic sum.

PH. — Eia puer, frena equum meum et insterne. Quid? Manno indis lupatum? Orna potius frenulo illo levi cum bullis.

PUER. — Hui! nec oreas habet nec aureas.

PH. — Supple igitur quae desunt, ex hoc fune.

PU. — Erit deforme.

PH. — Abi, insane: quis videbit extra urbem?

PU. — Antilena est dissuta.

PH. — Sarcias ligula adstrictoria aliqua.

PU. — Non habet postilenam.

PH. — Nec est opus.

CORNELIUS. — Magnum equum et exercitatum! Delabetur ephippium ad collum, et effundet te supra caput.

PH. — Quid ad me? Lutosa est magis via, quam lapidosa: inficiar coeno, non cruentabor. Sed si haec omnia apparanda, non hinc discedemus ante vesperum. Adduc equum, qualicumque ornatu.

PU. — Paratus est: conscende. — Ah! quid agis? Pedem dextrum ponis priorem in stapeda?

PH. — Utrum ergo?

PU. — Sinistrum; et habenas sinistra manu rege; dextera cape hanc virgulam, quae erit pro calcaribus.

PH. — Non indigeo: calcanea erunt mihi pro calcaribus.

CORN. — En, Iubellium Tauream illum Campanum conspicitis, aut qui cum eo est congressus!

PH. — Apage historias et iocos. Ubi reliqui?

CA. — Adsumus. O equum molestissimum succussatorem! Ossa mihi omnia contuderit, priusquam perveniamus in oppidum.

PH. — Quid malum est stratum istud tuum? Clitellae sunt, ut puto. Nec mihi iste equus vector nec ephippiarius videtur, sed iumentum sarcinarium et iugale, aut dossuarium. Animadverte, ut passim offensat! Vel in chartam, aut in latum culmum impinget!

CA. — Quid tu de eo dicis? Pullus est adhuc. Sed garrias quae voles. Videstu hunc eqûum? Is qualis est, me vehet, aut ego illum.

PU. — Ungulam habet tenerrimam miser.

PH. — Quid agitis vos? Vehiculum non attulisti?

CL. — Auriga petit nunc altero tanto plus, quam quanti alias eum compensavimus.

PH — Cum rhedariis est vobis res? Facile hercle! conficietis omnia. Hominum genus enim mite, mansuetum, come, urbanum!

PU. — Bigae ducem me vobis praebeo.

CORN. — Ne tamen praecipites agas.

PU. — Nolite timere; operi assuevi.

CL. — Pace tua, hominem suae artis praeferimus.

PU. — Sit; me meus equus, et ipse indomitus, dorso recipiet.

PH. — Quotam esse iam horam censetis?

CA. — Ex sole, coniicio esse ultra decimam.

PH. — Ita ne? Heus! Carole, procedamus; sequatur qui poterit. Invenient nos ad Galerum Purpureum; ea est taberna diversoria, sita non procul a Gregoriana porta, Tibure.

CA. — Qua egrediamur?

PH. — Simplici via et directa.

CA. — Immo teneamus hanc semitam: via iucunda est et placida.

PH. — Minime vero: nihil commodius et tutius, quam via regia; nam transversis amittemus facile iter, praesertim quod trames ille, nisi me fallit memoria, est valde sinuosus et ambagiosus.

CA. — At ubi sunt Claudius et Cornelius?

PU. — Auriga iratus, quod non quantum postulaverit accipiat, duxit eos via salebrosa; equus, dum magna enititur vi rotas in alto coeno haerentes extrahere, temonem et helcia confregit. Tunc canthi revulsi sunt cum clavis, et ipse rotam sufflaminaverat imprudens, bili excaecatus. Nunc ea reficit, vectores diris devovens atrocissimis, qui aurigariae arti profecto benedicent!

PH. — Quae capiti illius sint!

PU. — Puto eos, cisio relicto, transituros in sarracum, quod sine onere habet iter Tibur.

PH. — Coniicio quid futurum sit; non pervenient illi Tibur ante serum diei.

CA. — Quid tum? Sumemus diem crastinum totum ad reficiendum animum. — Aspice, ut Anio hîc leniter labitur; aquae plane cristallinae inter scrupos aureos: quam iucundum murmur! Audis

(1) Ex latinis colloquiis LUDOVICI VIVES. — Passim retractavit nostrisque diebus aptavit I. F.

lusciniolam et carduelem? Profecto territorium hoc amoenissimum est.

PH. — Quod spectaculum potest esse huic par? Mirifice his omnibus redintegrantur animi. O pratum miro artificio vestitum!

CA. — Nempe ab admirablli artifice.

PH. — Quam suavem odorem spirat!

CA. — Huc, huc; ad sinistram flectito, ut evites coenum tenacissimum, in quo graduarius tuus statim unguem amittet. Quam contrarius hic campus suo vicino, obsitus situ, squalidus, cariosus, horrens petris et spinis armatus!

PU. — Nonne vides esse agrum ruderatum ex villae ruinis? Et alioqui frumentarius est.

PH. — Quaeso, cantilla versus aliquot, ut soles.

CA. — Placet.

Felix ille animi divisque simillimus ipsis,
Quem non mendaci resplendens gloria fuco,
Sollicitat, non fastosi mala gaudia luxus.
Sed tacitos sinit ire dies, et paupere cultu
Exigit innocuae tranquilla silentia vitae.

PH. — Versus facetissimos et gravissimos! Cuius, quaeso, sunt?

CA. — Non agnosti?

PH. — Non.

CA. — Angeli Politiani.

PH. — Vetustiores putavi, et habent gratiam antiquitatis. — Suspicor nos deerrasse.

CA. — Heus! Bone vir, qua itur Tibur?

RUSTICUS. — Aberrastis. Obvertite equos ad bivium illud et tenete viam, quam udat fluvius; ea vos non sinet falli; recta est et simplex usque ad vetustam quercum; inde ad manum hanc vos praecipitatote.

CA. — Habemus gratiam.

RUST. — Bene ambulato. Ducat vos Deus.

CA. — Malim currere, quam sic ab equo isto concuti.

PH. — Tanto coenabis avidius.

CA. — Immo vero non potero coenare, delassatus et confractus toto corpore; citius quaeram de lecto, quam de mensa.

PH. — Sede coniunctis cruribus, non divaricatis: minus senties laborem.

CA. — Hoc est foeminarum. Facerem, nisi metuerem risum et sannas praetereuntium.

PU. — Siste parumper, Philippe, dum hic faber ferrarius calcearit asturconem tuum, cui excussa est solea dextri pedis.

CA. — Ah! Praeter spem venit occasio corpori meo requiem aliquam recipiendi!

Nullum animal morosius, nullum maiori arte tractandum, quam homo.

SENECA.

ACTA PONTIFICIA

SSmi. D. N. Pii PP. X epistola ad rr. pp. Pacificum Monza, Victorem Mariam Sottaz, Pacificum a Seiano, Trium familiarum Primi Ordinis Ministros Generales.

DE TERTIO FRANCISCALIUM ORDINE.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. — Tertium Franciscalium Ordinem, quem saecularem vocant, toto terrarum orbe diffusum, sodalium non solum numero sed etiam industria florere, certissimo argumento sunt et multiplices de rebus Ordinis commentarii, et crebrae ad loca sacerrima peregrinationes, et frequens celebratio conventuum, e quibus eum commemorare libet, qui in hac alma Urbe Nostra nuper est habitus. Haec sane laetabilia sunt, Nobisque dant causam gratulandi vobis, dilecti filii, quibus sodales Tertiarii magistris et ducibus utuntur. Sed tamen non vos celabimus de timore quodam in quo Nos iam dudum ob nonnulla indicia sumus, ne, per speciem melius merendi de humana societate, studium parum sapiens rerum novarum sese in Tertiariorum Ordinem alicubi insinuet, eumque sensim ab instituto suo, quale Franciscus sanctissimus voluit esse, detorqueat. Itaque, ut de re tam gravi Nostra vobiscum consilia communicemus, vos, dilecti filii, paulo fusius affari hodie constituimus.

Primum omnium, opus esse ducimus, dilecti filii, magis ac magis declarare vulgo, quid ex voluntate Patris legiferi sit Ordo Tertius, quid tamquam finem ille spectet; atque ostendere non hunc ab aliis duobus natura differre, sed eo tantum quod propria quadam ratione ad idem propositum contendit. Etenim, ut ait decessor Noster fel. rec. Leo XIII, « in curandis Iesu Christi praeceptis « Instituta Franciscalia tota sunt posita, neque « enim quicquam spectavit aliud Auctor sanctissimus, quam ut in iis, velut in quadam palaestra, « diligentius vita christiana exerceretur. Profecto « Ordines Franciscales duo priores magnarum vir« tutum informati disciplinis, perfectius quiddam « diviniusque persequuntur: sed paucorum sunt, « nempe eorum, quibus Dei munere concessum est « ad evangelicorum consiliorum sanctitatem sin« gulari quadam alacritate contendere. Verum « Tertius Ordo natus aptus est multitudini, et quan« tum possit ad mores iustos, integros, religiosos, « superiorum temporum monumenta et res ipsa « declarant ». (Const. *Misericors Dei Filius*). Ceterum ipse Assisiensis Patriarcha, cum Tertium Ordinem appellatione *Fratrum de Poenitentia* distinxit, satis aperte docuit illa duo esse Tertiariorum propria: fraternam inter se concordiam et studium poenitentiae.

Quod autem ad primum attinet, nullo quidem tempore Romanorum Pontificum decessorum Nostrorum curae cogitationesque desideratae sunt in eo ut Tertiarii Franciscales, animorum coniunctione seraphici Patris caritatem referentes, unum veluti corpus omnes efficerent. Nos item Apostolicis Litteris *Septimo iam pleno saeculo*, religiosos Ordinis prioris cohortati sumus, meminissent fraterna se caritate inflammatos esse oportere. Quam quidem decet esse tantam, ut in Tertium quoque Ordinem redundet. Eam ceterum caritatem non modo inter Tertiarios unius eiusdemque sodalitatis vigere opus est, sed etiam inter sodalitates Tertiariorum; quemadmodum vero varia cuiuslibet religiosorum Ordinis coenobia, sic Ordinis Tertii sodalicia amico foedere colligantur natura sua. Iuvat hoc loco ea commemorare, quae Nos, die XVII decembris anno MCMIX, ad Tertiarios Urbanos scripsimus: « Quum « sit exploratum vires coniunctas efficaciores esse « quam singulas, cernere licet quam studiose ca« tholici nominis hostes in unum conglobentur, ut « nefaria certius proposita contingant. Ergo ad re« pugnandum istis congruenter, oportet omnes boni « coëant, iique in primis qui ex instituto Patriarchae « Assisiensis et ipsi christiane sapere ac vivere « in exemplum, et christianam fidem moresque in « populo fovere ac tueri debent ». Ergo hanc virium coniunctionem ratam iterum habemus, ea tamen conditione, ut nova ne inducatur disciplina, sed rationes mutuas quae inter sodalitates intercedunt, ipsi dumtaxat sodalitatum rectores moderentur.

Quod ad alterum pertinet, ut eiusdem decessoris Nostri verbis utamur, « caput est commendationis « Nostrae, ut qui insignia *poenitentiae* induerint, « imaginem spectent sanctissimi Auctoris sui ad « eamque contendant, sine qua, quod inde exspecta« retur boni, nihil esset ». (l. c.). Etenim hoc maxime mandatum Francisco Deus, teste Bonaventura, dedit, ut poenitentiam praedicaret, atque homines ab amore huius saeculi ad Crucifixi amorem traduceret. Ille igitur, mortificationem Iesu semper in suo corpore circumferens, quum admirabile ubique et *mundi* taedium et studium Crucis excitasset, divinitus rationem iniit quemadmodum multitudini instituti sui percupidae satisfaceret simulque eam intra communis vitae fines contineret. Ita Tertius hic Ordo conditus est; qui quidem mirifice salutaris tum Ecclesiae tum Civitati tandem fuit, quamdiu nativam illam poenitentiae formam religiose retinuit. Quare non est dubium, quin similes semper fructus sit laturus, si eam ipsam formam simili modo in posterum retineat.

Iam vero, ad utramque assequendam rem quam diximus, egregie comparatae sunt leges huius Ordinis; quibus propterea sancta esse Tertiariorum obtemperatio debet. — Ante omnia de sodalibus cooptandis cavetur ut sincerae sint fidei spectatique erga Ecclesiam Romanam Sedemque Apostolicam obsequii, ad exemplum Francisci Patris, cuius fidem Nicolaus IV decessor Noster, in Constitutione *Super montem*, amplissimis laudibus honestavit. Et ne ea in periculo sit virtus, praecipitur, a legendis libris diariisque perniciosis se abstineant; quae vero scripta religionem tuentur, ea non modo lectitent, sed spargenda in vulgus disseminandaque curent; ad haec, quantum fieri poterit, Sacris in parochiali suo quisque templo adsint et curionibus operam navent in adolescentulis rudioribusque hominibus ad christianam doctrinam instituendis. Mores deinde suos ita componere debent, ut absolutissimam christianae vitae rationem sequi videantur. Ergo studeant, delicato cultu, comissationibus, scenicis ludis procacioribus abdicatis, tum frequenter se poenitentia expiari et ad divinum Epulum accedere, tum familiae ac civibus exemplo esse, tum etiam a vitiis ad frugem bonam errantes revocare. Sed illud in primis Tertiarios meminisse oportet, hoc se nomine minus fore dignos, nisi caritate in Deum proximosque inflammentur, et, qua seraphicus Patriarcha mirum in modum virtute praestitit, eamdem, velut Ordinis sui insigne, prae se ferant. Quoniam vero *probatio dilectionis exhibitio est operis*, hac adstriguntur lege ut benevolentiam omnem sodalibus alienisque praestent, componendasque discordias sedulo curent; aegrotos invisent; tenuiores, collata stipe, sublevent; omnia denique opera, quae *misericordiae* vocantur, peragere studeant.

Quum autem penes religiosos Primi Ordinis sit Ordinis Tertii gubernatio, ii sodalitatum praesides seu visitatores eligantur qui sint in coenobii solitudine sancte versati, et Auctorem suum ita imitentur, ut virtutibus, quibus ipse praeluxit, possint Tertiarios sodales imbuere. Verum in hac tanta acerbitate temporum, quum perpetuo metuendum est ne quid Ordini priori calamitatis impendeat, si Ordinem Tertium volumus consistere incolumem, nihil videtur opportunius quam ut sodalitates eiusmodi non modo apud Primi Ordinis coenobia, sed apud alia etiam templa, parochialia praesertim, constituantur, earum moderatione, de episcoporum consilio, curionibus ipsis commissa, nisi aliud locorum ratio suadeat, salvo semper iure et officio praelatorum Ordinis Primi; quod profecto Tertii Ordinis naturae non adversatur, quin immo eidem aptum omnino est et consentaneum. Eo ipso enim validiori auxilio curionibus in procuranda hominum salute sodales fore, nemo non videt.

Itaque ex iis quae dicta sunt, perspicuum arbitramur, Tertii Ordinis institutum in hoc consi-

stere ut sodales evangelicae perfectionis praecepta in cotidianum usum ipsi deducant, et christianae vitae exemplar ceteris ad imitandum proponant. Consequens est, ut Tertiariorum sodalicia, qua talia, se civilibus aut mere oeconomicis rationibus immiscere omnino non debeant; si faciant, rem ab instituto suo quam maxime alienam et voluntati Nostrae contrariam se facere sciant. Verumtamen Tertiarii de re christiana merebuntur optime, si singuli, dato catholicis societatibus nomine, persequi id quod quaeque sibi habet peculiare propositum, contendant; nec vero prohibentur quin in actione etiam sociali, qualis huic Apostolicae Sedi probatur elaborent: at cavendum, ne Ordo ipse Tertius in earum societatum regiones invadat, neve finem earumdem proprium, faciat suum. Si quis autem e Tertiariis, cum pietatis tum beneficentiae causa, aliam quamlibet condat novam societatem, hanc volumus episcopo plene subesse, et ab eo gubernari quem episcopus probaverit, etiamsi Ordinis Tertii praesides aliquo pacto condendae Societatis auctores fuerint.

Ad sodaliciorum conventus quod spectat, certos iis constituere fines oportet, quos, dilecti filii, praeterire quemquam ne patiamini. Itaque haec capita sancte custodiantur:

I. — Religiosi dumtaxat ex Ordine Primo coetus seu conventus sodalium Ordinis Tertii cogant iisdemque praesideant: si sodales a *districtu* coëant, coenobii custos seu *Guardianus;* si e provincis, provincialis minister; si e pluribus provinciis, Ordinis Minister Generalis. Qui iure praesint, eorum est de rebus in disputationem deducendis libellos conficere, diribere; nemini autem de aliqua re dicendi ius esto, nisi rogationem praesidi ante subiecerit, ab eoque copiam fandi impetraverit.

II. — Disceptare cuivis ne liceat, nisi de iis quae Ordinis Tertii naturae, proposito, legibusque ac datis per Romanos Pontifices de hac eadem re praescriptionibus congruant; quaestiones vero de re mere oeconomica et sociali in posterum submoveantur.

III. — Quum Franciscalis Ordo id habeat veluti proprium ac singulare ut Iesu Christi Vicario arctissime adhaereat, Tertiarii suae in Romanum Pontificem ac secundo in Ordinis Generales Ministros studiosae observantiae significationem, coetum ineuntes, solemniter edere ne omittant.

IV. — Coetuum seu conventuum acta, nisi de Ministri Generalis Ordinis consensu, ne vulgentur. Sicubi vero tres Franciscalis Ordinis Ministri Generales conventui intersint, huic simul praesideant, quippe sunt dignitate et pôtestate pares; actaque ne edantur, ante quam communis eorumdem adprobatio accesserit.

Haec, pro benevolentia qua Ordinem Tertium complectimur, ediximus; futurum vero confidimus, ut Tertiarii omnes, quotquot curae vestrae sunt per orbem catholicum commissi, seraphici Patris vestigia persequi sommopere nitantur. Quod ut secundum vota succedat, vobis, dilecti filii, et Franciscalium Ordini universo apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum die VIII mensis Septembris, in festo Mariae Sanctissimae nascentis, anno MCMXII, Pontificatus Nostri decimo.

PIUS PP. X.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Octobri MCMXII).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Sassoli de Bianchi, Comes; Lancellotti, Urbanus Princeps; Hector Cagnacci, Comes, eiusque familia; Lostia de S. Sophia, Comitissa; Ioseph Della Torre, Comes, Popularis Coetus inter Italos Catholicos Praeses nuper renunciatus; D'Erp, Dynasta, Legatus extraordinarius atque Administer cum omni potestate Belgicae civitatis apud Apostolicam Sedem; Nicolaus Rezzara, Eques torquatus; Ioanna Liechtenstein, Princeps foemina; De Norfolk, Dux; Stolberg, Comitissa; Ioannes Aequaderni, Comes; Ioannes Schönburg-Hartenstein, Legatus extraordinarius atque Administer cum omni potestate Austrorum et Hungarorum Imperii apud Apostolicam Sedem; Elisabeth Palffy, Comitissa; Ranierus Callori de Vignala,, Comes; Stanislaus Medolago Albani, Comes; De Montgermont, Comes; Anglorum peregrinorum manus.

Pontificiae electiones.

Nominationes Episcoporum. — Brevibus apostolicis nominati sunt: Episcopus Rockhamptonensis in Australia r. d. Ioseph Shiel; episcopus tit. Elaenae et Vicarius Apostolicus Kiam-si orientalis in Sinis r. d. Ioannes Ludovicus Clerc-Renaud, e Congregatione Missionum; episcopus tit. Tanagrensis et Vicarius Apostolicus novi Vicariatus Marianensis et Carolinensis r. p. Salvator a Wieden, in saeculo Petrus Walleser, presbyter Ordinis Fr. Minorum Capulatorum. — R. p. d. Hector Iraenaeus Sevin, episcopus Catalaunen. ad metropolitanam sedem Lugdunensem promovetur.

ANNALES

Pax inter Italos atque Turcas composita.

Pacis inter Italos atque Turcas componendae voces cautae primum, deinde magis in dies apertae, Idibus tandem Octobribus re sollemniter confirmatae sunt. Legati utrinque, quibus omnia consilia de pacis conditionibus concredita fuerant, Ouchy, Helvetico in oppido, foedus subsignarunt, cuius haec summa: Turcarum Caesar per *firmanum,* prouti

vulgo dictitant, declarans se Libycorum populorum iura defendere ulterius nequire, populos ipsos a quovis Turcarum imperio solvet; ad Mahumetanae religionis tutelam pontifex, cui sacerdotes subiecti erunt, eligetur, ad commerciorum consul; copiae quaevis Turcicae a Libya reducentur. Italia contra, iuxta suam de Libyae adnexione legem, imperii actus in illa civitate nullo impedimento exercebit, aliquot redituum, huc usque Turcarum, pretium quotannis solvet; Turcicas insulas a re in bello occupatas, debitis incolumitatis cautionibus pro civibus, omnibusque e Libyco territorio Turcarum militibus profectis, restituet.

Huiusmodi foedus, quod Lousonnae nomen accepit, a plerisque tum Europae tum ceterarum orbis nationum dum scribimus, recognitum est, bellumque per integrum annum inter Italos atque Turcas productum, sic, Déo adiuvante, est absolutum.

⁂

Balkanicum incendium conflatum.

In Turcas vero novissimum a Balkanicis gentibus incendium ortum, multoque id maximum; neque enim prius illud eae ostenderunt quam intulerunt. Constat Macedoniam eius causam fuisse; de cuius cura promissis Turcae nunquam steterunt, iisque nuper tantum per verba renovatis, Balkanici alii populi fidem non amplius habere re declararunt, arma statim tanto ardore sumentes, ut orbis universi admirationem proculdubio excitaverint. Primus igitur Nigri Montis rex in bellum descendit Scodram tendens, ad quam urbem, Tarabosch collibus obsidione cinctis, victor iam accessit; Serbi, divisis trifariam copiis, ad septem triones Novi Bazar, Sienica, Prizzend ac Plevlge occuparunt, Turcica agmina hinc Mitrovitza, inde Monastir se recipere cogentes; ad meridiem a Vranje ad Uskub pervenerunt. Pristina quoque atque Kumanovo, acriter defensa, potiti sunt, ac per Sophiam aliud agmen Adrianopolim miserunt, quo cum Bulgaris sese coniungat.

Qui quidem ad Kir Kilisse usque hostibus profligatis, claustra revellerunt, quibus Turcae eos ad Thraciam vergere studebant, atque post proelium atrocissimum per quinquaginta horas pugnatum Lule Burgas tenuerunt, Adrianopolim circumsidere conantes eamque ad deditionem impellere. Graeci denique ad Salonicum adventant, nonnullis Turcarum insulis, inter quas Imbrum ac Tenedum, in suam dictionem redactis.

Huiusmodi eventus non certe *statum quo*, a ceteris Europae nationibus tanto studio procuratum, in posterum servabit. Faxit Deus ne res ita impediantur atque contorqueantur, ut tantum incendium ultra Balkanicae regionis fines proferatur!

⁂

Mauritanae res.

Pactionibus tandem inter Galliam et Hispaniam circa Mauritanum imperium firmatis, sperandum est fore tandem ut Mauritanae res in melius componantur. Mulay Yussuf *sultanus*, Gallico chiliarca Gauraud comitante, petiit Mequinen. El Hibba vero, licet Marrakesch repulsus, ab armis nondum recedit.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Anglia** disceptatio de lege ad certa sua iura et leges Hiberniae concedenda perdurat: Hibernici senatus constitutio a gubernio proposita submutata est.

In **Austria** rationes acceptorum et expensarum de exteris negotiis ratae a «Delegationibus» habitae.

In **Bavaria** gubernio fines lege positi circa exercitus bellicam conscriptionem.

In **Borussia** leges de interna navigatione agitantur. Erffa dynastae, publici coetus praesidi vita functo, Schwerin Comes suffectus.

In **Dania** regali oratione popularis coetus sessionis resumptae.

In **Hungaria** ne milites popularium legatorum aulam nunquam in posterum invadant, ordinis custodes inter ipsos legatos eligendos constituti.

In **Norvegia** comitia recens habita «radicalium» quam dictitant parti faborabilia cesserunt.

PER ORBEM

Die I mens. Septembris MCMXII, sexagesimum octavum annum agens, Romae obit Iosephus Petacci, Summi Pontifici archiater.

— d. II apud Hirsowa in Danuvio flumine bellica navicula, Braila ex portu profecta, in Hungaricam vectoriam navem *Szechenyi Istvan* offendit ac mergitur. Navarchae novem inter fluctus mortem inveniunt.

— d. IV similia subaqueo Anglico lintri, ob occursum cum vectoria navi *American*, contingunt: nautae quatuordecim vitam misere amittunt.

— d. VI opifices ferriviis addicti per Hispaniam omnem ad labores suos, per multos dies desertos, tandem redeunt.

— d. VII Lucernae, quam urbem petierat ut inde Genevam ad internationalem coetum de pace fovenda se conferret, Augustus Bernaert, inter civiles Belgarum viros praeclarus, brevi morbo absumitur. Natus erat Ostendae d. XXVI mens. Iulii

MDCCCXXIX; ob eius opera ad pacem inter omnes gentes procurandam Nobelio praemio honestatus fuerat an. MDCCCCIX.

— d. VIII Cambridge in urbe, septuaginta et septem annos natus, cursum vitae absolvit Gualterius Sckeat, anglicae philologiae doctor insignis.

— d. IX Romae, in Capitolio, tertius internationalis archaeologiae conventus inauguratur.

— d. XI in insula Fionia statua Christiani IX ponitur, in qua Danorum ille rex equo insidens effingitur.

— d. XIV in fodinis ad Northill, incendium exoritur, in quo cunicularii nonaginta crudeli fato occumbunt.

— d. XV Millwaukee in urbe Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis, vita Rooseveltii illius, earumdem civitatum quondam praesidis, scelesta insani cuiusdam manu petitur. Quamquam manuballistulae pila vulneratus Rooseveltius orationem per integram horam productam populo, ea die illic congregato, habet.

— d. XVI Romae ad pontem Milvium, quo in loco fertur XVI ante saecula celeberrima illa pugna pugnata inter Constantinum et Maxentium, primarius lapis novae basilicae in rei memoriam erigendae imponitur.

— d. XVII atrae procellae Cebu insulam subvertunt, magna cum ipsorum incolarum caede.

— d. XXIII inter Smyrnensem et Adanam urbem in ferreis axibus constrata via curruum series militibus onustorum in alteram occursat mortemque hominibus ducentis, ac vulnera trecentis et ultra apportat.

— d. XXV Surrenti repentino morbo corripitur Maria Gabriel e Bavarica gente princeps foemina, uxor Ruperti principis, haud dubii regni heredis.

— d. XXVIII Romae, in Apostolicis aedibus Lateranis, adstante Purpuratorum Patrum Senatu Legatisque omnium Civitatum apud Apostolicam Sedem, decimasexta centenaria dies ex quo Constantinus Imperator, cognomine Magnus, instinctu Divinitatis, triumphum de Maxentio aemulo reportavit, sollemni ritu commemoratur.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis *eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

Card. ALFONSO CAPECELATRO. *La famiglia cristiana. — La civiltà cristiana.* — Romae, edid. Desclée et Soc., 1912. (Ven. lib. 0,60).

Mons. DEMIMUID. *La Beata Margherita Maria Alacoque.* — Traduzione dal Francese. — Indidem. (Ven. lib. 2).

I. A. CHOLLET. *L'ascetica modernista.* — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

— *Almanacco illustrato delle famiglie cattoliche per l'anno di grazia 1913.* — Indidem. (Ven. lib. 0,50).

AENIGMATA

I.

Fida ancilla vocor, dotem hanc, mea gloria, iactat;
Quae mihi concredunt pignora, servo statim.
Ut bene defendam, ingenium et pupilla laborat,
Hinc sociam dominus me facit ipse suam.
Illa ubi detineor sedes, ubi laeta morabor,
Est labyrinthaeis nexibus atra domus.
Per varias agitata vias tunc sede quiesco,
Quaesitum finem quum mea vota tenent.
Limina nec larium domino calcare licebit;
Quos ego sollicito, protero mota pede.
Me comitem recipit: quum plantas aedibus infert,
Ille tamen cedit, dum tero prima lares.
Invito factore meo, modo foemina dicar,
Masculeum corpus struxerit ille licet.
Mas mihi sit quamvis, illo non gaudeo, sexus;
Foemina namque fui, foemina semper ero.

AUG. EPIRO.

II.

Gaudet *posterior* partem resonare *priorem.*
Trans montes *totum* laeta per arva fluit.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

FABULAE SELECTAE
IOANNIS LA FONTAINE
LATINE CONVERSAE
A FRANCISCO XAV. REUSS.

Aenigmata an. XV, n. VIII proposita his respondent:

(1) Superior lupus; inferior agnus.

(2) Fur-fur.

Ea rite soluta miserunt:

Ad. Kozlowski, *Petricovia.* — Alois. Cappelli, *Senis.* — Petrus Tergestinus - Rich. Müller, *Berolino.* — Iac. Gomez, *Caesaraugusta.* — Claudius Lucensis — Alex. Pintauro; Vinc. Starace, *Neapoli.* — P. Prado, *Venetiis.* — St. Pini; F. Arnori, *Mediolano.* — Lud. Goux, *Bituricis.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — Frid. Horwath, *Vindobona.* — F. X. M., *Drepano.* — Alb. Kain, *Lublino.* — F. Wawer, *Marianopoli.* — Alb. Perraud, *Parisiis.* — A. Bounin, *Aureliano.* — Rich. Brondel, *Brugis.* — Lud. Dubois, *Massilia.* — Georg. Archambeault, *Quebeco.* — Eug. Dolmar, *Neo-Eboraco.* — Iac. Menendez, *Madrito.* — Fr. Salvatore, *Syracusis.* — I. Ortiz, *Morelia.* — E. Burg. *Monachio.* — Nic. Endrigi, *Salisburgo.* — R. Richi, *Traianopoli.* — I. Martins, *Philadelphia.* — F. Ricci. *Florentia.* Leon. Feher, *Chicagine.* — F. X. Ghion, *Ostunio.*

Sortitus est praemium:

RICHARDUS BRONDEL,

ad quem missum est opus, cui titulus:

POETARUM LATINORUM EGLOGAE
(Edidit BRANDT).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE, ex officina *Societatis Editricis Romanae.*

AD ROMAM

2)

ACTIO DRAMATICA

versibus plautinis composita et in tres actus distributa.

1. Venit nunc Romam!
4. Sed hostili spiritu?
2. E contra dicunt animo mitissimo.
Magni Constantis Constantinus filius,
Patris virtutem superavit bellicam,
Romam qui cunctis laborantem cladibus
In libertatem vindicare posuit.
Multis relatis clarus iam victoriis
Ad Rhenum milites congessit strenuos,
Eosque duxit in Italiam protinus.
Nondum sed Christi Numinis discipulus,
Patris consilium meditatus tamen,
Novam qui legem sequebatur sedulus,
Suis cum hostibus prudenter conferens,
Qui legem Christi quaeritabant insequi,
Et omnes diutius pugnarunt perperam,
Et usque Pater claruit victoriis.
Vult et precatur christianorum Deum!
Adhuc alumnus, sed christianus moribus,
Italiam volutat, mente cogitat,
Eamque quaerit magnis itineribus.
1. Verum narras?
3. Nunc praeliorum ludicra...
1. Nugas garris! Dic potius victorias!
3. Hic illic vero cessit...
1. In pugna levi,
Modo et pugnarunt industria velites.
3. Iam iam superbiam potest quis Maxentii,
Eius furorem tolerare sanguinis?
1. In nos qui Christi dicimur discipuli?
4. Deo supersunt vota nunc profundere,
Ut ille vincat, currat huc celerrime...
3. Sed adsunt milites!
1. Latrones potius!
1. Tace, sis! Prudens! Sunt et voracissimi! *(Colloquentes inter se recedunt. Tunc duo milites progrediuntur* Vitulus et Velox).

Scena II.

Vitulus et Velox.

Vitulus.

Datur mihi munus grave et non commodum.

Velox.

Quod?

Vitulus.

Audi. Dux noster nuper imposuit,
Ut audiam quidquid Romani dicerent,
Eique verbum ad verbum diligens feram.
Res est odiosa! Dicam molossicam.

Velox.

Quid est? Placet sic ipsi modo et sufficit!

Vitulus.

Per urbem currunt cives nunc liberius,
Loquuntur secum passim confidentius;
Eorum latus urgemus nos undique,
Velut solet volitans aestivo tempore
Asilus, oestrus inhaerere vitulis....,
Et quidquid dixerint, adrectis auribus,
Notamus, scribimus, ferentes ordine
Duci, qui postea refert Maxentio.
Est cui placet, mihi sed unquam militi.
Reliqui patriam, dulcem Germaniam,
Eique servio servitutem impiger....,
Bonus sed miles, non delator subdolus.

Velox.

Sed cur?

Vitulus.

Gerit sic, opinor, se Maxentius,
Timet quod miser valde ne quis audeat,
Eum quantocius de solio pellere.
Scis quam Romani saepius pellunt principes.

Velox.

Erat gravis si pater, filius gravior!
Iugum sibi volunt de collo eripere,
Solent ut usque milites..... Nunc gladio
Confossum Caesarem dederunt flumini,
Vel inter epulas... Hic novit optime
Aquae quas navigat quam sint difficiles.
Timet!

Vitulus.

Sic implet carceres!

Velox.

Et vincula
Deficiunt! Tot trudit in custodiam.

Vitulus.

Novam sentimus ipsi nos formidinem...
Enim insurgunt multae de provinciis
Iugum spernentes, clamitantes alacres...
Suum Constantinum Caesarem Galliae,
Qui claret meritis, pollet victoriis.

Velox.

Sic urbes multae, quas adpellant noricas,
Sequuntur Brixiae, Mediolani specimen;
Is Urbem magnis tendit itineribus..

(Ad proximum numerum).

I. B. Francesia.

Ann. XV. Romae, Mense Decembri MCMXII Num. XII.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

SOCIIS ET LECTORIBUS

COMMENTARII NOSTRI HUMANISSIMIS

Solent, sub anni exitum, commentarii, sive diurni sive certo tempore editi, magnis typorum formis grandiloquisque verbis ac promissionibus socios et lectores certatim allicere, ut fideles ipsis maneant, neve alio divertant. Non ita nos; qui, tria vitae lustra emensi, sublimi animo dicere possumus, unicos in via, quam cum aliis ingressi fuimus, perstitisse, ac tam fidum sociorum amorem fuisse expertos, ut iniuria fuerit vix in dubium eum revocare. Atqui eo apertius firmiusque asseverare id nobis licet, quod huiusmodi amor non alicuius privatis rationibus unquam prospexit, sed altiora petit; latinitatem dicimus illam, quam dum longe lateque negligi pessumdarique videmus, eo magis tenaci proposito ab improba atque inconsulta pugna defendere ac tueri connitimur.

Ita Vox Urbis nostra ea evasit, atque erit semper, quasi « radiationis centrum, quod animos usque a remotissimis orbis partibus amice cum Romae almae matris animo coniungere valeat »; ita praestitit atque praestabit scripta, quae socii adamussim voluerunt, quae scilicet, « populos omnes aliquo modo attingant, a publica re ad bonas artes; a litteris, ad simplici et facili stylo expressas descriptiones, narratiunculas, dramaticas actiones; ab antiquitatis scientia, ad dialogos vitae argumenta maxime communia tractantes, unde colloquia latina inire atque alere detur; a doctorum virorum scriptis nondum vulgatis aut parum cognitis ad primas adolescentum exercitationes, quae incitamentum veluti in palaestra eorum conatibus conferant; a Pontificiis denique documentis praecipuis ad iuris regulas a Sacris Congregationibus positas; haec omnia ut quisquis vel ex dissitis regionibus, vel cultu, doctrina, animi proclivitate, artibus, alter ab altero difformis, per commentarium hunc explere desideria sua possit ».

Quod autem tribus iam annis certamen prope induximus, ubi socii ad operandum nobiscum alacrius sollicitarentur, id proximo quoque anno MCMXIII persequemur, imo augebimus: sociis enim illis, quorum sive carmine sive soluta oratione scripta per annum in Voce Urbis vulgata, a doctorum virorum collegio ad hoc convocato, commendata maxime fuerint, non praemia constituimus numismatum tantum duorum argenteorum ex iis, quae Pontificis Maximi iussu quotannis in festo Apostolorum Principis cudi solent, Sacro Purpuratorum Senatui, Romanae Curiae aulicisque pontificiis distribuenda; sed ipsorum numismatum numerum offerre maluimus, qualem praefatum collegium pro sociorum scriptorum meritis iudicaverit.

* * *

Ut autem humanissimis Vobis, qui gressus nostros comitati estis in via, iisque qui proximo anno erunt accessuri, gratum nostrae Societatis animum ostenderemus, rationes aliquot componere etiam elaboravimus, quibus liceret aut *gratuito* Vocem Urbis *per integrum annum* MCMXIII *habere, aut saltem diminuto subnotationis pretio*,

quod, ut in superioribus annis, erit in Italia libellarum sex; ubique extra Italiam libellarum novem (Doll. 1, 80; Sh. 7; Marck. 7; Rubl. 4; Coron. 9).

Qua quidem in re temperanda, temporis occasioni praesertim intendimus, quo facilior maioreque cum sociorum gratia ea evaderet.

Christianus orbis ad XVI centenaria sollemnia celebranda sese accingit, ex quo Constantinus, cognomine Magnus Crucis triumphum Romanaeque Ecclesiae libertatem decrevit; inter omnes constat huius Imperatoris gesta per Raphaëlem illum Sanctium eiusque discipulos in Vaticanis aedibus fuisse penicillo miro expressa, multosque deinde artifices egregias eas tabulas aere cusas reddi curavisse. Ex huiusmodi impressionibus, quae maxima ac celeberrima habetur possidet nunc in Urbe Ioannes Panatta, qui singula tabularum exemplaria, *Pugnae* scilicet *inter Constantinum et Maxentium; Visus Crucis; Constantini baptismi, Constantini donationis Pontifici factae,* eaque magnitudine cm. 118 × 84, venalia non minus quindecim libellis prostantia, favoris pretio in sociorum nostrorum commodum libenter concessit. Qui igitur *libellas octo* praeter subnotationis pretium ad nos miserit, earum alteram quam delegerit habebit, sine ullo alio impendio si in Italia commoretur; diribitorii expensis a se ipso quum recipiat additis, si in exteris civitatibus versetur. Quod si praefatas tabulas omnes maluerit, addendae ei erunt lib. 32.

Quae secundo loco suppeditamus, ea in Sacerdotum utilitatem praecipue vertuntur, et Desclée eiusque Sociis, Pontificiis editoribus, debemus. Qui quum *Novum Breviarium Romanum,* iuxta nuperas dispositiones reformatum ita confecissent, ut vir clarissimus Petrus Piacenza, antistes Urbanus, in Pontificiam Commissionem pro Breviarii reformatione cooptatus, affirmare non dubitaverit, « impossibile fore ut Clero Breviarium forma melius meliusque redactum praebeatur », id Vox Urbis sociis antiquis novisque obtulerunt, pretio snbnotationis ex integro prorsus detracto. Socius itaque qui *libellas quadraginta quattuor* miserit — (hoc enim pretio venit opus) — Vocis Urbis omnes fasciculos qui proximo anno prodibunt obtinebit; obtinebit et magnificum hoc Breviarium, charta vere Indica in 16° (15 × 9) impressum, splendide ac solide ex pelle vulgo *zigrino* conglutinatum, foliorum sectione eleganter aurata. Quin etiam simul cum Breviario *gratuito* ab editrice domo « Proprium Dioecesis » religabitur, si socius id ipse miserit, aut emi iusserit, addito, prouti par est, « Proprii » eiusdem pretio.

***

Quibus declaratis, id unum nobis restat, ut novum annum bonum, faustum felicem, sociis lectoribusque Commentarii nostri omnibus, itemque latinae rei, iterum iterumque ominemur ex animo!

VOX URBIS.

QUAESTIONES ESCHATOLOGICAE

" Utrum Purgatorii ignis sit realis an metaphoricus "

Angelicus Doctor, de existentia, necnon acerbitate poenarum Purgatorii, hisce verbis loquitur. (1): « In purgatorio erit duplex poena; una damni, in quantum scilicet retardantur a divina visione; alia sensus, secundum quod ab igne corporali punientur; et quantum ad utrumque poena purgatorii minima excedit maximam huius vitae ». S. Augustinus de primae poenae acerbitate scribit (2): « Perire a regno Dei, exsulare a civitate Dei, alienari a vita Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei... tam grandis est poena, ut ei nulla possint tormenta quae novimus comparari ». Liber aureus, cui titulus est « Imitatio Christi » de secundae poenae acerbitate hisce verbis loquitur: « Ibi erit una hora gravior in poena, quam hic centum anni in gravissima poenitentia ». (1)

(1) 4 Sent. d. 21. q. 1. a. 1. Sol. 3.
(2) *Enchir.* c. 112.

Circa tamen poenam ipsam sensus, quae poena ignis est, specialis exurgit difficultas, an videlicet ignis iste, realis an metaphoricus sit. Penes incredulos modernos, satis sit Zinus Zini, (2) pro quo mota quaestio, nonnisi derisionis obiectum est. Catholicorum mentem investigare, eorumque solutiones afferre placet.

***

Mens Sanctorum Patrum a duobus theologis recentioribus ita exprimitur. Patres — scribit Einig (3) — conferunt ignem inferni cum igne terreno, nec discrimen utriusque unquam ponunt in eo, quod alter proprius sit, metaphoricus alter, sed quod ille hoc sit atrocior ». Dubium esse non potest, — scribit cl. P. Pesch, (4) — quin Patres magno consensu ignem inferni materialem esse docuerint, quamvis negandum non est,

(1) Lib. I, c. 24, 4.
(2) *Il Pentimento e la morale ascetica.*
(3) *De Deo consummante.* Thes. 4 b.
(4) *Propaed.* n. 658-659.

esse S. S. Patres qui, Origenem secuti, ignem metaphorice explicent ».

Medii aevi theologi, pro corporeo igne militant. Poena, — inquit S. Thomas (1) — debet respondere culpae. Sed anima per culpam se corpori subiecit per pravam concupiscentiam. Ergo iustum est ut in poenam rei corporeae subiiciatur per passionem... Supposito quod ignis inferni non sit metaphorice dictus, nec ignis imaginarius, sed verus ignis corporeus, oportet dicere quod anima ab igne corporeo poenas patietur... Quae (in Scripturis sacris) animabus damnatorum praenuntiant poenas corporeas, utpote quod ab igne inferni cruciabuntur, sunt secundum litteram intelligenda ».

B. Albertus Magnus (2) scribit: « Absque dubietate corporeus ignis cruciat daemones; quod fide teneo: quamvis non plenarie sit intelligibile... Standum est dictis illorum qui revelationem a Spiritu Sancto acceperunt. Illi autem dicunt, quod ignis sit corporeus... et hoc ideo tenendum et credendum ».

S. Bonaventura (3) scribit: « De poena purgatorii hoc tenendum est, quod ignis purgatorius est ignis corporalis... Hac autem afflictione, ab igne corporali eis inflicta, purgantur spiritus a reatibus... Ordo divinae iustitiae exigit, ut spiritus ab igne materiali habeat puniri... Tam peccator spiritus, quam homo, igni corporeo alligatur, non ut in illum influat vitam, sed ut divino decreto suscipiat poenam ».

In quadam Ephemeride (4) circa purgatorium ignem haec leguntur: « Consideratis difficultatibus, quae contra Purgatorii ignem corporalem moventur, contactus siquidem cum puris spiritibus necessarius foret, consideratisque theologorum solutionibus, quae nullimode satisfaciunt, nobis videtur, omnia haec evitari posse, si pro poena ignis benignior detur interpretatio ». Interpretatio huiusmodi in analogia quadam inter Purgatorium vitae mysticae et Purgatorium animarum post mortem fundatur. Revera: Theologia mystica, tribulationes quibus sub actione Dei anima, antequam ad se cum Deo uniendum modo perfecto perveniat, subiicitur, examinat. Summitas vitae mysticae connubium quoddam spirituale est, videlicet, sensus praesentiae Dei in anima nunquam interruptus atque divinae unionis cum ipsa. Verum, ad summitatem istam, nemini pervenire conceditur, nisi per longam tribulationum seriem transeundo, quae tribulationes « noctes » a S. Ioanne a Cruce vocantur, eo quod, tali in statu, facultates tum spirituales tum sensitivae animae, quum a delectationibus, quae in creaturis invenire consueverant, separatae sint, a noctis tenebris circumdatae veluti oculi luce carentes inveniuntur. Actio rursus amoris Dei animam per diversos gradus vitae mysticae usque ad unionem perfectam ducentis per imagines ab igne desumptas, a S. Ioanne describitur. Nox haec, ait ille, haec cognitio amans, vel lumen divinum, animam purificat, eamque ad unionem perfectam, eo modo quo ignis lignum transformat atque comburit, disponit. Ex huiusmodi purificationis passivae, quae in vita mystica ponitur, notitia, analogia inter Purgatorium nostrum ac mysticorum Purgatorium existens facile percipitur. Analogia haec tum in nomine, tum in tribulationum, quibus anima in utroque Purgatorio subiicitur, scopo invenitur. Tribulationes siquidem tum in uno tum in alio, ad animam purificandam deserviunt, ut postea, ad perfectam cum Deo unionem perducatur. Modo, ex finis analogia, forsitan temerarium erit, ad mediorum analogiam quae nobis a Deo dantur, ut ad eum ducamur, assurgere? Ordinis divini unitas atque oeconomiae lex hoc postulare videtur. Roborantur dicta per descriptiones, quas libri « de Purgatorii animabus » agentes, nobis tradunt. Sancta Catharina Genuensis in libro cui titulus est « *Trattato del Purgatorio* » descriptis animarum Purgatorii poenis, aperte declarat, in semetipsa easdem poenas se expertam fuisse, ita ut, ignis animas torquens, nonnisi amoris divini ignis sit.

Alia quoque analogia inter utrumque Purgatorium assignatur. Etenim profunda nox, vacuum quod ab amore mystico in animabus producitur, quodve facultates earumdem sensitivas inertes reddit, vividius ab animabus Purgatorii experitur, quum in eis facultates sensitivae nedum ligatae, sed propter corporis dissolutionem, extinctae sint. Ideoque anima, actiones sensuum externorum, uti videre, sentire, etc., exercere amplius non valet; sedet solitaria, atque respectu vitae suae interioris, veluti tenebroso circumdata carcere. Anima rursus, in ordinariis intellectus operationibus turbata, neque ad ratiocinandum prouti ei placet valens, licet suprema occupetur veritate, homini febri laboranti comparatur, qui clamat: « Neque ad cogitandum neque ad ideas colligendas, valeo ». Voluntas praeterea, quum in Dei charitate, qui eam ad se vi irresistibili attrahit sit absorpta, una ex parte gaudio superabundat, ex alia vero propter suarum poenarum sensum, amaritudine opprimitur. Anima denique, vanitatem rerum mundanarum propter earum ad Summum Bonum quod ipsa clarius videt oppositionem tam vivide percipit, ut repulsionis ac abominationis affectus erga omnia quae non ducunt in Deum oriatur. (1)

***

Modernorum theologorum sententia ad antiquorum sententiam accedit. Theologi catholici, — inquit Einig, (2) — nemine fere excepto, quamvis in modo rem explicandi difficultatem non diffiterentur, ac in diversa abirent, in igne vero ac proprio admittendo usque ad hodiernum diem conspiraverunt ». Knabenbauer (3) scribit: « Christus ea voce utitur in sententia iudiciali, qua fieri nequit, ut ignis solum metaphorice dicatur

(1) Suppl. 70, 3; 100, 5; *opusc.* 1. c. 183, *ad F. Reg. Vives 25.*
(2) Sent. d. 44, 37, 38.
(3) *Brevilq.* p. 7, c. 2 et 6.
(4) *Revue du Clergé français*, 1. Oct. 1902.

(1) Cf. parvum librum P. Fei, *De alio mundo.*
(2) *De Deo consum.* Thes. 4.
(3) In Matth. 25, 41; II, p. 383.

de angoribus ac cruciatibus conscientiae. Talis acceptio insuper excluditur, quum reprobi iubeantur in illum ignem ingredi, qui paratus est diabolo. Quibus verbis supplicia exprimuntur, quae a causa quadam externa cruciante infliguntur. Haec causa nomine ignis significatur, igne autem dolores infliguntur quam maxime acuti et ingentes... Est itaque ignis, sed sui generis ».

« Communiter — ait P. Pesch (1) — docent theologi poenam sensus (praecipue) effici per verum ignem. Addunt vero, hoc non esse dogma fidei neque contrariam opinionem mereri gravem censuram: satis enim est, si improbabilis censeatur ».

« Fit ne purificatio animarum per ignem an non? » quaerit Oswald. (2) « Respondemus: non adest necessitas quaedam dogmatica ignem realem admittendi. Plures theologi putant, quod sententia haec est fidei proxima » sed sine sufficienti ratione; Ecclesia enim nihil definivit, et Patres partim opinando, partim dubitando mentem suam manifestant. Interea, putamus nos, sententiam, quae in Purgatorio ignem admittit longe esse ceteris probabiliorem: *a)* Quia non repugnat ignem corporalem in animam separatam agere. — *b)* Quia verba Epistolae I ad Cor. 3, de igne Purgatorii intelliguntur dicta. — *c)* Quia maior pars doctorum Ecclesiae pro igne militat ».

Hisce omnibus addendae sunt Congregationum Romanarum decisiones. S. Poenitentiaria (30 Apr. 1890) parocho Mantuensi quaerenti an poenitens asserens ignem inferni metaphorice intelligendum esse de gravissimis reproborum poenis, in suo sensu relinqui posse et absolvi, respondit: « Huiusmodi poenitentes diligenter instruendos esse et pertinaces non esse absolvendos ». S. Cong. S. Officii (19 Iulii 1893) damnavit scripta Angli Mivart, materialem inferni ignem negantis.

***

Liceat propterea S. Augustini (3) verba repetere: « Cur non dicamus, quamvis miris tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse poena corporalis ignis affligi? ».

REGINALDUS M. FEI O. P.

(1) *Praelect. dog.* t. IX, n. 602.
(2) *Eschatologie Das Fegefeur*, § 8.
(3) *De Civitate Dei*, 15, 10.

SELECTA EX BIBLIOTHECIS ET ARCHIVIS

Multam dandam esse litteris, at non multis operam. (1)

... Doctrinarum omnium, ut virtutum, quoddam esse inter se vinculum, neque posse quemquam in una aliqua sic versari, ut excellat, qui non sit reliquarum etiam omnium copiis atque opibus instructus, possum facile stoicis assentiri. Hinc ille doctrinarum cursus, ac tamquam orbis exsistit, quem Graeci propterea encyclopedian dixerunt: quem qui potuit universum conficere, is demum cumulate doctus ac plane sapiens existimatur. Praeclara profecto res ac magnifica, multorumque mortalium studiis acerrimis expetita; verumtamen eiusmodi, quam nondum quisquam assequi complectique potuerit. Nam, quamquam nonnullos aut legimus, aut audivimus, doctrinis omnibus excultos, sapientissimos evasisse, id non ita intelligere debemus, quasi nihil ab iis fuerit, dignum studiis hominum ac cognitione, praeteritum; sed ita, ut tantum quisque in cognoscendo profecerit, quo plus, qui simile ingenium ad discendum attulerint, paremque industriam adhibuerint, proficere non potuerunt. Nempe hanc in omni rerum natura aestimanda regulam normamque adhibemus, non ut eas per se ipsas consideremus, sed ut, ad res alias in eodem genere referendo, quantum aliis aliae praestent, iudicemus,

Nam neque magnum appellare possumus in rebus humanis quidquam, neque multum, neque aliquid tale, nisi cum aliis magnis, multis, ceterisque similibus unumquodque comparetur. Qua etiam ex re fit, ut quae summa esse in aliquo genere existimamus, ea excellere atque praestare in illo eodem genere dicamus; ut non modo sine comparatione iudicare de rebus non possimus, sed neque iudicia ipsa nostra sine comparandi significatione iisdem de rebus expromere. Atque haec quidem omnis disputatio, non mea, hominis indocti, sed sapientissimi Socratis apud Platonem, ea mediaque ipsa Academia repetita, eo pertinet, ut ne nos vulgi opinionibus abduci abripique patiamur, neve iis, quos in omni temporum memoria, doctissimos, sapientissimos, ac, si superis placet, minus quidem latino, verumtamen splendidissimo gloriosoque vocabulo *omniscios* appellatos cognovimus, nihil doctrinae, sapientiae, scientiae ullius defuisse arbitremur. Non est profecto, non est huius imbecillitatis ingenii nostri, non exigui huius spatii, quod est homini ad vivendum datum, non denique ipsius naturae rerum, quae in infinita cum varietate, tum difficultate versatur, omnia pervidere, omnia nosse, omnia meminisse. Fuit ista quondam Sophistarum veterum arrogantia, quorum princeps Leontinus Gorgias poposcisse in conventu Graeciae quaestionem fertur; deque omni re, quae in disceptationem vocaretur, professus fuisse, copiosissime se esse dicturum. Haud paullo arrogantior Eleus Hippias ex eadem disciplina fuit; quem ait Cicero (1) quum Olympiam venisset, maxima illa quinquennali celebritate ludorum, gloriatum esse, cuncta paene audiente Graecia, nihil esse ulla in arte rerum omnium, quod ipse nesciret; nec solum has artes, quibus liberales doctrinae atque ingenuae continerentur, geometriam, musicam, litterarum cognitionem, et poetarum, atque illa, quae

(1) Ex oratione habita de hac re Florentiae III Id. Ian. MDCCXXXIV coram Fabritio Serbellonio, Romani Pontificis ad Magnum Etruriae Ducem legato.

(1) *De Or.*, l. III. c. 127.

de naturis rerum, quae de hominum moribus, quae de rebus publicis dicerentur; sed annulum, quem haberet, pallium, quo amictus, soccos, quibus indutus esset, se sua manu confecisse. O hominem singularem! o miram professionem, ac prope horribilem! De qua profecto idem sentiendum puto, quod de quorumdam testimonio, qui mira quaedam de Marco Antistio Pyrgensi dicerent, optimum eum colonum, parcissimum, modestissimum, frugalissimum esse, Marcus Aemilius Lepidus censor libere festiveque respondit, nihil se illorum credere (1). Certo Socrates, qui, cum Gorgia veluti compositus congressusque, de ea arte, quam sophista ille profitebatur, multa subtilissime ac prope divinitus disputans inducitur a Platone, (2) eo hominem confidentissimum adigit, in easque angustias, et interrogando et instando, compellit, ut tandem loquacissimus ille obmutescat. Quique se omnia scire profitebatur, omnino, quid respondeat, reperire non possit. Quanto modestius idem Socrates quantoque commodius, id unum se scire, professus est, quod nihil sciret? Atqui philosophiam, morum illam vitaeque magistram, primus philosophorum e caelo, ut ait Tullius, evocarat, idemque eam, quae physicis continetur, universam lustrarat, et, id, quod ex *Timaeo* Platonis intelligimus, multis partibus auctam illustrarat. Quid? Aequalis Socratis Democritus? Quocum Cleanthes, Chrysippus, reliquique inferioris aetatis philosophi comparati, esse quintae classis eidem M. Tullio videntur, (3) nonne sophistarum, eiusdemque generis hominum levitatem contraria professione auctor gravissimus refutavit: « Nego — inquit — scire nos, sciamusne aliquid, an nihil sciamus: ne id ipsum quidem nescire aut scire, scire nos ». Nimis hic quidem, plus certe quam ille Socrates, non modo de sua, sed de omnium mortalium scientia detraxit. Potuit uterque aliquid, mea sententia, hominum studiis relinquere, neque animos a discendo tam severa tristique oratione deterrere. Sed, quamquam hominum ingenia ac facultatem ex iis augustiis, in quas illi philosophi coniecerunt, in campum paullo patentiorem eduxerimus, nec omnem omnino scientiam ex humanis mentibus sustulerimus, sciendi tamen fines haud ita multum propagabimus; nec quantaecumque, quamque diuturnae nostrae contentiones exstiterint, illud efficere unquam poterimus ut non multo plura, quam quae scierimus, nesciamus. Moderemur igitur studiis nostris, discendique immensam cupiditatem illam coerceamus: ne, si omnia omnium artium scire voluerimus, plus quam natura rerum patitur, hominisque conditio fert, expetere videamur.

Quid? Si non modo non omnes artes scientia et cognitione complecti, sed ne singulas quidem perfecte ac cumulate callere possumus? Audebimusne etiam, flagrabimus, aestuabimus omnia cognoscendi cupiditate? An non potius sapienter omittentes, quae omnino nos consequi posse diffidimus, in unam artem aliquam studio et cogitatione conversi, illam tamquam Spartam, vel quae nobis forte obtigerit, vel quam consilio delegerimus, pro virili parte exornabimus? Equidem (ne Socratem adhuc atque Democritum dimittamus) saepe mecum ipse quaesivi, quid illis hominibus, certe doctissimis, in mentem venerit tam valde testari, « nihil se scire »: ac propemodum eo aliquando adducebar, ut crederem voluisse eos, aut discendi spem hominibus, ut soli ipsi saperent, adimere, aut potius modestiae opinionem quandam apud vulgus ea praedicatione captare. Sed neque ambitionis suspicio in tantam virtutem cadere, neque ullius invidiae potest; neque profecto, qui tam multis aliis sermonibus doctrinas hominibus commendarant, easque cum auditoribus suis in gymnasiis magna cum voluntate communicarant, quique non minus inscientiae, quam arrogantiae reprehensionem vitandam esse intelligebant, aut aliorum doctrinarum studia retardare, aut existimationi suae detrahere quidquam voluerunt. Quid ergo est? Illud profecto. Intelligebant sapientissimi homines, scientiam mortalibus ullius artis, nisi omnia, quae ad illam artem pertinerent, perfecte tenerentur, nullam contingere: nihil esse autem in ulla arte, quod non ad singulas alias pertineret: itaque necesse ei esse, qui unam scire vellet, scire omnes: scire autem omnes non licere: igitur ne unam quidem sciri posse: ac propterea nihil se, nihil quemquam scire. Fateor esse hanc exilem quamdam (ut M. Antonii illius eloquentis verbis utar) spinosam orationem, longeque a nostris sensibus abhorrentem: sed eamdem verissimam esse confirmo, et tum ad animorum arrogantiam, si quis forte sibi scientiae opinione placuerit, minuendam, tum ad studiorum impetus, si quis omnia aut pleraque concupierit, retardandos, valere plurimum censeo.

Hieronymus Lagomarsinus S. I.

(1) Apud Cic. II. *De Or*, c. 287.
(2) In *Gorgia sive de Rhetor.*
(3) Lib. IV. *Academ. quaest.*, c. 73.

ARMORUM SOCII

Qui mores, legesque olim componere foedus
Impulerint fraternum equites, et stringere dextras
Armorum ritu, expediam. — Non taedia belli
Non illos timor, aut trepidae socordia mentis
Fraternas vices sociare, alternaque iura
Armorum: at certos laudum sibi quaerere testes
Ambitio voluit, comitesque optare viarum
Errando ut longos possint lenire labores;
Aut si quid gravius sors adversata tulisset
Fraternis errantem animam complexibus ultro
Ore legant, cinerique pio sacra munera solvant.

Legibus his equites primum atque hoc auspice ritu
Devincire animas aeterna in foedera sueti:
Aut ferro fratris salientem incidere venam
Alter et alterius raptim admiscere cruorem
Ipse suo, aut clypeos mutare ensesque vicissim.

Quin etiam caeleste epulum frugesque sacratas
Alterna sibi libandas apponere dextra
Interdum soliti. Ex illo paria arma gerentes,
Vestibus induti paribus, discrimina rerum
Ac tentare vagos incerto tramite cursus
Ultro ausi, et paribus caput obiectare periclis.
Magnanimi iuvenes, queis vivax gloria cordi
Resque Dei! hinc pulcram pro relligione volentes
Pugnando mortem oppetere; hinc eventa subire
Incerta, et longe terras peragrare remotas.

Saepe etiam armorum ludis, duraque palaestra
Dum belli simulacra cient, certamine gaudent
Ostentare animi vires, invictaque membra,
Dumque alios ineunt cursus, aliosque recursus
Orbibus excipiunt, infestaque tela lacessunt,
Cominus et gladio, aut adducta longius hasta
Procurrunt, fervent cunei plaudente corona.

Quin adeo (posita mitescunt indole saecla)
Vana superstitio, et pietas male conscia veri,
Militiae heroas suasit sua fratris ad aurem
Poplite deflexo et lacrimis malefacta fateri
Vindiciasque pati, et meritas exposcere poenas.
Sic Galli proceres, quos barbara vincla premebant
Dum iam illis elato ins'aret acinace tortor,
Demisere caput ferro deterge:e labes
Mentis et alterno certi se absolvere ritu.
Sic expers terroris Eques ferale subibat
Baiardus lethum crudeli vulneris ictu.

Nam dum raptus equo stipata per arma per hostes
Volvitur, et multis angustat caedis acervis
Qua fert cumque pedem, nullis pallere periclis
Assuetus, mortemque ferox pro laude pacisci,
En subito horrendum stridens vi turbinis acta
Glans flammata ruit, quae plumbo terga flagranti
Diffidit. Horruerunt torpentia membra stupore,
Ast animi crevere Viro: spirantia terrent
Lumina adhuc, ceu flamma micant cum deficit humor.
Armigeri excipiunt ulnis: cervice reposta
Ipse iacet clypeo subnixus; tum crucis instar
Compositum gemmis capulum premit aeger anhelo
Pectore, inexpletum supremaque oscula nisu
Figit, et armigero secreta ex ordine promens
Crimina onusque animi ponit, veniamque precatur.

Scilicet obductis inculta aetate tenebris
Coeca superstitio pietatis imagine fallax
Illusum vanis maculavit ritibus orbem.
At saltem impietas aberat, nec spreta iacebat
Relligio: ac si quid tandem peccare necesse est,
Haud equidem optanda haec terris bacchata propago
Contemptrix Superûm, cultumque Deumque perosa.

NICARINUS. (1)

(1) Obscuro sub nomine latet vir clarissimus, magnis nunc Ecclesiasticis honoribus pro meritis auctus, qui carmen hoc, pro sua benignitate in nostris paginis vulgandum ultro datum, vix sexdecim annos natus composuit. Ecquis nostris diebus in scholis secundi ordinis ad similia heu! valeat? Scilicet alia ratione alias, alioque cum fructu latinae rei vacabatur! — *V. U.*

AD SANITATEM TUENDAM (1)

Venio igitur ad eos praesertim, qui victu pascuntur simplicis herbae, ut eos cum Ensishemensi doctore moneam, quae ipsis sibi praeferenda sint, quae vitanda.

Utilis est stomacho lactuca, remollit et alvum,
Candidulum ac semen somnia vana levat...
Spinachiam comedas si mollem, proiice primum
Ius: stomacho poterit sic minus esse mala.
Haec levat in primis multum praecordia dura,
Et fert clamosis commoda pleureticis.
Caulis Romana, Graecorum brassica lingua,
Dicitur haec ventris posse levare moram;
Atque omnes narrant caligine lumina tergi
Eius qui caulis comedit ecce comas.

Oculorum vero acies aliis quoque herbis servatur; sic
Herbula quam Graeci dixerunt mellisophilon,
Borragin nostri, dentibus antidotum est;
Lumina purgari caligine Plinius inquit,
Illius succo perlita si fuerint.

Itemque ruta quae « occultum fertur resecare venenum, »
... nervos schiasimque iuvat, febribusque medetur
Et confert luscis maxime luminibus.

Contra, anetum assiduo bibitum, ut in superiore numero indicavimus, visui nocet. —

Ad stomachi autem medelam, audite aliquot herbarum aliarum peculiares virtutes:

Vim calidam siccamque gradu fert mentha secundo,
Quam stomachus languens maxime adesse cupit.
Poeonias artes si vis negligere, spernas
Andrachnen, (2) stomacho quae solet esse mala.
Fervorem solis tamen haec comesta nocere
Non sinit aestivum, Plinius ut docuit.
Constat terribiles absinthia posse dolores
Pellere citrinos; ecce potata iuvant;
Atque iuvant stomachum mira virtute solutum;
Anginam pellunt, fastidiumque levant.

Non vero uni absinthio tot mirae qualitates; nam
Capparis et folio, flore et laetare palatum
Dicitur, et splenem posse iuvare satis,
Atque iecur clausum valeat reserare potenter,
Vesicae et patulas reddere posse vias.

Salvia pariter iecori prodest quum vino misceatur:
Trita venenatos iuvat et superaddita morsus,
Estque salus tremulis salvia poplitibus.

Sambucus perfecte culinas exornat, quippe quae
Herba quidem mollis, et bene grata cibis.
Serpillum miscere cibis languentibus est mos;
Compescit ventris tormina namque mala;
Aegroti capitis solet et sedare dolores...

Ventris, e contra, dolores vincere bethonica
Dicitur, a coena si modo sumpta fuit.
Plinius hanc inquit qui secum gesserit herbam,
Illi nec poterunt ulla venena dari.

(1) Cfr. num. X.
(2) Vulgo *portulaca*.

Denique

Marubii varios compescit potio morbos
Pectoris; hoc tussim sanat et asthmaticos,
. . . .
Et iuvat ictericos, vulnera mundificat.

Pauca de radicibus et tuberibus:

Raphanus in dentes, caput et bona lumina saevit,
Atque hinc ventriculos nauseat assidue.
Rapa quidem calida est et corpus reddere potest
Obesum, felix humiditate sua.
Allia qui mane ieiuno sumpserit ore,
Hunc infecta nequit laedere lympha quidem.
Pulmonis varias, coctum cum lacte (?!), querelas
Proscribit, tumidos et iuvat hydropicos.
Fallitis non esse bonas (ait ipse Galenus)
Caepas, phlegmaticis sed bene proficuas.
Affirmant omnes mensis inferre saporem,
Et tremulis membris reddere posse robur.

Insint conviviis madentia tubera rore; sunt enim
..... faciles stomacho, sunt adducentia chymos;
absit contra fungus, quem « lepram terrae » noster vocat,
Et facit ut sanguis corruptus corpora tangat
Udus, qui nimium febricitare docet.

***

Ab herbis ad fructus breve iter: spicas legamus:

Pertica sicca tenent ventrem, quae mollia solvunt;
Ardenti stomacho sunt bene fida eadem.
Et vacuum ventrem adstringunt modo pira, repletum
Solvunt, iliacam sed peperisse valent.
Prunaque conveniunt, quae mittit clara Damascus,
Namque solent duri solvere ventris onus;
Adstrictam solvunt alvum, sed pruna reposcunt
Prandia prima quidem, dum calor esse solet.

Pruna autem silvestria « frigida sunt.... »; pinea
« intestina fovet nervisque subvenit »;
Acria confortant stomachum si sole perusta
Cerasa, Lucullus quae intulit Italiae
Arbuta, sorba tenent fluidos et mespila ventres,
Si vacuus stomachus sumpserit illa simul.
Fervet et emollit si dulcis, amygdala; amara est
Asperior, mensas nesciat illa tuas.

Castanea, « nam calet igne nimis » in caput ventres fertur superbire; ficus, si nova, nocua est, nam fluxibus apta
Narratur, siccae ni sociata nuci est.

Nux communis vero
..... caput obtundit, linguam convulnerat, et nux
Pulmonem laedit; sed virus omne necat.

Itaque

Pontica nux capiti nocet, et tardissima ventri est,
Maxime quae umbrosis nascitur in corylis.

Audiamus, quae spectant ad mala:

Corda iuvant flammis agitata, at noxia ventri
Mala quidem; nervis haec nocuisse patet;
Omnibus, ecce, nerantia sunt gratissima odore;
Dulcia confortant, pectoribusque favent.

Mala punica

Dulcia sunt madidi roris, sicci acria;.....
..... pulmoni haec sunt mala, at illa bona.

Sub finem mensae confecta cydonia prosunt;
Nam stomachi claudunt claustra benigna tui;
Cum tibi Cecropio confecta cydonio melle
Ponuntur, ventrem claudere certe queunt.

De uvis unicum hoc praeceptum affert Willinganus:

Quam nigram gustes, quae sit tibi gratior uva,
Neve inflet soles si remorata duos.

***

Non unicum vero monitum de uvarum succo; postquam enim de modo bibendi generatim adnotat:

Saepe bibas, semperque parum, si vivere sanus
Ipse cupis; pocla maxima sunt bezoar;

vini virtutes celebrat:

Corda iuvant vini calices, subitamque reportant
Laetitiam, vinum si moderate bibas.

Ecquod autem optimum vinum?

Si tibi delectum vini praescribere tentas,
Subrubeos primas crede tenere cados.
Hinc albo palmam tribuunt, sed maxime claro
Aetatis mediae, nam nova musta nocent.
Sunt nutritiva plus dulcia candida vina;
Sed iecur obturant, non bene tuta gulae.
Fortia disturbant nimiumque frequentia vina
Sensus, corrumpunt ventriculumque bonum.

Sunt insuper vina non ex uvis, sed aliis herbis confecta, in usum medicum plerumque adhibita; num haec poterat Ensishemensis archiater silentio praeterire? Itaque docet:

Potificos antidotum est vinum de rore marino:
Confortat visum, cuncta venena fugat.
Dat sibi borago vinum, quod curat amentes.
Cardiacam tollit, laetitiamque facit.
Ex hyssopo latices patientibus ecce catarrhum
Proscribunt, pectus mundificare queunt.

Salvia denique cum vino « iecoris querelis prodest ». At nihil de aqua? — Absit; sed

Potus aquae laedit ventrem, facit atque cruores
Crudos: sic princeps Corduba quem genuit.

***

Ut ciborum argumentum absolvamus, pauca restant de lacte, butyro, caseo, oleo olivarum, melle et ovis. Iuxta nostrum,

Lac nocuum capiti est, putridis et febribus; istud
Sed praestat caprae; post ovis; inde bovis.
Lac dabit aërei tibi condimenta butyri,
Quod facit ut sapiant fercula cuncta tibi.
Caseus ante cibum confert, si defluat alvus;
Si constringatur, terminet ille dapes.
Exornat regum mensas sal (?!); cetera vincit
Condimenta; cibos sal facit esse bonos.
Absque oleo lactuca quidem condita, saporem
Insipidum praebet, mollit et hoc stomachum.

Pectoribus, stomacho frigenti aptissima mella;
Flava quidem, uti narrant, sunt magis apta gulae.
De ovis haec regulae pro lege tenendae:
Quod bona sunt ova parvula, longa, nova.
Mollia pectus alunt, tussim sedantia raucam;
At durata time; nec diuturna placent.

***

Absoluta tandem de cibo potuque tractactione, quae est pars maxima operis sui, Georgius Pictorius noster ad alias «res non naturales» devenit; motum et quietem, somnum et vigilias, repletionem et inanitionem, ad ea denique, quae de «animi accidentibus» sunt. Hanc viam magnis itineribus percurrit, in eaque non dissimili ratione ipsi nos insistemus, illamque etiam ob causam; quod, — pii doctoris medici Manes nobis parcant! — aliquot in locis auctoris mentem deprehendere nequivimus.

Itaque haec satis sint cuique mente tenere:
Ante cibos igitur moderatis gressibus uti
Convenit; a mensa sed iuvat ipsa quies.
Ambulet a coena sole ingrediente Leonem,
Eligat et focum, dum bene Capra nitet.
Quod motus valeat Peligni carmina vatis
His verbis pandunt, quodve quies valeat.
Cernis, ut ignavum corrumpant ocia corpus,
Ut capiant vitrum, ni moveantur, aquae.
Quod caret alterna requie durabile non est;
Haec reparat vires, fessaque membra iuvat.
Motum aliquando supplere frictio potest,
Sensus quae nutrit, calor ex qua crescit amicus,
Et firmat melius languida membra simul.
At vero
Excessum somni fugiat, qui corpore salvus
Esse cupit, morbos seu pepulisse graves.
Et septem horarum somnum sufficere credat,
Qui mentem et corpus corroborare queat.
Longior humectat cerebrum, torpedine corpus
Inficit, et frequens rheumata multiplicat.
Ast praelibatas si quis cognoverit escas
Duras, tunc somnus longior esse potest.
Sunt ii tamen, quibus longo somno perfrui queat:
Hos iuvat immensum somnus, quos arida crasis
Nutrit, sed pingues plus vigilasse iuvat.

Non aliter ac somnus nimis productus, vigiliarum quoque excessus mala damna ministrat;
In medio est igitur virtus; tenuere beati
Nam medium; medium pensitat ipse Deus. (?!)

Circa «repletionem atque inanitionem» monemur, veris tempore minuendum sanguinem, stomachi cor per vomitum purgandum, hepar per intestina, cerebrum per nasum:
Balnea morbosum recreant sulphurea corpus;
Ast eadem sanum pertimuisse velit.
Si gelida ingrederis, roboras, mihi crede, calorem;
Balnea sed tepida sunt fugienda tibi.

At vero ultimum praeceptorum caput praestat audire, in quo reapse omnia servandae vitae praecepta contineri, quamquam ad Epicureum satis ritum, dicendum est:
Qui cupit Euboicae vatis complerier annos,
Delicias tractet, gaudia, mille iocos,
Laetitias, risus, ludos dulcesque cachinnos,
Nam sanum exanimant ira, metusque graves.
Nodosas rerum causas ac alta relinquat,
Neque velit mentem sollicitasse nimis.

Quae quidem nonnullos Fracastorii versus in mentem mihi revocant, quibuscum, parum fortasse notis, neque ipsis iniucundis, et clarissimo archiatro, et vobis, lectores benevolentissimi, tandem valedico:
Tu tamen interea effugito, quae tristia mentem
Sollicitant, procul esse iube curasque metumque
Pallentem, ultrices irae: sint omnia laeta.
Alma Ceres te in hoc, Bacchi quoque laeta iuvabunt
Munera; sic dulces epulae, sic copia rerum,
Sic verbis, sic ruris opes ut summa voluptas,
Visere saepe omnes nitidos, iucundaque Tempe,
Et placidas summis sectari in montibus auras.

Forfex.

DE PAULO VERONENSI PICTORE
DEQUE EIUS TABULA
Magos Reges referente ad pedes Iesu

Paulus Caliari, renascentis quae dicitur aetatis inter pictoriae artis magistros praeclarus, Veronensis cognomine est notus, quod ex patria suscepit. Magno praeditus ingenio, ut e pueris excessit, ad res lineis atque coloribus describendas totus se addixit, Antonii Badillo, avunculi sui, huiusmodi disciplina usus; quem brevi ita superavit, ut eius famam penitus obscuraverit. Titiani Vecellii stylo propius accessit, Iacobumque Robusti, vulgo *il Tintoretto*, continenter voluit aemulari, quem nisi pingendi vi, tamen venustate atque magnificentia certe vicit. Quin imo et vultuum suavitate (mulierum praesertim ac puerorum), et vestium repraesentatione, quas cum veritate atque simplicitate summa, splendide miroque vigore reddidit, a nullo homine eum aequatum haud iniuria dixeris. Id verum, quod critici ei culpae verterunt, tabularum comprehensiones absonas interdum ac mendosas apud eum videri; nihilominus rerum complexio ita oculis offertur, ut ad admirationem omnino trahat, nec defectibus colligendis locum ullum relinquat.

Huiusmodi virtutes ac vitia et in tabula deprehenduntur, quam (licet coloribus, idest maxima pictoris commendatione, destitutam), sub oculis lectorum hodie ponimus, antiquum morem sequuti, quo tempore Nativitatis Dominicae memoria quotannis recolitur, artis specimen aliquod de argumento exhibendi. Proculdubio neque loca neque



Pauli Veronensis tabula Magos Reges referens ad pedes Iesu.

personarum habitus cum historia cohaerent: non illud certe fuit Bethlehemiticum tugurium; non certe illos reges comitabatur stipatorum illa loricata cohors, nec praeco ille, nec ille falconarius cum accipitri suo ad venationem instituto... Verum qui ubique magnifici paludamentorum ceterarumque vestium apparatus! Quae pompa in ipsa figurarum distributione! Quam placida Deiparae imago! Quam iucundus pueruli Iesu vultus; de quo nescis utrum admiratione magis an innocenti laetitia raptum suaviter affirmaveris! Neque conspicienti tibi gratus minus acceptusque erit puer ille regius tanta vultus itemque frontis ingenuitate munera divino infanti offerens! Quid denique dicemus de altero illo puero in tabulae margine posito, gestu tam proprio ac naturali per funem e scaena retrahens canem illum repticium et edacem?

Paulus Caliari, cuius opera per Europam universam disseminata sunt, an. MDLXXXVIII vita functus est, quinquagesimum octavum aetatis annum agens, filiumque Carolum habuit, qui picturae et ipse initiatus, non patre indignus extitisset, nisi immatura morte, vix sex et viginti annos natus, fuisset correptus.

LUDI PUERORUM APUD ITALOS

Ad terram respice et lupum cave. (1)

Vides hic in circulum compositos quindecim et amplius adulescentulos? Visne scire cur subridentes humi oculis respiciant, eorumque socius, tenens prae manibus sudariolum circumit subdole et secreta quaedam arcanaque verba leviter murmurat, veluti *saga punicea* quae fingit *nomina* cera? Qui nunc caute incedit, nunc saltitat, nunc tandem et prolabitur? Olim hic iocus erat in more positus maxime apud Subalpinos, nunc unus vel alter vix nomine eum adhuc cognoscit.

En breviter quae ad hoc genus ludendi optime noscendum spectant.

Iocantes omnes festivi in medium procedunt, et in primis sorte eligitur qui ludi magister esse consuevit. Hic huiusmodi fortuna elatus sudariolum cum nodo in altera parte gerit, quod est suae potestatis testimonium. Quam superbe istud per aërem quassat, minitatur, ut olim patribus nostris horribiliter memorantibus erat in scholis tamquam inexorabile pensum, virga, et passim dicebatur: *ferulaeque tristes sceptra pedagogorum!*

Adsunt ergo puelli hi loquaces imprimis, hilaresque, quibus est ludendi voluptas suosque socios vellicandi gratiose. Omnes, ut supra memini me dicere, ponunt se se in orbem strictiorem in modum, atque ita ut nihil retro decernere possint. Dum vero oculos humi ex composito vertunt, manusque tergo et apertas retinent, silent, quoad per aetatem eis licebit, atque morantur. Nunc ludus incipit. Qui dux est atque magister et sudariolum prae manibus tenet ita circumire debet, ut industria ac celeritate in socii manibus sudariolum ponat, quin propior animo oculisque praesentiat. Ars enim summa est illi si dicere poterit:

Qui nec opinanti nunc tibi forte venit!

Deposito sic, maximo cum studio, sudariolo, dux, ne quis sibi forte dubitet, sed eo magis longius esse credat positum, currit adhuc ne suspicionem proximioribus iniiciat; tunc demum curiose sistit, et voce clarius exclamat:

— Qui habet, exeat!

Tunc videres omnes de se pertimescere, atque adrectis auribus oculisque exspectare qui sudariolum manu referens, et dextrorsum conversus propiorem socium sudariolo plectere, tundere plagisque crebrissimis vulnerare. Hic vero, saepe saepius, illusus assimulata castrorum consuetudine, longe aliter reputans, abundantem flagitiorum segetem in tergo recipit. Qui sudariolo sic est acerbe perculsus, exit e suo loco atque in orbem circumit usque dum ad suum iterum locum perveniat. Cavendum sane, ne, rei novitate territus, vel ipsis vulneribus commotus, haud ita pridem locum suum rapide inveniat, vel longe aliter pedibus erret! Et ipsi socii saepe numero industria locum eius praeoccupant, ne tam cito illum recipiat nec facilius agnoscat. Tunc flagella iterantur, spissantur, iterum iterumque densantur. Ut Ovidius meminit, nescio quo in carmine, ubi mirum in modum taurorum cladem inopinanter describit:

Haud expectato ceciderunt vulnere tauri.

Quae laetitia sociorum, qui rumor gentium! Subridentes, exclamantesque illudunt lepide socio sic plagis obruto, eum admirantur, plectentem insuper vocibus irritant, ut in verberibus insistat ac prosequatur. Haud rarius vel fraus intervenit. Qui enim astutia pollet ingenioque, ut sibi propiorem lepide territet, sudariolum sese habere simulat, eumque percutere minitatur, qui rapidis pedibus fugere pertentat ut vulnera vitet..... Namque accidit quoque ut quis fugientem supplantare studeat, praesertim cum terrore nimis exactus virgarum currit, et « summo vestigia pulvere signet! »

Tunc nova, iucundaque ridendi causa, flagitiorumque occasio. Res vero curiosior esset, quum qui hanc simularet irridendi rationem in socium, sibimet deberet capere fugam! Suus enim vicinus qui ad latus est leve sudariolum reapse tenet, eumque plectere debet. Tunc quam vere dicendum: *Ardet iam proximus Ucalegon!* Eheu! fuge! fuge, ni vis et tibi plecti tergora virgis!

Tunc ad lassitudinem quoque corporis sedandam, ut in rebus bellicis fieri solet, animi opperiuntur, ludere aliquantisper cessant.

Nec velim, lector, putes humanitatem deesse in ludis ac comitatem. Sudariolo enim passim viso acrius quis plectitur, sed mulcetur potius atque leviter carpitur, quin imo, ut rectius dicam, vellicatur. — Hoc unum in ludendo sibi nostri proponunt: ut animus a laboribus fessis honeste ac modeste recrearetur.

Abhinc paucos dies ipsemet vidi et milites nostros, laboribus armorum in Martis campo intermissis, ad iuvenilem iocum festivos redeuntes, ut aliquod sibi animisque solatium pararent. Nec sane iniucunde, nec parvo adstantium delectamento. Alio vero nomine donatur.

***

Sic huic, qualecumque sit denique opus *de ludis apud Italos,* scribendi generi finem imponam. Sed antequam a vobis, humanissimi lectores, supremum recedo, meos velim cives monere, ut vel in ludis ad antiquorum nostrorum mores redeamus, qui corpora maxime quum exercere studerent, ad levamen animorum adibant, ut postea maiori alacritate ad studia incumberent, ad artes quibus est virtus adhibenda morumque sanctitas.

SUBALPINUS.

(1) Vulgo in Subalpinis: *A guarda in tera, guarda 'l luu.*

Lento gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat.

VALER. MAX., *de Relig,* I, 1.

ACTA PONTIFICIA

Constitutio Apostolica de Sanctissima Eucharistia promiscuo ritu sumenda.

Pius Episcupus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Tradita ab antiquis, haec diu in Ecclesia consuetudo tenuit, ut ad varios, pro diversis locis, mores ritusque sacrorum, modo superstitionis ed idolatriae suspicio omnis eis abesset, fideles peregrini nullo negotio sese accommodarent. Quod quidem usu veniebat, pacis et coniunctionis gratia, inter multiplicata unius Ecclesiae Catholicae membra, seu particulares ecclesias, confovendae, secundum illud sancti Leonis IX: «nihil obsunt « saluti credentium diversae pro loco et tempore con- « suetudines, quando una Fides per dilectionem ope- « rans bona quae potest, uni Deo commendat omnes». (1)

Huc accedebat necessitatis causa, cum, qui in exteras regiones advenissent, iis plerumque nec sacrae ibi aedes nec sacerdotes ritus proprii suppeterent. Id autem cum in ceteris rebus fiebat, quae ad divinum cultum pertinent, tum in ministrandis suscipiendisque sacramentis maximeque Sanctissima Eucharistia. Itaque clericis et laicis, qui formatas, quae dicebantur, litteras peregre afferrent, patens erat aditus ad eucharisticum ministerium aut epulum in templis alieni ritus; et Episcopi, presbyteri ac diaconi latini cum graecis hic Romae, graeci cum latinis in Oriente divina concelebrant mysteria: quod usque adeo evasit sollemne, ut si secus factum esset, res posset argumento esse discissae vel unitatis fidei vel concordiae animorum.

At vero, postquam magnam Orientis Christiani partem a centro catholicae unitatis lamentabile schisma divellerat, consuetudinem tam laudabilem retinere iam diutius non licuit. Quum enim Michaël Caerularius non solum mores caerimoniasque latinorum maledico dente carperet, verum etiam ediceret aperte consecrationem panis azymi illicitam irritamque esse, Romani Pontifices, Apostolici officii memores, latinis quidem, ad avertendum ab eis periculum erroris, interdixerunt, ne in pane fermentato sacramentum conficerent neu sumerent; graecis vero, ad catholicam fidem unitatemque redeuntibus, veniam fecerunt communicandi in azymo apud latinos id quod pro iis temporibus et locis opportunum sane erat, immo necessarium. Quum enim nec saepe graeci tunc invenirentur episcopi huic beati Petri cathedrae coniuncti, nec ubique adessent catholica orientalium templa, timendum valde erat, ne orientales catholici ad schismaticorum ecclesias ac pastores cum certo fidei periculo accederent, nisi apud latinos communicare ipsis licuisset.

Iamvero felix quaedam rerum commutatio, quae postea visa est fieri, cum in Concilio Florentino pax Ecclesiae graecae cum latina convenit, veterem disciplinam paulisper revocavit. — Nam statuerunt quidem eius Concilii Patres: « in azymo sive fermentato pane « triticeo Corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque « in alterutro ipsum Domini Corpus conficere debere, « unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae sive oc- « cidentalis, sive orientalis consuetudinem». (1) Sed hoc decreto voluerunt sane catholicam veritatem de valida utriusque panis consecratione in tuto collocare, minime vero promiscuam communionem interdicere fidelibus, quibus contra, quin eam confirmandae pacis causa concesserunt, non est dubium. Exstat Isidori, metropolitae Kioviensis et totius Russiae, luculentissima epistola, quam absoluta Florentino Synodo, cuius pars magna fuerat et in qua Dorothei patriarchae Antiocheni personam gesserat, Legatus a Latere in Lithuania, Livonia et universa Russia, dedit anno MCCCCXL Budae ad omnes qui sub ditione essent Ecclesiae Costantinopolitanae: qua in epistola, de reconciliata feliciter Graecorum cum Latinis concordia praefatus, haec habet: « Adiuro vos in D. N. I. C. ne qua divisio vos inter « et latinos amplius subsistat, cum omnes sitis D. N. I. C. « servi, in nomine eius baptizati... Itaque graeci qui « in latinorum regione degant aut in sua regione ha- « beant latinam ecclesiam, omnes divinam liturgiam « adeant et corpus D. N. I. C. adorent, ac corde con- « trito venerentur, non secus ac id in propria ecclesia « quisque faceret, nec non et confitendi gratia latinos « sacerdotes adeant, et corpus Domini Nostri ab eisdem « accipiant. Similiter et latini debent ecclesias grae- « corum adire et divinam liturgiam auscultare, fide « firma corpus Iesu Christi ibidem adorare. Utpote « quod sit verum I. C. corpus, sive illud a graeco sa- « cerdote in fermentato, sive a latino sacerdote in a- « zymo consecratum fuerit, utcumque enim aequa ve- « neratione dignum est, sive azymum sive fermentatum. « Latini quoque confiteantur apud sacerdotes graecos « et divinam communionem ab eisdem accipiant, cum « idem sit utrumque. Ita nempe statuit Conc. Floren- « tinum in publica Sessione die VI Iunii a. MCCCCXXXIX».

Etsi autem Isidori testimonio evincitur factam esse Florentina Synodo facultatem fidelibus promiscuo ritu communicandi, tamen facultas huiusmodi subsecutis temporibus nec ubique nec semper fuit in usu: ideo praesertim quia, cum male sartam unitatem mature Graeci rescidissent, iam non erat, cur Pontifices Romani quod Isidorus a Florentina Synodo indultum refert, curarent observandum. Pluribus nihilominus in locis promiscuae Communionis consuetudo mansit usque ad Benedicti XIV Decessoris N. aetatem, qui primus Constitutione *Etsi pastoralis* pro Italo-Graecis die XXVI Maii anni MDCCXLII graves ob causas vetuit, ne laici latini Communionem a graecis presbyteris sub fermentati specie acciperent; graecis autem propria paroecia destitutis facultatem reliquit, ut in azymo apud latinos communicarent. Ubi vero Graecis et Latinis una simul commorantibus suasque habentibus ecclesias, usus invaluisset Communionis promiscuae, commisit Ordinariis,

(1) Epist. ad Michaëlem Constantinopolitanum Patriarcham.

(1) Ex Bulla Eugenii IV «Laetentur Caeli».

ut, si huiusmodi consuetudo removeri sine populi offensione animorumve commotione non posset, omni cum lenitate curam operamque in id impenderent, ut semper Latino in azymo communicarent, Graeci in fermentato. Quae autem pro Italo-Graecis Decessor Noster statuit, eadem ipse postea ad Melchitas quoque et ad Coptos pertinere iussit: eaque paullatim ad omnes transierunt Orientales, consuetudine potius quam legis alicuius praescripto; non ita tamen, ut quandoque Apostolica Sedes idem non indulserit Latinis, quae etiam Orientales non destituti ecclesia propria, neque ulla urgente necessitate, ut communicarent in azymo, pluries passa est, immo permisit.

Quod praecipue factum est, posteaquam, animorum studio flagrantes, nonnullae religiosae Familiae tum virorum tum mulierum ex variis Europae regionibus ad Orientis oras advectae, auxilium catholicis diversorum rituum, multiplicatis apud ipsos christianae caritatis operibus collegiisque ad institutionem iuventutis ubique apertis praebuerunt. Cum autem hae Familiae ob frequentem Eucharistiae usum quietam et tranquillamque inter difficultates et aerumnas vitam agerent, ex orientalibus, quod genus valde ad pietatem proclive est, facile ad imitationem sui multos excitarunt: qui cum aegre apud suos vel ob distantiam locorum vel ob penuriam sacerdotum et templorum, vel etiam ob diversas rituum rationes huic desiderio possent satisfacere, ab Apostolica Sede instanter gratiam postularunt accipiendae Eucharistiae, more Latinorum. Hisce postulationibus Apostolica Sedes aliquando concessit: atque ephebis, qui in Latinorum collegiis educarentur, item ceteris fidelibus, qui eorum templa celebrarent ac piis consociationibus essent adscripti, permisit, salvis quidem iuribus parochorum, potissime quoad paschalem Communionem et Viaticum, ut pietatis causa intra annum in templis Latinorum eucharistico pane a latinis presbyteris consecrato reficerentur. Quin etiam in ipso Concilio Vaticano *Commissio* peculiaris negotiis Rituum Orientalium praeposita hoc inter alia sibi proposuit dubium, an expediret relaxare aliquantulum legum ecclesiasticarum severitatem de non permiscendis ritibus maxime in Communione Eucharistica, veniamque tribuere fidelibus communicandi utrovis ritu: cumque eius Commissionis Patres adnuendum censuissent, decretum confecerunt in eam sententiam; quod tamen, abrupto temporum iniquitate Concilio, Patribus universis probandum subiicere non licuit. — Post id temporis S. Congregatio Fidei Propagandae pro negotiis Rituum Orientalium, ut solatio consuleret eorum, qui ob inopiam ecclesiarum vel sacerdotum proprii ritus a Communione saepius abstinere cogebantur, decretum die XVIII Augusti anni MDCCCXCIII edidit, quo ad promovendam Sacramentorum frequentiam, omnibus fidelibus ritus sive latini sive orientalis, habitantibus ubi ecclesia aut sacerdos proprii ritus non adsit, facultas in posterum tribuitur communicandi, non modo in articulo mortis et in Paschate ad observandum praeceptum, sed quovis tempore, suadente pietate, iuxta ritum ecclesiae loci, dummodo sit catholica.

Decessor autem Noster, Leo XIII fel. rec. in Constitutione *Orientalium dignitas Ecclesiarum,* eiusdem gratiae participes fecit, quicumque propter longinquitatem ecclesiae suae, nisi gravi cum incommodo, eam adire non possent. Simul vero prohibuit, ne in collegiis latinis, in quibus plures alumni orientales numerarentur, latino more hi communicarent; praecepitque ut accirentur eiusdem ritus sacerdotes qui sacrum facerent et sacratissimam Eucharistiam illis distribuerent, saltem diebus dominicis ceterisque de praecepto occurrentibus festis, quovis sublato privilegio. Sed tamen experiendo est cognitum, non ubique facile inveniri sacerdotes orientales, qui, cum alibi occupati sint in ministerio animarum, diebus dominicis et festis atque adeo ipsis profestis diebus queant collegia adire Latinorum, ut pueris puellisque esurientibus panem angelicum ministrent.

Quamobrem non raro supplicatum est huic Apostolicae Sedi, ut disciplinam Ecclesiae tanta in re indulgentius temperaret. Quae preces supplices, post editum die XX Decembris MCMV per S. Congregationem Concilii decretum Nostrum *Sacra Tridentina Synodus* de quotidiana Communione Eucharistica, multo frequentiores fuerunt ab Orientalibus, qui veniam petebant transeundi ad ritum latinum, quo facilius possent caelesti dape recreari, in eisque non pauci numerabantur pueri ac puellae, qui hoc ipsum beneficium participare percuperent.

Itaque, considerantibus Nobis fidem catholicam de valida consecratione utriusque panis, azymi et fermentati, tutam esse apud omnes; insuper compertum habentibus complures esse, tum Latinos tum Orientales, quibus illa promiscui ritus interdictio et fastidio et offensioni sit, exquisita sententia Sacri Concilii christiano nomini propagando pro negotiis Orientalium Rituum, re mature perpensa, visum est omnia illa antiqua decreta, quae ritum promiscuum in usu Sanctissimae Eucharistiae prohibent vel coangustant; atque omnibus et Latinis et Orientalibus facultatem facere sive in azymo sive in fermentato apud sacerdotes catholicos, in ecclesiis cuiusvis ritus catholicis, secundum pristinam Ecclesiae consuetudinem augusto Corporis Domini Sacramento sese reficiendi, ut « omnes et singuli qui christiano nomine censentur, in hoc concordiae symbolo « iam tandem aliquando conveniant et concordent ». (1)

Equidem confidimus, quae hîc praescribuntur a Nobis, ea dilectis filiis, quot habemus in Oriente, ex quovis ritu, admodum fore utilia non solum ad inflammandum in eis pietatis ardorem, sed etiam ad mutuam eorum concordiam confirmandam. — Etenim quod ad pietatem attinet, nemo non videt divinam Eucharistiam, a Patribus Ecclesiae latinis graecisque quotidianum christiani hominis panem solitam appellari, utpote qua sustentetur et alatur tamquam valetudo animae, multo

(1) Conc. Trident. Sess. XIII.

magis frequentandam eis esse, quorum caritas vel fides, seu ipsa supernaturalis vitae principia, maiore in discrimine versentur. Quare catholici orientales, quibus est in media multitudine schismaticorum habitandum, non ex periculoso eorum convictu aliquod fidei caritatisque detrimentum capient, si hoc se cibo caelesti roborare consueverint, sed magnum et perpetuum in se vitae spiritualis sentient incrementum. — Quod spectat alterum, patet proclive factu usque adhuc fuisse, ut inter homines unius fidei sed diversorum rituum, ex eo quod alii aliis facilius possent Corporis Christi esse participes, causae aemulationum et discordiarum exsisterent. Nunc autem, cum huius mensae, quae symbolum, radix atque principium est catholicae unitatis, promiscuam esse omnibus fidelibus communicationem volumus, pronum est debere inter ipsos increscere animorum concordiam, « quoniam unus panis, ait Apostolus, unum corpus « multi sumus, omnes qui de uno pane participamus ». (1)

Haec Nos igitur de Apostolicae potestatis plenitudine statuimus et sancimus :

I. — Sacris promiscuo ritu operari sacerdotibus ne liceat: propterea suae quisque Ecclesiae ritu Sacramentum Corporis Domini conficiant et ministrent.

II. — Ubi necessitas urgeat, nec sacerdos diversi ritus adsit, licebit sacerdoti orientali, qui fermentato utitur, ministrare Eucharistiam consecratam in azymo, vicissim Latino aut Orientali qui utitur azymo, ministrare in fermentato; at suum quisque ritum ministrandi servabit.

III. — Omnibus fidelibus cuiusvis ritus datur facultas, ut, pietatis causa, Sacramentum Eucharisticum quolibet ritu confectum suscipiant.

IV. — Quisque fidelium praecepto Communionis paschalis ita satisfaciet, si eam suo ritu accipiat et quidem a parocho suo: cui sane in ceteris obeundis religionis officiis addictus manebit.

V. — Sanctum Viaticum moribundis ritu proprio de manibus proprii parochi accipiendum est: sed, urgente necessitate, fas esto a sacerdote quolibet illud accipere: qui tamen ritu suo ministrabit.

VI. — Unusquisque in nativo ritu permanebit, etiamsi consuetudinem diu tenuerit communicandi ritu alieno; neque ulli detur facultas mutandi ritus, nisi cui iustae et legitimae suffragentur causae, de quibus Sacrum consilium Fidei Propagandae pro negotiis Orientalium iudicabit. In his vero causis numeranda non erit consuetudo quamvis diuturna ritu alieno communicandi.

Quaecumque autem his litteris decernimus, constituimus, declaramus, ab omnibus ad quos pertinet inviolabiliter servari volumus et mandamus, nec ea notari, in controversiam vocari, infringi posse, ex quavis, licet privilegiata causa, colore et nomine; sed plenarios et integros effectus suos habere, non obstantibus Apostolicis, etiam in generalibus ac provincialibus conciliis editis, constitutionibus ac praescriptionibus; quibus omnibus, perinde ac si de verbo ad verbum hisce litteris inserta essent, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogatum esse volumus, ceterisque in contrarium facientibus quibuslibet. — Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, manuque Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum suo sigillo munitis, eadem habeatur Fides, quae praesentibus hisce litteris ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo duodecimo, in festo Exaltationis S. Crucis, XVIII Kalendas Octobres, Pontificatus Nostri anno decimo.

(1) I Corinth. X, 17.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Novembri MCMXII).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: De Fitalia Princeps, eiusque uxor; Marschal, Comes; Dmitri Nèlidow, doctor, legatus extraordinarius atque administer cum omni potestate Russici Imperii apud Apostolicam Sedem; Carolus Jimenez, Civilium rerum, Iustitiae Cultusque administer in Costarica republica; De Montebello Comitissa; Otho de Ritter de Gruenstein, legatus extraordinarius atque administer cum omni potestate Bavarici regni apud Apostolicam Sedem, De Treviso, Dux, eiusque uxor; De la Tour d'Auvergne Princeps foemina; Supremus Melitensis Militaris Ordinis Magister; Maria Wolkonsky, Princeps foemina; De la Real Piedad Comitissa; Christina ex Urbanis Principibus Giustiniani Bandini, Coetus Italarum Catholicarum Mulierum Praeses.

Pontificiae electiones.

Nominationes episcoporum. — Per S. Congregationis Consistorialis decreta SSmus D. N. Pius PP. X has quae sequuntur Ecclesias de proprio pastore providit, scilicet: Metropolitanae ecclesiae Torontinae praefecit rmum. d. Nilum Mc. Neil, hactenus archiepiscopum Vancouveriensem; cathedrali ecclesiae Cuernavacensi sac. Emmanuelem Fulcheri, archidioec. Mexicanae, ibique canonicum ecclesiae metropolitanae et rectorem seminarii dioecesani; cathedrali ecclesiae Antigonicensi sac. Iacobum Morrison, dioec. Carolinopolitanae, parochum Ecclesiae vulgo *Vernon River;* titulari eccl. archiepiscopali Palmyrensi revmum. d. Antonium Sardi, hactenus episcopum Anagninum; metropolitanae eccl. Vancouveriensi rmum. d. Timotheum Casey, hactenus episcopum S. Ioannis in America; metropolitanae Ecclesiae Portalegrensi in Brasilia rmum. d. Ioannem Becker, hactenus episcopum Florianopolitanum; cathedr. eccl. S. Ioannis in America sac. Eduardum Le Blanc, parochum S. Bernardi in archidioecesi Halifaxiensi; tit. eccl. episc. Delcensi sac. Henricum Haehling de Lanzenauer, decanum capituli cathedr. Paderbornensis, quem constituit auxiliarem rmi. d. Iosephi Schulte, episcopi Paderbornensis; metropolitanae ecclesiae Hydruntinae rmum. Iosephum Ridolfi, hactenus archiepiscopum tit. Apamensem; cath. eccl. Cenomanensi sac. Raymundum de la Porte, dioec. Versaliensis, parochum decanum eccl. B. M. V. in urbe Versaliensi; tit. eccl. episcopali Uranopolitanae sac. Dominicum Carrerot, Ord. Praedicatorum, et superiorem conventus loci

vulgo *Conceição do Araguaya* in Brasilia; cathedralibus ecclesiis Pennensi et Atriensi sac. Carolum Pensa, presbyterum oblatum S. Caroli in Mediolanensi archidioecesi; archiepiscopali ecclesiae Spoletanae sac. Petrum Pacifici, Congregationis Somaschae; cathedrali ecclesiae Balneoregiensi sac. Aemilium Poletti, dioecesis Comensis, ibidem parochum loci vulgo *Menaggio;* tit. eccl. episcopali Himeriensi revmum. d. Ioachim Iosephum Vieira, hactenus episcopum Fortalexiensem; cathedr. eccl. Fortalexiensi in Brasilia revmum. d. Emmanuelem do Silva Gomes, hactenus episc. tit. Mopsuesitanum.

Brevibus autem Apostolicis nominati sunt: Archiepiscopus Babylonensis Syrorum r. d. Moyses Dailal; episcopus Iazirensis Syrorum r. d. Michaël Malche; episcopus tit. Danabensis et auxiliaris Patriarchatus Syri r. d. Dominicus Abdalahad Tappuni; episcopus tit. Arethusius r. d. Moyses Sarkis, chorepiscopus ritus Syri.

Litteris denique S. Congregationis de Propaganda Fide r. p. Carolus Cox, ex Congregatione Oblatorum B. M. V. Immaculatae nominatus est Administrator Apostolicus Transvaalensis.

— Emus. P. D. Ludovicus Billot inter Purpuratos S. Rituum Congregationis, et EE. PP. DD. Ianuarius Granito Pignatelli de Belmonte, Caietanus Bisleti et Gulielmus Van Rossum inter Purpuratos S. Congregationis Concilii adleguntur.

— Emus. P. D. Marianus Rampolla Del Tindaro S. Romanae Ecclesiae Bibliothecarius renunciatur, loco Emi. Card. Alfonsi Capecelatro vita functi.

— R. d. Eugenius Pacelli, S. Congregationis pro Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis Prosecretarius, in numerum Consultorum Supremae S. Officii Congregationis refertur.

Vita functi viri clariores.

Die VIII mens. Novembris MCMXII, Capuae, Purpuratus Pater **Alfonsus Capecelatro de Castelpagano,** illius Metropolitanae ecclesiae ab anno MDCCCLXXX archiepiscopus, S. Romanae Ecclesiae Bibliothecarius; Massiliae ex Neapolitano nobili genere ortus d. V mens. Februarii MDCCCXXIV, in Sacrum Senatum cooptatus d. XXVII m. Iulii MDCCCLXXXV; vir multarum litterarum, magni animi atque pietatis summae in Deum et homines.

ANNALES

Balkanicum bellum.

Balkanicarum gentium quod nunc geritur bellum in Turcas, et per se, et per repercussus, qui in omni Europa necopinato gigni possunt, omnium animos suspensos tenet. Cuius conflictationis summa referentes, gesta cuiusque exercitus singulatim prosequemur.

Ac primo Bulgarorum; qui, Lule Burgas oppido capto, ad Vizae colles progressi sunt, Turcas cogentes intra Ciatalgiae munimenta se recipere, ubi incerta adhuc, prouti videtur, fortuna pugnatur. Neque Adrianopolim urbem in potestatem suam tandem redigere Bulgari valuerunt, quamquam a Serbis agminibus adiuti; neque maiores successus in mari reportarunt, licet *Hamidiè,* Turcarum loricatam navem, in Pontu Euxino graviter offenderint et Cek Medyè usque ad sinum in Propontide processerint: a Turcarum enim navium tormentis petiti, ad septem triones vertere coacti sunt. Alia denique Bulgarorum acies Dramam urbem expugnavit, Kavala ad sinum tendens.

Serborum, contra, virtus felices habuit exitus. Novi enim Bazar regionem omnem quum ii tenuissent, praeter Vardar flumen viam per Gostivar, Prilip et Demirkapu ingressi sunt, ac Monastir ad urbem magnam victoriam obtinuerunt, urbem ipsam ad deditionem perpellentes, in qua quinque supra quadraginta Turcarum millia, et ipsum copiarum ductorem summum Zechi, captivos fecerunt. Paucos autem hostes, qui fugae sese commiserant, Florinae Serborum equites assequuti sunt ac disiecerunt, ope etiam primi Graeci exercitus agminis ab austro venientis. Inde bifariam divisi, Serborum alii, meridiem versus, iter ad Castoriam fecerunt; alii, ex Albania profecti, ad S. Ioannis de Medua cum Nigri Montis copiis sese feliciter coniunxere, Alexioque urbe cum his potiti, ad Dyrrachium intenderunt.

Huiusmodi sociorum interventus eo magis ipsum Nigri Montis exercitum iuvit, quod alterna vice semel et bis illa loca occupaverat ac perdiderat; dum Vucotic imperator Scodram obsessam tenet.

Graeci denique, praeter Samothraciam, Thason, Nicarion, Mitylenen et Chion insulas, in potestatem suam redegerunt Prevesa, Venitzé Vardar, ac deinde Salonicum, cuius quidem urbis praesidium, viginti et septem millibus hominum constans, arbitrio victoris arma posuit. *Diadochos,* quocum Serborum agmen statim sese coniunxit, magnis honoris exceptus, Salonicum sollemniter ingressus est die VIII mens. Novembris, S. Demetrio, civitatis patrono, sacra. In ipso Thessalonico sinu Ekaterina quoque oppidum Graeci apprehenderunt, et ad meridiem Ostowii lacus, inter Cailam et Castoriam, proelia etiam non sine fortuna egerunt.

Inter haec Albanica regio Vallonae libertatem suam promulgat; pro qua, quum contra Serborum cupiditatem Dyrrachium portum habendi, Austrorum imperium stare videretur, timor fuit ne acrius bellum inde oriretur, eoque magis quod Russia, quae Serbis favere dictitabatur, ad fines suos copias colligeret. Nubes vero, fausto alite brevi evanuerunt, neque in caelis rursus minitantes eas apparituras sperare iuvat, si Eduardi Grey, Anglici administri, consilium acceptum fuerit internationalem legatorum coetum convocandi, quibus, post pacem a Balcanicis populis cum Turcis compositam, hoc sit mandatum, quaestiones ex novo rerum statu ceteris Europae gentibus genitas tranquille componendi. Atqui iam armorum induciae inter dimicantes serio nunciantur.

***

Mauritanae res.

Quae ex Mauritania referuntur meliora esse nequeunt: Lyautey, Gallicum praetorem, Lutetiae Parisiorum esse, ubi tandem foedus cum Hispania est ictum; El Hibb autem, Mauritanum imperium appetentem, ubique debellatum, in maximo discrimine versari.

***

Russica pactio de Mongolia.

Cum Russico imperio Urgae praefectus res de Mongolia controversas per pactionem transegit; quae si Yuan-sci-ka', Sinensis reipublicae praesidi, parum placuit, ita ut explicationes non sine acrimonia a paciscentibus requisiverit, non tamen est dubium quin, ne manifesto periculo civitatem suam obiiciat, ratam eam is denique faciat.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Anglia** rogatio legis pro suffragii iure mulieribus in Hibernia concedendo reiecta; deque separatione inter Ecclesiam et Statum in Vallia acriter disputatum.

In **Austria** lex de iuridico, prouti dicunt, civilium officialium statu in examen vocata.

In **Belgica** Michel, bellicae rei administer, a munere se abdicavit.

In **Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis** novus rei publicae praeses suffectus Woodrow Wilson.

In **Gallia** rationes acceptorum et expensarum pro civilibus negotiis ratae habitae; gubernii vero legis rogatio de minoribus praefecturis abolendis necessaria favorabilia suffragia non obtinuit.

In **Germania** publici coetus sessiones resumptae, cui praefectus Kaempf est.

In **Hispania** post nefariam Canalejas, supremi administri, caedem, in eius munus suffectus est Romanones, publici legatorum coetui praepositus, cuius locum Moret vicissim obtinuit.

In **Hungaria**, quum administrorum collegium et ipse coetus praeses arrogantibus factionis gubernio obstantis petitionibus vehementer resisterent, factio eadem ulterioribus sessionibus adesse negavit.

In **Italia** nova coloniis moderandis administratio constituta, novaeque rationes in iudiciis ordinandis legatorum disceptationi subiectae.

In **Norvegia, Rumenia** et **Russia** nova comitia habita.

PER ORBEM

Die II mens. Novembris MCMXII Acapulco, Septentrionalis Americae portus, foeda tempestate longe lateque pessumdatur.

— d. VIII Berolini, tres supra octoginta annos natus, cursum vitae absolvit Botho de Eulenburg, Comes, vir in Germanorum publica re valde exercitatus. Fuit enim civilium negotiorum gestor cum Bismarkio illo ab anno MDCCCLXXVIII ad an. MDCCCLXXXII, atque deinde per duos annos Imperii Cancellarius; quo munere se abdicavit an. MDCCCXCIV ut privatus viveret.

— d. XI curruum series mercibus onustorum vapore actus in viatorum alteram, Iazoo, prope Novam Aurelianensem Americanam urbem, misere occurrit. Triginta viatorum mors horribilis, quinquaginta et ultra lugentur vulnera.

— d. XII similia, quamquam minori forte victimarum numero, ad stationem Russiae australis Lipchong, accidunt.

Madriti, Iosephus Canalejas, collegii administrorum praeses, apud « Solis Portam » ab anarchista quodam manuballistulae ictibus nefarie petitur et occiditur. Tertium supra quinquagesimum defunctus agebat annum, summaque imperii tenebat ab anno MCMX.

— d. XIII Nobelium praemium an. MCMXII attributum nunciatur de physice Dalen, machinationum doctori ex urbe Stocolma, de chemia Grinard, doctori Nanceyensi, ac Sabatier, Tolosani athenaei magistro; de litteris denique Gerardo Hauptmann, Teutoni dramatum scriptori ac poetae.

— d. XV lembus, milites finium custodes per Danuvium flumen vehens, ad Kalarassi oppidum subvertitur. Ex gurgite quadraginta exanimata naufragio corpora heu! trahuntur.

— d. XXI procella ab imo vertens mare, Savanora Lumar, Iamaici litoris urbem, fere omnino destruit.

— d. XXVI Bruxellis obit Maria, Flandriae Comitissa, Belgarum regis mater. E principibus Hohenzollern genita d. XVII mens. Novembris MDCCCXLV, Berolini Flandriae Comiti nupserat d. XXV mens. Aprilis MDCCCLXVII.

— d. XXVII Nobelium huius anni praemium de naturae disciplinis De Noter doctori adiudicatur.

— d. XXIX Samar, Leyte atque Panay insulis violentus « typhon » magnam vastitatem infert.

AENIGMATA

I (vulgo REBUS).

T
U neque S neque

II.

Pars me bina creat, benigne lector,
Quarum *posterior priorem* adaequat
Tam bene, ut nequeat puella matrem
Adaequare mage, aut soror sororem.
Si iungas simul, ut solent, *utramque*,
Cultam me fieri Deam videbis,
Qua dat pinguia dives arva Nilus.

V. C.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

MANUTII PAULI EPISTULAE SELECTAE
(Edid. M. Fickeelsherer).

Aenigmata an. XV, n. IX proposita his respondent:

(1) **Bis bina sunt quattuor.**

(2) **Ventus.**

Ea rite soluta miserunt:

Ad. Kozlowski, *Petricovia.* — Steph. Kempa, *Strosisca.* — F. X. Ghion, *Ostunio.* — Georg. Archambeault, *Quebeco.* — Rich. Brondel, *Brugis.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — Petrus Tergestinus - Iac. Gomez, *Caesaraugusta.* — Vinc. Starace, *Neapoli.* — Nic. Endrigi, *Salisburgo.* — E. Burg. *Monachio.* — F. Arnori, *Mediolano.* — Rich. Müller, *Berolino.* — I. Ortiz, *Morelia.* — R. Richi, *Traianopoli.* — F. X. M., *Drepano.* — Fr. Salvatore, *Syracusis.* — Lud. Goux, *Bituricis.* — Alb. Kain, *Lublino.* — A. Bounin, *Aureliano.* — Leon. Feher, *Chicagin'.* — Alois. Geyer, *Ratisbona.* — Iac. Menendez, *Madrito.*

Sortitus est praemium:

IACOBUS GOMEZ,

ad quem missum est opus, cui titulus:

ALOISII CLASII
LUSUS PASTORALES
(Latine vertit Ioannes Baltani).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE, ex officina *Societatis Editricis Romanae.*

AD ROMAM 3)

ACTIO DRAMATICA

versibus plautinis composita et in tres actus distributa.

Scena III.

Cives *circumspicientes curiose transeunt, quos milites proximant, dicentes :*

Vitulus.

Heic quid vobis est, o cives, muneris ?

Velox.

Ite hinc recto, vultis ne succidat mali !

I. Civis.

Sumus nos cives innoxii criminis,
Et ire possumus citra consilium...

(Alii superveniunt ebrii ultro canentes) :

Bacchus Deus nos protegit
Devote pro quo vivimus ;
Vinum bibendo conditum,
Clamamus usque nos evoè !

Vitulus.

Silete, cives !

I. Ebrius.

Iubet quis silentium ?

Velox.

Nos admodum !

Vitulus.

Sumus qui cives ordinis.

(Ebrii silent et ore oculisque minantibus, pedibusque incertis errant. Longe incipiunt canere... Quum cantus cessat,

Velox *(solemnis ironice).*

Ite vos, cives ! Vos, togata natio !
Suo quae redegit gentes imperio.

Vitulus.

Ad nos revertemur ! Venit sed aemulus,
Eumque ad frugem meliorem corriget !
Clamores gignit, addit et fiduciam,
Et omnes ad se populos sollicitat.

Velox.

Esset ad pugnam vocandus exercitus...
Fremunt dum milites pugnae cupidine.

Vitulus.

Datur sed artibus Maxentius magicis !
Scrutatur intimum consilium Numinum,
Secando pueros ipsos et mulieres,
Ut iure videat, mediis visceribus,
Velint ab ipso quid divorum numina !

Velox.

Potest quid alter cogitare foedius ?

Vitulus.

Sed adsunt cives, nunc iuvat secedere.

Scena IV.

Vigetius, Velox et Vitulus.

Vigetius.

Quid hic vos, milites, otiosi statis ?
Oportet at magis vos esse vigiles !

Velox.

Scimus !

Vigetius.

Quid dicitis ? Surgunt pericula,
Et imperator vivit in angustiis...
Ite per Urbem ; caute, inopini invadite,
Referte multa nostrae quae causae serviunt.
Sic itur ad astra ! Crescit et marsupium. (*exit*).

Velox.

It iste dextrorsum ?

Vitulus.

Sinistrorsum ibimus.

Scena V.

Christiani cives.

(Nocturnis vigiliis exeuntibus, haec inter se dicunt:)

1. Chr. Dei manus gravis super nos cecidit,
Nimis quod fuimus Christi nunc immemores !
2. Quis, eheu ! potest e faucibus nos eripere
Maxentii ? Novis qui semper artibus
Vexat nos, percutit, ducit ad incitas ?
3. Adest nobis, boni, Pontifex pervigilans,
Prudens et providus nostris negotiis...
4. Solet qui sollers admovere lapidem
Omnem pro nobis ! Verbis hunc et precibus
Eum movet ! Tollit quot a formidine
Tenentur tandiu strincti qui vinculis.
5. Adesset noster Constantinus strenuus...
1. Noster ? Quid inquis ? Audiunt sed plurimi...
5. Fuit praeterito mox Romae tempore !
Est mente Romanus, manu, virtutibus.
Novum saeclorum restaurabit ordinem :
Ab Urbe barbaros expellet perfidos,
Nobisque pacem, relligioni dabit !
2. Sed ipse !
3. Dicis imprudens !
2. Maxentius
Modo stipatus suis satellitibus
Adest in urbe tamquam in solitudine.
3. Cunctis prudentiam commendo maximam.

(*Redeunt* Vitulus *ac* Velox).

(Ad proximum numerum).

I. B. Francesia.

